BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 — A
15

Digitized by Google

8. 31 ... 11

HI c 210 f 30

Digitized by Google

[illegible] Library

DE SACRO SIGILLO

Opuſculum.

Auctore

R. P. M. HIERONYMO ONVPHRIO
Romano, ex ſacra Congregatione Fœſulana
S. Hieronymi, Sac. Theolog. Profeſſore,
ac Conuentus S. Annæ Mediolani
Priore &c.

Continentur autem in hoc Opuſculo admodum vtilia, ac neceſſaria tùm alijs, tùm ijs, qui ad ſacras confeſſiones audiendas ſunt adſcripti.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MEDIOLANI,
Typis hær. Pacifici Pontij, & Io. Baptiſtæ Piccalei,
Impreſſorum Curiæ Archiepiſcopalis.

M. DC. XI.

Imprimatur.

Fr. Aloyſius Bariola Auguſtinianus Conſultor Sancti Officij, pro Reuerendiſs. Inquiſitore.

Al. Boſsius Canonicus Ord. pro Illuſtriſs. Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Saccus, pro Excellentiſs. Senatu.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
AMPLISSIMÆ VRBIS
BONONIAE
SENATVI
F. HIERONYMVS ONVPHRIVS
Romanus F. P. O.

TANTA profectò, ſiue multitudinem, ſiue magnitudinem ſpectem, ac tàm eximia totius Ciuitatis, & Senatus præcipuè Bononienſis in Hieronymianã noſtram familiam vniuerſam beneficia ſunt, & beneuolentiæ ſigna, vt in eorum ſolutione, cùm ſoluendo nobis nõ ſit,

vel inopiam facultatis noſtræ afferamus neceſſe ſit, vel quod debitum æquare nunquàm poſsimus; huiuſce rei veritatem fateamur, & pro beneficiorum redemptione rependamus. Etenim ſi Ciuitatis veſtræ (viri ampliſsimi) mentis oculis ornamenta conſpicio, in ea, tanquàm in aureo annulo prædiuitem gemmam, bonarum omnium artium ornatiſsimã Academiam contueor; cuius decus, & amplitudo, ſicut & eruditio doctorum hominum in eadem diuerſas artes doctiſsimè profitentium, ignorem, an Vrbis laudes adaugeat, an potius ipſa Ciuitatis amplitudine, & præſtãtia magis & magis exornetur; hac inquã in Academia, vt familiam noſtram cohoneſtaretis, ex eadem viros identidem elegiſtis, qui altiorũ diſciplinarum ſtudia in ea profiterentur; quod inter cæteros peculiari priuilegio contigit Admodum RR. Patribus Magiſtro Iulio Sirenio, ac Mag. Danieli Mallonio. quorum vnum Theologicis ſcientijs, alterũ verò diuinorum librorũ explicationi præſi-

dere

dere voluiſtis: de quorum præſtantia, doctrina, atq; eruditione, ut cætera tacendo viuentium modeſtia parcam, abundè ſatis ipſorum varia, ac luculenta ſcripta teſtantur. Quare mirandum non eſt, ſi familia noſtra, tot beneficijs deuicta, totáq; nominibus vobis obſtricta, quibuſcunq; rebus poteſt, nulla occaſione prætermiſſa, gratam ſe, totáq; beneficiorum memorem ſtudeat exhibere. Quod ſi omnibus hoc onus incumbit nobis, quanto id mihi magis præſtandũ eſt, qui ſingulari veſtro beneficio, ac beneuolẽtia (licèt non eo ingenio, & doctrina, qualem fortaſſe tantorum virorum amplitudo poſtulaſſet) toto mei Prioratus triennio præterito in veſtra Ciuitate tùm Philoſophicas, tùm Theologicas, tùm deniq; quæſtiones ad conſcientiam pertinentes enodaui, fateor tantis beneficijs rependẽdis ſatis eſſe non poſſe: quoniam tamen, qui beneficijs parem gratiam referre non poteſt, ſi quod ſaltèm gratitudinis ſignum non exhibeat, ingrati animi notam non effugit; cùm ar-

repta occaſione De ſacro ſigillo libellũ hunc conſcripſerim; vt animum potius tantorũ beneficiorum memorem, gratumq; teſtarer, quàm beneficium æquarem, vobis illum eundem dicare ſtatui, cùm præſertim mihi perſuadeam, quidquid in eo minus ſplendidè fortaſſe dictum erit, facilè illuſtrandum, ſi tantorum virorum auctoritas, atq; Illuſtriſs. veſtri Senatus nomen, quoddam quaſi lumen accedat. Valete.

Dat. Mediolani in Cœnobio noſtro S. Annæ vj. Non. Auguſti, M. DC. XI.

AD

RELIGIOSISSIMOS PATRES, NOBILISSIMOS VIROS, CAETEROSQ; OMNES

ex Academia Gratioſa in Conuentu S. Mariæ Gratiarum Bononiæ erecta.

Idem Fr. ***HIERON. ONVPHRIVS*** *Academicus S.*

INgratus profectò habere-tur Agricola, qui à viro nobili hortum aliquem gratis habuiſſet, niſi ſuo tempore florum, fructuumq; partici-pem faceret donatorem; pulcherrimũ certè donum, & inſigne beneficium,

quod ad hominem quemq; , licèt barbarum, flectendũ, & ad humanitatem, gratitudinemq; in eius animo, licèt nulla ſcintilla virtutis huius appareret, ingenerandam, aptiſſimum eſſe mihi videtur: quid enim amico alicui, ne dicam ægenti Agricolæ dari potuiſſet pulchrius, quid iucundius, aut vtilius? quod ſi iucundiſſimum eſſet, vt certè eſſet, barbara magis, & inhumana profectò illius Agricolæ putaretur ingratitudo, qui tot acceptis muneribus donatorem tàm ſplendidum, non dicam fructu, ſed ne vultu quidem, recognoſceret. Fateor, Religioſiſſimi Patres, nobiliſſimi Viri, cæteriq; Academici omnes, me fuiſſe Agricolam iſtum; & quidem totis tribus annis præteritis, quibus Bononiæ Prior commoratus ſum, & Academiæ veſtræ, quod veſtra beneuolentia fuit, eſſem adſcriptus: nihil aliud egiſſe me confiteor, quàm ex veſtro viridario, non virtutum mo-

dò, ſed etiam litterarum, florum, fructuumq; refertiſſimo, quos potui flores, & fructus collegiſſe, conſeruaſſe, ijsq; tenuitatis meæ penum nō mediocriter locupletaſſe: etenim cùm in Academia noſtra crebertimæ diſputationes de conſcientiæ rebus haberentur, & in ijs non pauci, vel contemnendi modi, qui paſſim hac in re occurrunt, enodarētur, nō mediocrem vtilitatem ex ijs exercitationibus me retuliſſe cognoui; quibus de rebus, cum alium quaſi hortulum ijſdem arborum, florumq; generibus refertum, conſerere conſtituiſſem, cumq; iam perfectū in lucem dare modò cùm debuerim, ingratum me ipſe iudicaſſem, niſi quoquomodò poſſem veſtri in me beneficij memoriam, nō in mente, animoq; meo tantùm retinuiſſem, ſed ſcripto etiam gratitudinem meam teſtatā eſſe vobis, orbi, ac poſteritati curaſſem, partumq; veſtri beneficij vobis, quo

maiore poſſem amore, & gratitudine
obtuliſſem; quod etiam libentius fa-
cio, quo quæſtiones de ſacro ſigillo in
hoc libello explico, quas ſępè à vobis
acutiſſimè explicatas eſſe non ignoro;
& vt, ſi quid acutè, aut clarè in eo dici-
tur, id non tàm à meo ingenio, quàm
à veſtra doctrina profectum eſſę lecto-
res intelligant. Quare accipite RR.
Patres, ac nobiliſſimi Academici libel-
lum hunc vobis à me miſſum, eumq;
tanquam partum non meum, ſed ve-
ſtrum fouete; & ſi quid vtilitatis fortè
ex ipſius lectione retuleritis, id nõ tàm
meis, quàm veſtris laboribus tribua-
tis. Valete.

AD

AD LECTOREM CONFESSARIVM.

NON eſt, beneuole Lector, quòd libelli huius grauitatem, vtilitatemq́ verbis augere coner: credo enim ea, ex ipſo libelli nomine cuiq; Chriſtianæ fidei lumine illuſtrato, ſatis, abſque alia cõmendatione, patere: Neque enim tanti Magnus ille Alexander Homeri Poetarum Principis volumina faciebat, niſi quia militum Dux erat; in eoq́ libro præcepta bellicæ rei benè prudenterq́ gerendæ tradebantur, quibus, alijsq́ ab alijs prudẽtibus viris arreptis, tantum in arte militari profecit, vt ſuperiores nullos, pares vel nullos habuerit, vel habiturus ſit; quòd ſi is in re bellica tanti eum librum, qui de bello ageret, æſtimauit, non erit fortè libelli huius, qui eſt de ſacro ſigillo, tibi paruifacienda lectio, in quo non de periculis, quæ in bellis huiuſmodi eſſe ſolent, certior fies, ſed eius belli pericula edoceberis, ex quibus totius Reipublicæ Chriſtianæ bonum maximè pendet, conſeruariq́ debet: hæc ſunt quæ de ſigillo, hoc libello, à nobis explicantur, quæ eo alacriori ſtudio procurare

rare

Digitized by Google

rare debes, quo ſcis ex hoc vno omnibus Chriſti fidelibus optimè conſuli: quæ ſi tandem beneuolo animo a te conſiderabuntur, victorem te, felicemq́ in perpetuum facient; ſin minus (quod Deus auertat) in ſumma calamitate, ærumnisq́, vel nolens, degere compelleris, & tantum bonũ Chriſtiano populo inutile, ac pernicioſum reddideris. Scio quamplurimos eadem fuſiſſimè pertractaſſe; ſcio multos doctè, & clarè difficultates, quæ in hac re eſſe ſolent, enucleaſſe; tamen cùm etiã non ignorem, lectores, vt plurimùm, neceſſaria peroptare, morem eis gerere volui, eaq́ quæ mihi magis neceſſaria viſa ſunt, quanta potui diligentia, perſpicuitate, ac breuitate pertractaui, & ab ijs, quæ ſuperflua videri poterant, libenter abſtinui diſputandis. Vale.

ADMO-

ADMODVM
RR. PATRES
ET DD. ACADEMICI
GRATIOSI,

P. Iulius Cæſar Baronius, Prior Ferrariæ.
P. Magiſt. Iulianus de Schiliſtis, Prior Vincentiæ.
P. Euſebius de Capitaneis, Prior Patauij.
P. Leo de Lorandis Vicarius Bononiæ.
P. Andræas de Villis Vicarius
P. Magiſt. Hieronymus Alleus.
P. Eugenius de Petris.
D. Dominicus Peruſius Mediolanen. Philoſophiæ, Theologiæ, ac vtriuſq; iuris Doctor.
D. Andræas de Opicinis Mediolanen. item Philoſophiæ, atque vtriuſq; Iuris Doctor.
Cæteriq; omnes. Ad auctorem S.

CVM ad manus noſtras tuus de ſacro ſigillo libellus perueniſſet, dici non poteſt, quantam animi iucunditatem perceperimus, cùm eas res, quæ à nobis honeſtæ potius exercitationis gratia, quàm nominis, ac famæ deſiderio in noſtra Academia iampridem agitatæ eſſent, tanto ordine collectas, & tanta omnium approbatione in lucem æditas, eſſe videremus; atque eo magis, hæc in nobis creuit animi lætitia, dum in mentem venit, Gratiarũ

beneuo-

beneuolentia, hanc noſtram Gratioſam Acade-
miam eos mira ſuauitate permixtos fructus edi-
diſſe,quos immaturos omninò, & acerbos putaba-
mus, quod tuis laboribus,tuoq; aſsiduo ſtudio me-
ritò adſcribi debet,quod Solis partes gerẽdo,tuæ,
vt ità dicam, diligentiæ calore ad debitã maturi-
tatem perduxeris: Itaque non ſolùm, quidquid à
tuis laboribus, vigilijsq; profectum eſt, nobis non
tribuerimus, quamuis id optare videaris, ſed pro
certo habeas, nos iſto grati tui animi ſigno tibi
quàm maximè deuinctos eſſe, cùm noſtræ Acade-
miæ nomen, & famam tuis ſcriptis immortalitati
commendaueris; quæ cùm beneuolentiam ergà ſe
tuam ſemper experta fuerit, nunc multò magis
perſpectam habet,continuoq; ei ante mentis ocu-
los illud obuerſatur, quantos nimirum à primis
vſque annis in ea fæliciter labores exantlaueris,
vt propterea palàm profiteri non dubitet,ſe quan-
to Iure Gratiore nomen ſortita ſit, tantas ſibi gra-
tias habituram. Vale.

IN

IN OPVS
R. P. M. HIERONYMI
ONVPHRII,
Elogicum.

Alexandri Lucidi I. C. Lectoris publici in vrbe Vincentiæ, & Academici Olympici.

TV, quem fanario mendax è gurgite ſerpens
Hoc caput: huic cures ſigere corda libro:
Si qua fides, ſi qua & tangit te gloria Cœli,
Te ſtimulat ſi quis Relligionis amor:
Si fieri vitas Acherontis carceris obſes,
Et colla excuſſo libera ferre iugo:
Prolue fōte labra hoc maiore Aganippidos vndis,
Quid trepidas? plenum volue laboris opus.
Quod tulit errorū reſerans Hieronymus vmbrā,
Qui ſtridone ſatum corde, manu ſequitur.
Signa ſigilli huius dum ſignifer extulit, omni
Vita dari vt poſſit, ſuſtulit iſte facem:
Iſte facem rutilam, vnde reconciliatio manat,
Attollens, monſtrat ſaluiuicamq; viam:
Atq; hominum lapſus, ſcelera, hinc culpaeq; piari
Quo pacto poſſint, ſtetq; medela pijs.

En

En diſces. Carpe hanc tabulã, quæ eſt hoſpita tuta,
Diluit hæc noxas, hæc ſcelerum una ſalus.
Crede Sacerdoti tua crimina, tecta manebunt,
Pandere nec pudeat fertile depoſitum.
Incubet haud unquàm retegendi ſontibus horror,
Quæ claudunt Claues abdita facta Poli.
Quæ reſeras condunt intrà penetralia Regis,
Spiritus Angelici, qui referent ueniam.

Epigramma.

Reuer. Patris Magiſtri Hieronymi Allei,
Ad admodum R. P. Mag. Hieronymum Onuphrium Præceptorem ſuum dilectiſs.

SI huius fama uolat libri, retonatq; per Orbem
Gloria & Onofrij eſt, eſt & habendus honos.
Eſt liber, eſt auctor celebris, celeberrimus Orbi
Atque erit undi ſonans, dum uehit amnis aquas.
Si tamen & meritis non eſt par gloria, ſat ſit,
Quòd minor Onofrij hoc Tullius eloquio eſt.

Epi-

Epigramma.

Admodum Reuer. P. Euſebij de Capitaneis S. Hieronymi Patauij Prioris.

Ad Lectorem;

ALlicere exoptas arionũ? ſacra volue ſigilla,
Fidus erũt portus, per breue honorũ iter.
Hoc tua ſubducent aquis agitata procellis
Pectora, nec metues, nec voret vnda ratem.
Mens licèt immenſis iactetur fluctibus, erretq́;
Alter, erunt animi nauta ſigilla tui.

Epigramma.

Admodum Reuer. P. Magiſtri Iuliani Schilini Prioris S. Mariæ Gratiarum Vincentiæ.

Ad Sigillum.

I Liber, i fœlix, Cæli ante tribunal, & illi
Virgine qui natus, talia dicta refer.
Non ego dignus eo, cui parent ſydera, venti,
Contremit Inferni Regia tota Domus.
Sum tranſgreſſus eum, docuit qui viuere leges,
Qui præcepta dedit, ſanctaq́; iuſſa, Deus.
Nec veneratus eam, pariter quæ cauſa ſalutis
Virgo fuit noſtra, Virgo benigna, clemens.

†† *Vnum*

Vnum nec colui Dominum, at ſimulacra Deorum
Impius ad Stygios dignus adire Lacus.
Si pro me ante Deum ſupplex oraueris, ipſe
Sedibus aeternum perfruar aethereis.

Epigramma.

Admodum Reuer. P. Iulij Cæſaris Baronij
S. Nicolai Ferrariæ Prioris.
Ad Auctorem,

Quod modò ſacrum Hieronyme pandis in orbe ſigillum,
Quo ſine nos recta non licet ire via.
Hoc prius in fido ſeruatur pectore fixum,
Excitat at ſancto ſignifer igne Deus.

Epigramma.

R. P. Gottardi Gaſtoldi Vicarij Conuentus
S. Annæ Mediolani.
Ad Auctorem libri De ſacro ſigillo.

Excultis monſtras ſeruare ſilentia libris,
Arcaniſq́; vetas pandere dicta modis.
Vt liber indicas taciturna ſilentia: cunctis
Clara tuum ſemper fama loquetur opus.

Epi-

Eiuſdem.

De Auctoris laudibus.

NOn tot ſunt ſphyngis latebroſa enigmata libri,
Quot reſponſa regũt hæc monumẽta tui.
Non tot Dædaleus portis veſtigia ludit,
Error, noſtra tua fila quot arte regunt.
Hos caſus, caſus ludit: At virtus tua ſoluit,
Proh quantum quantis caſibus ingenium?

Epigramma.

P. Eugenij de Petris Academici.

Bononia Rhenum alloquitur.

B. DIc mihi, cur grato cedunt Helicone camenæ
Dic mihi, cur muſis cingitur iſte liber.
R. Hic nemus Aonidũ, hic ſtatio gratiſſima Muſis.
Hic nuda in gelidis gratia ludit aquis.
Aurea concepto diffundit lumina Phœbo,
Et noua Pierio vertice flamma nitet.
Aurea diffuſis, vide en vt ſapientia riuis
Allicit, & lenis temperat ora liquor.
Illatusq́; polo diuino adiungitur Amni,
Pura velut puro gemma liquata mari.

Mox vbi ſe pleno diffundet Onuphrius auro
Aureus, aurifero plenius amne bibes.
Gratia tota tibi: tuus eſt labor, & tibi ſoluit,
Exprimis argutis aurea ſenſa notis.
Accedat meritis par gloria, palma laboris,
Inuida quæ nuſquàm perdere fata queant.

Epigramma.

Reu. P. Iacinti Mallonij.
Ad admodũ Reuer. P. M. Hieronymum
Onuphrium Romanum.

D*Vm tua, quæ mihi ſcripta probantur, perlego Onuphri,*
Doctrinam miror, miror & elloquium.
Quæ ſic fœlici pandens Hieronyme cura
Egemina, geminus vt tibi ſurgit honos.
Nam ſi Romanæ priſca exemplaria linguæ
Perlego, tu confers cum Cicerone pedem.
Si qua aliorum doctrinam methodumq́; pererro,
Quanto eſt hæc, quàm illa rectior, ac melior?
Scilicèt has dotes tribuit Patria inclita, teq́;
Iure poteſt Ciuem dicere Roma ſuum.

Aliud

Eiuſdem R. P. Iacinti Mallonij.
Ad Lectorem.

QVi cupis hoc ſacrum dignè tractare ſigillũ,
Siue Sacerdoti ſubdita colla feras.
Seu delinquentis delicta abſcondita purges,
Depoſitis Atri carceris exuuijs.
Egregium hunc, ſtudioſe Lector, perlege librum,
Quem prudens auctor cum pietate dicat.
Emicat hinc etenim noſtra ſpes prima ſalutis,
Cæleſtiſq; domus hinc patet ipſe aditus.

Epigramma.

Fratris Ignacij Piouani.
Ad Auctorem.

FLoret tuta fides, Cordiſq; arcana recondit,
Vt gemmas condit Concha marina ſinu:
Scilicèt arcano iunguntur fœdere mentes,
Quiq; ligat, ſoluens numinis omen habet.

Eiuſdem F. Ignatij Piouani.

Ad Confeſſarios.

QVi lapis eſt, fuerat paſtor, mutaſſe figuram,
Dicitur, hoc fecit nam malè ſupa fidem.
Pectore qui ſacro diuina arcana tenetis,
Exemplo Batti diſcite pauca loqui.

Index Auctorum omnium, qui in hoc opuſculo de ſacro ſigillo continentur?

A

S. Ambroſius.
S. Anſelmus.
S. Auguſtinus.
S. Antonius.
Altiſſiodorenſis.
Alexander Alen.
Auctor de ver. & fal. pæn.
Andreas Vegha.
Abulenſis.
Alphonſus à Caſtro.
Antonius Corduba.
Archidiaconus Bon.
Andreas Alciatus.
Alexander de Im.
Angelica Summa.
Aſtenſis Summa.
Armilla Summa.
Ariſtoteles.

B

S. Baſilius.
S. Bernardus.
S. Bonauentura.
Baldus Senior.
Bartholom. Medina.
Bartholom. Hugolinus.
Ven. Beda.

C

S. Cyprianus.
Caietanus Card.
Coſmus Philiarcus.
Clemens PP. VIII.
C. Carthaginen.
C. Conſtantien.
C. Florentinum.
C. Toletanum.
C. Tridentinum.
Cato.

D

Durandus.
Dominicus Sotus.
Dominicus Bannes.
Didacus Couarruuius.
Decius.

E

S. Epiphanius.
Emanuel Rodriquez.

F

Fabianus PP.
Ferrarienſis.
Franciſcus Toletus Card.
Franciſcus Suarius.
Felinus.
Fortunatus.

G

S. Gregorius Magnus.
Gabriel.
Gloſſa Iuris Canonici.
Gregorius de Valent.
Gregorius Sayrus.
Gaſpar Calderinus.

H

S. Hieronymus.
S. Hillarius.
Hadrianus PP. VI.
Hoſtienſis.
Henricus à Gandano.
Henricus Henriquez.

I

S. Ioan. Chryſoſt.
Ioan. Capreolus.
Ioan. Calderinus.
Ioan. Almain.
Ioan. Scotus.
Ioan. Bernardus Diaz.
Innocentius PP. IIII.
Ioan. Maldonatus.
Ioan. Petrus Gluſſianus.
Iacobus Somancas.
Ioannes Medina.
Ioannes Riguerius.
Ioannes Caſtellan.
Iandunus.

L

Ludouicus Molina.
Leonardus Seſſius.
Lapus.

M

Magiſter ſenten.
Maior.
Marſilius.
Melchior Canus.
Martinus Nauarrus.
Martinus Ledeſma.
Michael Salonius.
Martin' Alphonſ. de Viu.

O

Origenes.

P

Petrus de Palude.
Panormitanus Ab.
Petrus Sotus.
Piſanella ſumma.
Porphirius.

R

Rabanus.
Roſella ſumma.
Richardus.
Rubertus Belarmin. Card.

S

Summa confeſſorum.
Sacerdotale Romanum.
Silueſtrina ſumma.
Simon Mayolus.
Socrates.
Speculator.
Sebaſtianus Barradius.
Soncinnas.

T

S. Thomas.
Tabiena ſumma.
Theodoret.
Theophilat.
Tertullianus.
Trombetta.

Z

Zimara.
Zabarella.

Index Sectionum, Quæſtionum principalium, ac dubitationum, quæ in hoc opuſculo continentur &c.

SECTIO PRIMA.

De Sigillo in communi.

Q. 1. De Vtilitate, Vi, ac neceſſitate ſigilli ſacramentalis. fo. 5.

Q. 2. Quid, & quotuplex ſit ſigillum. fol. 11.

Q. 3. Quo iure ſit praceptum ſigillum. fol. 17.

Q. 4. An & quomodo ſigillum ſit de ratione ſacramenti Pœnitentia: fol. 29.

SECTIO SECVNDA.

De qualitate ſigilli ſacramentalis.

Q. 1. An ſigillum confeſsionis ſit indiſpenſabile. fol. 38.

Q. 2. An detur caſus, quo huiuſmodi ſigillũ non obliget. fo. 45

In hac quæſtione ſunt dubitationes.

Prima dubitatio. Quid reſpondere teneatur confeſſarius ad interrogationem factam etiam bona fide, num aliquid ſciat ex confeſsione. fol. 46.

Secunda dubitatio, An confeſſor poſsit, & teneatur impedire mala, qua nouit ex confeſsione, ipſam reuelando. fol. 63.

Tertia dubitatio. An pro ſalute Principum conſeruanda poſsit confeſsio reuelari. fol. 85.

Quarta dubitatio. An Hareſis cognita à confeſſario per confeſſionem ſit detegenda fol. 89.

Q. 3. An Papa poſſit diſpenſare in ſigillo ſacramentali. fol. 94.

Q. 4. An ſtante periculo mortis adhuc ſigillum ſit indiſpenſabile. fol. 113.

Q. 5. An de licentia pœnitentis confeſſor poſſit reuelare confeſſionem fol. 124.

Q. 6. Quanto tempore duret hoc ſigillum. fol. 145.

SECTIO TERTIA.

De Perſonis, quæ cadunt ſub ſigillum. fol. 149.

Q. vndecima. Qui teneantur ſigillo ſacramentali. ibidem.

In hac quæſtione ſunt dubitationes.

Prima dubitatio. Vtrum Pœnitens teneatur ad ſigillum. fo. 153.

Secunda dubitatio. Vtrum interpres teneatur ad ſigillũ. fo. 174.

Tertia dubitatio. De eo, qui aut caſu, aut ex induſtria audit alterius confeſſionẽ. Vtrũ ille teneatur ad ſigillũ. f. 181.

†† 5 Quar-

Quarta dubitatio. De eo, qui ſe fingit confeſſarium. Vtrum teneatur ad ſigillum. fol. 185.

Quinta dubitatio. De laico, qui in extremis ex neceſſitate audit confeſſionẽ alterius. Vtrũ teneatur ad ſigillũ. fo. 194.

Sexta dubitatio. De eo, cui ſacerdos, aut iuſte, aut iniuſte reuelat confeſſionem, Vtrum ille teneatur ad ſigillum. fo. 219.

SECTIO QVARTA.

De materia ſigilli circa quam.

Q. 1. An, & quomodo peccata cadant ſub ſigillum. fol. 251.

Q. 2. Quæ ſint, quæ per ſe, & directe cadant ſub ſigillum. fo. 235.

Q. 3. Vtrum Peccata publica cadant ſub ſigillum. fol. 244.

Q. 4. Vtrum Peccatum in indiuiduo poſſit dici à confeſſario extra confeſſionem ſecluſa perſona pænitentis. fo. 249.

Q. 5. Vtrum peccata futura, vt ſic cadant ſub ſigillum. fo. 257.

Q. 6. Vtrum confeſſarius poſſit colloqui cũ Pœnitente extra confeſſionem de peccatis ab illo habitis ex confeſsione. fo. 263.

Q. 7. De illis, quæ cadunt ſub ſigillum indirecte. fol. 272.

In hac quæſtione ſunt dubitationes.

Prima dubitatio. Vtrum ſi quis confeſſor dicat ſe aliquem non abſoluiſſe, dicatur indirecte frangere ſigillum fol. 274.

Secunda dubitatio. An defectus Pœnitentis indirecte cadant ſub ſigillum. fol. 277.

Tertia dubitatio. An perſona, cum qua pœnitens confitetur ſe peccaſſe indirecte cadat ſub ſigillum, & quomodo. fo. 279.

Quarta dubitatio. Vtrum confeſſarius indirecte dicatur reuelare confeſsionem, ſi excommunicatum Pœnitentem, ſolum ſic notum ex confeſsione, aut in publico, aut in ſecreto euitat. fol. 310.

SECTIO VLTIMA.

De Pœnis inflictis contra reuelantes confeſsionem. fo. 320.

Q. 1. An reuelare confeſsionem, ſit peccatum. fol. 320.

Q. 2. Quænam pœnæ ſint conſtitutæ, contra Reuelantes, fol. 327.

Q. 3. Quid? quando dubium eſt. An confeſſarius reuelauerit confeſsionem. fol. 332.

Q. vlt. An Sacerdos reuelans confeſsionem præter pœnas inflictas ex can. omnis &c. de pæn. & rem. contrahat etiam irregularitatem &c.

INDEX

INDEX

QVÆSTIONVM, DIFficultatum, ac Caſuum, quæ in hoc opuſculo incidenter explicantur &c.

Ex ſectione Prima.

QVid ſit, Deum Op. Max. tegere peccata peccatoris. fol. 16.
Vtrum confeſſarius teneatur vtroq; ſecreto, & ſacramentali, & naturali ad ea celanda, quæ habet ex confeſſione. fol. 17.
Vtrum conſurgat obligatio ſigilli inter pænitentem, & confeſſarium, & quomodo. fol. 21.
Quid addat in ſacramentali confeſſione, ratio ſacramenti, ſecreto naturali. ibidem fol. 21.
Ad quamnam Virtutem pertineat ſeruare ſecretum, tum in ordine ad propria, tum aliena. fol. 19.
Vtrum præceptum de ſigillo reducatur ad vnum ex præceptis Decalogi, & ad quod nam. fol. 22.
Vnde nam colligatur ex ſcriptura ſacra præceptum ſigilli. fol. 24.
Quod nam magis ſit ſeruandum, ſigillum ſacramentale, an naturale, fol. 26.

Vtrum ſigillum, & ſecretum dicantur ad conuertentiam fol. 27.
Quomodo ſigillum ſit de iure poſitiuo humano. ibidem fol. 27.
Vtrum ſit præceptum aliquod de confeſſione publica. fol. 30.
Quomodo obligatio ad ſigillum ſit inſeparabilis à ſacramento Pœnitentiæ. fol. 32.
Quomodo ſit intelligendum, cum dicitur, quod confeſſio eſt celanda. fol. 35.
Quomodo ſit intelligendum, cum dicitur, quod ſigillum eſt de eſſentia confeſſionis. fol. 36.
In quo genere cauſæ confeſſio dicitur ſubiectum ſigilli. ibidem 36.

Ex ſectione ſecunda. fol. 38.

Quæ ſit differentia inter præcepta, negatiua, & affirmatiua fol. 39.
Quid ſit diſpenſare, Quid interpratari, & quid abrogare legem. fol. 40.
An Iudices, Senatores, Scribæ, officiales, & aliæ perſonæ publicæ teneantur ad ſecretum, & quomodo. fol. 41.
Quo differat ſigillum, à ſecreto. fol. 42.
Vndenam, ſigillum ſit pænitus indiſpenſabile. fol. 43.
Vtrum Iudex poſſit inquirere de illis, quæ non cadunt ſub ſuum forum. fol. 51.
Vtrum Reus reſpondere teneatur ad interrogationem Iudicis, & quando fol. 52.
Quid ſi Sacerdos aſtringatur etiam iuramento, vt reuelet confeſſionem. fol. 53.
Qui modi reſpondendi, ſint euitandi à confeſſario, & quibus vti poſſit, vt reſpondeat, ſi quando interrogetur de auditis à ſe ex confeſſione fol. 54.

Vtrum

Vtrum mentiatur confeſſarius, ſi reſpondeat ſe nihil ſcire de ijs, quæ audiuit ex confeſſione. fol. 57.

Vtrum Pœnitens teneatur alteri dicere, quæ dixit in confeſſione, confeſſario, ſi quando de illis interrogetur. fol. 60.

Vtrum Iudices, officiales, & alij poſſint via confeſſionis tentare, vt inde procedant in cauſis ſibi delatis. ibidem fol. 60.

Vtrum Iudex poſſit proſequi inquiſitionem de delicto, quod ſolum nouit aliquo modo à confeſſario. fol. 61.

Vtrum Iudex ſi à Reo extorqueat præter Iuris ordinem delictum, poſſit deinde proſequi inquiſitionem de illo. fol. 62.

Vtrum confeſſarius poſſit reuelare confeſſionem, loquendo extra confeſſionem cum pænitente de iiſdem peccatis, quæ ab ipſo ſacramentaliter habuit, idq; obonum ipſius. fol. 64.

Vtrum liceat Superiori ex confeſſione audita amouere ſubditum ab officio. fol. 65.

Vtrum, ex confeſſione poſſit confeſſarius denegare ſuffragiũ, cui alias dediſſet. fol. 67.

Vtrum, ſi quis eligat indignum ſolum ex confeſſione cognitum, ſed dignum ex alia ſcientia extra confeſſionem, incurrat in pænas inflictas contra male eligentes. fol. 77. 78.

An, quacumq; ſcientia ſufficiat, vt à male eligente contrahantur ſupradicta pæna. fol. 79.

Vtrum ſi quis intelligat ex confeſſione ſibi parari venenũ Vtaut aliquid ſimile, poſſit ſibi præcauere. fol. 80.

Vtrum, Prælatus poſſit priuare ſubditum beneficio ex confeſſione audita. fol. 82.

Vtrum, Prælatus poſſit denegare licentiam ſuo ſubdito perambulandi per Ciuitatem ex confeſſione audita. fol. 82.

Vtrum, confeſſarius poſſit agere contra furem, quem vidit furari, ipſe vero eidem confeſſario confeſſus eſt furtum,

ne

ne loquatur de illo. fol. 83.
Vtrum, confeſſarius, qui ex confeſſione agnoſcit ſuum famulum ſibi furari, poſſit ſibi præcauere impoſterum, expellendo etiam è domo ſua illum. fol. 83.
Vtrum, confeſſarius poſſit moueri ad agendum contra aliquem, ſolum ex ijs, quæ ab ipſo habuit, ex vi confeſſionis fol. 84.
Vtrum, confeſſarius ammittat ius loquendi de ijs, quæ etiã habet ex confeſſione, ſi ea etiam agnouerit extra illam; ibidem fol. 84.
V. hæreſis cognita ex confeſsione ſit manifeſtanda. fol. 89.
Vtrum, ſi quis ſolum in ſacramentali confeſſione exprimat ſuam hæreſim, intelligatur incurriſſe pænas latas contrà hæreticos. fol. 93.
An, aliqua iura naturalia ſint mutabilia, & quæ. fol. 94. 95. *& ſequen.*
Vtrum, teneatur potius quis mori, quam permittere, vt Infantulus moriatur ſine baptiſmo. fol. 97.
Vtrum curatus debeat inſiſtere labori, adminiſtrandi, quæ ſunt neceſſaria parrochialibus ſuis, tempore peſtis, cum periculo propriæ vitæ. fol. 98.
Vtrum, teneatur quis corrigere proximum, inſtante neceſſitate, etiam cum periculo proprio. fol. 98.
Vtrum, ſi quis noſcat hæreticum, qui populum ſeducat, debeat aduertere ſuperiores, etiam cum periculo proprio. fol. 98.
Vtrum, Deus potuerit concedere libellum repudij. fol. 99.
Vtrum, Deus poſſit matrimonia contracta diſſoluere. fol. 99.
Vtrum, ſtante periculo propriæ vitæ, poſſit quis comedere carnes, diebus vetitis ab Eccleſia, communicari cum excommunicatis ſi ad hæc cogatur in contemptum Eccleſiæ. fol. 100.

Vtrum

Vtrum, in Eccleſia ſit poteſtas diſpenſandi in votis, & iuramentis. fol. 101.

Vtrum, omnibus Chriſtifidelibus competat hac poteſtas diſpenſandi promiſcue. fol. 101.

Vtrum diſpenſatio poſſit fieri quacumq; ex cauſa, & quæ cauſæ debent eſſe ad diſpenſandum. vt diſpenſatio teneat in conſcientia. fol. 102.

Quare Papa diſpenſet in votis, & Iuramentis, non autē in ſigillo. fol. 106. 108.

Quid poſſit Papa in Sacramentis. fol. 105.

Quo iure quiſq; naſcatur liber. fol. 111.

Quo iure ſint introducta ſeruitutes. bella &c. fol. 97. 104. 111.

Vtrum, parentes poſsint filijs denegare alimenta, & contra, & ex qua cauſa. fol. 110.

Vtrum, promittens, ſine animo tamen ſtandi promiſſioni, teneatur ad illam explendam. fol. 109. 110.

V. Valeat excommunicatio lata contra Confeſſarios vt reuelent confeſsionem. fol. 112.

Vtrum, Ius naturale tollatur iure aliquo, aut ecclesiaſtico, aut Ciuili, & quomodo. fol. 111.

Quid faciendum Sacerdoti, qui ſciat ex confeſſione conſocij, à ſocijs eſſe occidendum in ingreſſum Siluæ. fol. 115.

Vtrum, ſi, ſtante periculo proprio, Sacerdos cogatur celebrare, coram excommunicato denunciato, debeat celebrare, an potius mori. fol. 118.

Vtrum, quiſq; debeat potius vitam propriam in diſcrimen adducere, vt alteri conſulat. & illius vitam ſaluet. fol. 118.

Vtrum, quis licite poſſit occidere malum aggreſſorem. fol. 118.

Vtrum, ſi quis, ex neceſsitate, percutiat clericum, contrahat excommunicationem, & irregularitatem. fol. 119.

Vtrum poſsit Iudex condemnare illum, ex alleg. & probatis, quem tamen nouit Innocentem ſcientia particulari. fol. 122.

Quid ſit faciendum ſacerdoti, qui dum celebrat, admonetur à Clerico Sacramentaliter tamen, vinum adhibitum ad ſacrificium, eſſe mixtum veneno. fol. 123.

Vtrum, confeſſor in peccato mortali exiſtens adhuc teneatur potius mori, quàm ſigillum frangere; & quid in eo caſu illi agendum. fol. 123.

Vtrum confeſſor poſſit reuelare hæredibus aliquam reſtitutionem faciendam mortui. quem ipſe ſacramentaliter audiuit. fol. 141.

Vtrum, Confeſſarius ex vi excõmunicationis contra ipſum latæ poſſit reuelare aliquid mortui pœnitentis. fol. 143.

Vtrum, frangatur ſigillum, ſi confeſſarius dicat de pœnitẽte ſuo iam mortuo, illum numq; in vita ſibi confeſſum eſſe mortale peccatum. fol. 147.

Ex ſectione Tertia.

Vtrum, ſigillum cadat in perſonam, & in confeſsionem, & quomodo fol. 151.

Vtrum, ſi pœnitens, reuelando ſuam confeſsionem, cauſaret aliquod damnum in aliquem, peccet, & quo peccato. fol. 155.

Vtrum, quilibet ſit dominus propriæ vitæ. fol. 159.

Vtrum, quiſq; ſit dominus propriæ famæ. fol. 156.

Vtrum, ſi quis ſe infamet, teneatur ad reſtituendam ſibi famam. fol. 165.

Vtrum, Aliquando ſe infamare ſit peccatum, & quando. fol. 165. 166.

Vtrum, poſſit quis ſibi imponere crimen, etiam falſum, abſq; eo quod intelligatur mentiri mortaliter. fo. 172.

Vtrum, qui mentitur, vt patrem ſaluet, peccet mortaliter, imponendo ſibi falſum crimen. fol. 172.

Vtrum, Pœnitens poſſit reuelare pœnitentiam ſibi à confeſſario Iniunctam. fol. 173.

Vtrum

Vtrum, confeſſio per interpretem ſit neceſſaria. fol. 177.
Vtrum, confeſſio facta coram ficto Sacerdote ſit ſacramentalis. fol. 187.
Vtrum, ad confeſſionem ſacramentalem requiratur, vt ſubſequatur abſolutio in pænitente m. fol. 187.
Vtrum, ad eamdem ſit neceſſarium, vt fiat à pænitente cū ſpe veniæ. fol. 188.
Quid tandem requiratur ad confeſſionem ſacramentalem. fol. 188. 189.
Quo peccato peccet, ſi quis, fingendo ſe confeſſorem, audiat ſacramentaliter. fol. 190.
Vtrum is, qui accipit ſecretum ab amico, ſi adducatur in teſtem, poſſit dicere illud. fol. 190. 191.
Vtrum, ſaltem ille, ſi præcipiatur ſub pæna excommunicationis poſſit dicere quod ab amico habuit ex ſecretis. fol. 192.
Vtrum, clauis, & character ſint vnum, & idem, & quomodo. fol. 197.
An Papa poſſit diſpenſare, vt non Sacerdos audiat confeſſionem ſacramentaliter. fol. 195.
An, ſaltem, ſtante neceſſitate, poſſit non ſacerdos ſacramētaliter audire. fol. 207.
Vtrum confeſſio facta laico ſit neceſſaria, & congrua. fol. 208. & 209. 210.
An confeſſio facta laico ſit congrua per modum conſilij. fol. 210. 211.
Quis ſit ſolus, & verus miniſter ſacramenti Pænitentiæ. fol. 213.
Vtrum, qui laico ſit confeſſus, teneatur iterū ſubijcere ſua peccata clauibus. fol. 213. 214.
Vtrum, eadem ſit ratio in ſacramento pænitentiæ, quæ eſt in ſacramento baptiſmi, & Confirmationis, quoad miniſtrum. fol. 214. 215.
Vtrum, laicus poſſit reuelare ea, quæ audiuit ex confeſſione ſibi facta. fol. 216. 217.
Vtrum, laicus poſſit dicere ea, quæ audiuit vt ſupra, etiamſi

ad id dicendum compellatur à Iudice? fol.217.
Vtrum, conſiliarius teneatur ſigillo, an ſecreto, ad ea, quæ ſibi dicuntur à confeſſario ex conſilio petendo. fol.220.
Vtrum, ſi conſiliarius interrogetur de ijs, quæ ſciuit cauſa conſilij dandi, debeat negare, an affirmare. fol.227.
Vtrum, ſuperior, ad quem confeſſor accedat, vt obtineat aliquam auctoritatem abſoluendi à reſeruato, teneatur ſigillo, an ſecreto, ad illud reticendum. fol.227.
Vtrum, qui repperit libellum, in quo deſcripta ſint peccata alicuius, teneatur ſigillo ad ea reticenda. fol.228.
An is cui iniuſte reuelata eſt cōfeſſio, vel à confeſſario, vel ab aliquo alio, teneatur ad illam celandam, ſecreto, an ſigillo. fol.229.

Ex ſectione Quarta.

Qui ſint modi loquendi, quibus, ſi vtatur confeſſor, frangit ſigillum. fol.241.
Vtrum, aliquando confeſſario liceat laudare pœnitentem. fol.243.
Quomodo reſpondere debeat Confeſſarius, ſi quando interrogetur, num abſoluerit vſurarium, meretricem &c. fol. 248.
Vtrum, damnetur vſus, quo confeſſarij inter ſe conſulunt de peccatis. & quid damnetur in hoc. fol.255.
Vtrum ſint modi reuelandi confeſſionem indirecte, & qui ſint. fol.172. & ſeq.
Vtrum laudandus ſit illi modus loquendi confeſſariorum, quo ſolēt dicere, hoc vel illo loco audiui, hæc, aut illa peccata. fol.255.
Quid faciendum confeſſario, ſi quando aduertat, male à ſe fuiſſe abſolutum pœnitentem. fol.261.
Quid, quando agnoſcat Confeſſarius, à pœnitente non adimpleri, quæ ab ipſo promiſſa ſunt. fol.262.
Vtrum confeſſarius poſſit corripere pœnitentem, & quando. fol.262.

Si quando pænitēs interrogetur à confeſſore, num ſibi dixerit hoc, vel illud in confeſſione, quid reſpondere poſſit, & teneatur. fol. 262.263.

Vtrum, ſi quis pænitens diceret, ſe velle occidere epiſcopum, idq; in confeſſione, quam facit, confeſſarius poſſit id reuelare epiſcopo, vt ſibi caueat. fol. 268.

Vtrum, peccata quæ explicantur in confeſſione à pænitente, animo illudendi, ac pertrahendi confeſſarium ad peccatū cadant ſub ſigillum. fol. 269.

Quid? quando confeſſarij immutent faciem ex confeſſione, quam audiunt. Vtrum illud ſit reuelare confeſſionem. fol. 272.

Quomodo ſe gerere debeant Superiores, ſi quando habeant exhortationes ad ſuos ſubditos. fol. 273.

Quid? quando confeſſarius imponeret pænitentiam pænitēti ſtatim perſoluendam. Vtrum aliquando id ſit reuelare. fol. 275.

Vtrum ſi confeſſarius diceret, aliquem eſſe illegitimū, quod tamen ipſe ſolum noſſet ex confeſſione, & ille ab omnibus legitimus haberetur, frangeret ſigillum. fol. 278.

Vtrum, pænitens excuſetur ab integritate confeſſionis, ſi quando aduertat probabiliter futurum, vt, ſi confiteretur peccatum, vel ipſe peccet, vel confeſſarius, vel aliquod damnū inſequatur in aliquem, vel periculum ſit, ne confeſſio reueletur. fol. 281. 282. 283. & ſeq.

Vtrum, pænitens poſſit manifeſtare complicem ſui peccati in confeſſione, quam facit, & quando. fol. 300.

Vtrum, ſi pænitens reuelet in ſua confeſſione complicem peccati, intelligatur, illum infamaſſe. fol. 303.

Vtrum, aliquando præceptum poſitiuum deroget præcepto naturali. fol. 297.

Vtrum ſemper, & ad ſemper illicitū ſit chartuſianis veſci carnibus. fol. 297. & 298.

Vtrum aliquando integritas confeſſionis poſſit impediri. fol. 298. 299.

Vtrum, quicumq; complex ſit exprimendus in confeſſione. fol. 305.

Vtrum, ſi quis habeat complicem nominandum in ſua confeſſione, melius ſit adinuenire confeſſarium, qui complicem non norit. fol. 307.
Vtrū ſit diſtrahenda confeſſio ex eo, quia pœnitens non poſſit confiteri, niſi illi, qui norit complicem. fol. 307. 308.
Vtrum perſona complicis cadat ſub ſigillum. fol. 309.
Quid ſi confeſſarius norit ex confeſſione ſibi facta, eccleſiam eſſe pollutam. fol. 315.
Quid, ſi curatus ex ſola confeſſione norit aliquos eſſe affines, & tamen hi coram curato in facie eccleſiæ ſe præſentant, vt matrimonio coniungantur. fol. 317.
Quid, ſi Curatus norit aliquem eſſe excommunicatum, qui tamen in facie eccleſiæ ſe præſentat illi ad Euchariſtiam recipiendam. fol. 318.

Ex ſectione vltima.

Quotuplici peccato peccet confeſſarius reuelando confeſſionem. fol. 321.
Vtrum, quando confeſſarius non aduertens reuelat confeſſionem excuſetur ab omni peccato, etiā veniali. fol. 323.
V. peccata venialia in ſpecie, & in indiuiduo cadant ſub ſigillum, fol. 326.
Vtrum laici puniantur eadem pœna reuelando confeſſionē, qua puniuntur Sacerdotes confeſſarij. fol. 327.
An pœnæ inflictæ contra confeſſionē reuelantes contrahantur ante ſententiam Iudicis, an vero poſt. fol. 330.
Quid dicendum? ſi quando accuſetur confeſſarius de confeſſione reuelata. fol. 335. & ſeq.
Vtrum laici reuelantes confeſſionem fiant etiam irregulares. fol. 345.

Index locorum ſacræ Scripturæ, qui in hoc opuſculo & adducuntur, & explicantur.

*Deut.*23. Ego occidã,& ego viuere faciam. fol.159.
1.*Reg.*2. Dominus mortificat, & viuificat. fol.159.
2.*Reg.*8. Quia tu ſolus noſti cor omnium filiorum hominum. fol.18.
*& cap.*12. Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. fol. 16.
3.*Reg.*8. Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum. fol. 238.
2.*Paralip.*6. Nemo eſt homo, qui non peccet. fol.18. 238.
*Iob.*1. Dominus dedit, Dñus abſtulit. fol. 195.
Pſal. 13. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. fol. 238.
*Pſal.*15. Nec memor ero nominum eorũ. fol.15.
*Pſal.*31. Beati quorum tecta ſunt peccata. fol.15.
Ibidem. Dixi, cõfitebor aduersũ me iniuſtitiã meã, & tu remiſiſti impietatẽ meam. ibid.
*Pſal.*51. Quid gloriaris in malitia? fol. 157.
*Pſal.*93. Vſquequo peccatores gloriabuntur? fol. 157.
*Pſal.*115. Omnis homo mendax. fol.236.
*Pſal.*42. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. fol. 223.
*Prouerb.*11. Fidelis, qui amici commiſſum celat. fol.14. 22.
*Prouerb.*20. Quis poterit dicere, mundum eſt cor meum. fol.238.
*Prouerb.*22. Melius eſt nomen bonum. fol.156.

Septies

*Prouerb.*24. Septies in die cadit iuſtus. fol.238.
*Ecclеſ.*7. Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta præcioſa. fol.156.
Ibidem. Non eſt iuſtus homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet. fol. 238.
*Eccleſ.*15. Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui. fol. 159.
*Eccleſ.*41. Curam habe de bono nomine. fol.156.
*Sap.*16. Tu Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem. fol. 159.
Iſa. 1. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. fol. 15.
Iſa. 3. Et peccatum ſuum, quaſi Sodoma prædicauerunt. fol. 157.
Iſa. 22. Et dabo ſuper humerũ eius clauẽ. fol. 195.
Iſa. 33. Conuertimini, & agite pænitẽtiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & nõ erit vobis in ruinam iniquitas. fol. 15.
*Ezech.*18. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor.
1.*Mach.*9. Abſit iſtam rem facere, vt fugiamus ab eis &c. fol. 160.
*Matt.*7. Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, hæc illis facite. fol. 24.
Matt. 16. Tibi dabo claues regni cælorũ, & quodcunq; ligaueris &c. fol. 101. 299.
*Matt.*18. Amen dico vobis, quæcunq; ſolueritis ſuper terram &c. fol. 101.
Ibidem. Qui autem ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt &c. ibid.
*Matt.*24. De die autẽ illo, vel hora, nemo ſcit, neq; angeli in cęlo, neq; filius hominis. fol. 50.

Nemo

*Luc.*18. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. fol. 238.

*Joan.*20. Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cælo. fol. 198. 210. 299.

*Joan.*13. Vnus veſtrum me traditurus eſt. fol. 316.

*Ad Rom.*3. Et ſicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala, vt eueniant bona.

*Ad Tit.*3. Hæreticum hominem poſt ſecundam, & tertiam admonitionem deuita. fol. 90.

*Ad Rom.*1. Detractores Deo odibiles. fol. 293.

*Ad Rom.*14. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. fol. 68.

1.*Cor.*7. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſenſit habitare &c. fol. 99.

*Ad Coloſſ.*2. In quo ſunt reconditi Theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. fol. 50.

1.*Cor.*2. Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat &c. fol. 25.

*Iacob.*3. In multis offendimus Deum. fol. 238.

*Iacob.*4. Qui detrahit fratri ſuo, detrahit legi. fol. 293.

*Iacob.*5. Confitemini alterutrum peccata veſtra. fol. 293.

1.*Petri* 4. Vniuerſa delicta operit Charitas. fol. 15.

*Apoch.*3. Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit. fol. 196.

1.*Joan.*1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus. fol. 238.

Digitized by Google

NOS F. Richardus Baronius Sac. Thelogiæ Profeſſor, ac totius Congregationis Fæſulanæ Viſitator Primus, ac Vice Generalis, facultatē facimus, ac concedimus, vt Opuſculum hoc, quod eſt De ſacro Sigillo, à Patre Hieronymo Onuphrio Romano Dilecto filio ex noſtra Familia, ſacræ Theologiæ Doctore, ac ſacarum Litterarum Profeſſore compoſitum, & ab omnibus, quibus hoc onus incumbit, approbatum, typis mandetur.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

In quorum fidem &c. has noſtras litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas dedimus. Dat. Romæ in Cænobio noſtro S. Hieronymi in Monte Quirinali, die 22. Aprilis, 1611.

Idem Fr. Richardus Baronius Viſitator Generalis.

In Domino confido.

FRATRIS

FRATRIS HIERONYMI ONVPHRII ROMANI

CONGREGATIONIS FESSVLANAE S. Hieronymi

OPVSCVLVM

DE SACRO SIGILLO.

TRACTANT de hoc ſacro Sigillo, tum Scholaſtici, tum Canoniſtæ, tum Summiſtæ. Magiſter ſentent. in 4. d. 21. quem ibidem ſequuntur S.Bonauen. Richard. Scotus. Durand. Paludā. Maior Capreol. Gabriel. S.Tho. Altiſsiodoren. lib. 4. ſum. q. 4. Alens. 4. p. Illuſtriſs. Caiet. tomo primo opuſcul. & in ſumma verbo. Confeſsio conditionē tertia. Adrian. q. de confeſsione Petrus Sotus lectio: de conſeſſ. 4. p. 2. Domin. Sot. tum in 4. d. 18. q. 4. tum in Releɛ. de tegen. & deteg. ſecreto. Ioann. Medina. C. de confeſsione tract. 2. q. 45. Melchior Canus p. 5. Releɛ. de ſacram. Pæniten. Roſella. verbo Cōfeſsio. S. Antonin. 3. p. tit. 17.

c.22.Piſanella verbo Confeſsionis celatio. Angelus. Silueſt. Tabiena verbo Confeſsio. Armilla verbo Confeſſor numero quinto. Nauarrus tum in Man.c.octauo per totum,tum.c. Sacerdos de Pæniten.d.6. Viguerius de ſacram. Pæniten.cap.16.§.4.verſ.20.Coſmus Philiarc. de ſacramen. Pæniten. lib.2.c.30.Viualdus de ſigillo confeſſ. Iacob. Caſtellanus verbo ſigillum. Iacob. de Graff. deciſion. aurearum.lib. pri. c. 23. Illuſtriſs. Toletus lib.3. tom. 2. c.53. Frãciſcus Suarius in tom.4.diſput. 33.de ſigillo confeſsionis. Petrus G'uſſanus Dialogo tertio cõfeſsionis. Barthol. Medina lib.2.c.quarto. Ledeſma 4.p. 2. Panormit. Abb. Hoſtien. in cap. omnis vtriuſque &c.de Pæniten.& Remiſsion. Simanc. in inſtit. Cathol. Couarruu. in 4. p. 2. c. 8. §. 12.

Cõditiones confeſſ. Aſsignantur autem ab his Doctoribus communiter ſexdecim confeſsionis ſacramentalis conditiones, quæ illis quatuor verſibus continentur.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecũda,
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Quæ omnes conditiones præcipuè afferuntur, & explicantur à D.Tho.in 4.d.17.q.3.ar.3. Caietano verbo confeſsio ſacramentalis. Armilla eodem verbo. Silueſt.verb. confeſsio primo nu. ſecundo. Tabiena ibidem nu. quarto Roſella ibidem nu.ſecundo. S. Antonin. 3. p. tit. 14.c.pri. & ſecundo. Viguerio de ſacram.Pæniten.

niten. ver. 27. Nauarro tum in Man. cap. 2. nu. 5. tum in cap. fratres de Pœniten. d. 5. nu. 2. Viualdo de cõfeſsione nu. 19. Eman. Rodriq. ſupra cap. 51. Fran. Suario ſupra diſput. 21. de confeſſ. ſect. pri. nu. ſecundo; vbi etiam ſupra dictæ omnes conditiones ad pauciorem quẽdam numerum ſufficienter reuocantur; & alijs communiter, tum Theolog. tum Canoniſtis, tum Summiſtis.

Porrò circa aſsignatas conditiones confeſsionis multæ, ac variæ ſolent excitari, atque exaggitari quæſtiones à dd. ſupra allegatis, præcipuè verò circa très; quarum prima eſt ſecreta, ſecunda integra, tertia lachrymabilis, quæ ſunt veluti principaliores conditiones confeſſionis, ad quas aliæ omnes facili negotio reuocari poſſunt.

Et, quoniam in vnaquaque re tria principaliter poſſumus conſiderare, ſubſtantiam; quantitatem, & qualitatem; ideo nos etiam hæc tria in ipſa confeſsione conſiderabimus, eſſentiam ſcilicet confeſsionis, eius quantitatem, ipſiuſque qualitatem.

Et quia ad qualitatem ſpectat conditio ſecreti ſacramentalis, ad quantitatem integritas, ad eſſentiam, & ſubſtantiam denique confeſſionis, conditio lachrymabilis; ideo de his omnibus, Deo adiuuante, agemus.

Miſsis autem his duabus poſtremis condictionibus, quæ ad prioris noſtri opuſculi inſtitutum non faciunt, nullo ſeruato ordine doctrinæ, ad qualitatem confeſsionis ſacramentalis

explicandam veniemus, Deo ita fauente, ad huius enim explicationem, & noſtra tendit inſtitutio, & nobis non multis abhinc annis data eſt occaſio; alias verò duas, quas nundum perfectas præ manibus habemus, quamprimum in lucem dare conabimur, ſic enim & totum hoc opus erit perfectum, & quod nobis à Reuerendiſs. Patre in Chriſto, Magiſtro Richardo Baronio, Deo ita diſponēte, Vice Generale, ac primo Viſitatore Vigilantiſsimo iuſto conſilio iuſſum eſt, omni ex parte, ex obedientia erit expletum.

Finis operis. Quare hic ſolum de ſigillo ſacramenti Pænitentiæ diſputabimus, in cuius gratiā hoc opuſculum inſtituimus. quod in quinq; ſectiones, facilitatis gratia, diuiſimus. *Ordo ſeruandus.* In quarum prima, De ſigillo in cōmuni agemus. In ſecunda, de eiuſdē ſigilli Sacramētalis qualitate. In tertia, de perſonis, quæ huiuſmodi ſigillo ligātur. In quarta, de materia circa quam verſatur. In quinta, & poſtrema, de Pænis inflictis contra frangentes ſigillum.

Volumus autem hæc oīa, quæ à nobis de ſigillo Sacramentali in hoc opuſculo dicenda erunt, ſi quem laborem, ſi quas vigilias habuerint, in ſolum Deum O. M., qui eſt omnium, quæ à mortalibus in hacvita fieri, atque excogitari poſſunt, α & ω, terminari, ac finiri.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

DE SIGILLO IN COMMVNI.

QVAESTIO PRIMA.

De vtilitate, vi, ac neceſſitate ſigilli Sacramentalis.

VT tantum opus, licet breuiſsimum; Deo fauente, aggrediamur, non ab alio incohãdum illud duximus, quam ab eiuſdem ſigilli vtilitate, vi, ac denique neceſsitate, nihil enim eſt, quod magis pertrahere ſoleat homines ad rem aliquam capeſſendam, ac proſequendam, quam certa eiuſdem vtilitas, vis, ac neceſsitas; Quãta autem ſit huius ſigilli Sacramẽtalis vtilitas; quæ vis, quæuè neceſsitas, vel ex eo maximè intelligi poterit, vt ſit vnum, qno Sacroſanctũ Pænitentiæ Sacramentũ Chriſti fidelibus maximè commendetur, ac commendatũ exiſtat; etenim homines à ſacramentali confeſsione facilè, aut dimouerentur, aut certè retardarentur, niſi certum exiſtimarent, ſigillum id præſeferre, vt potius moueantur, vel etiã impellantur Confeſſarij ad mortem ſubeundam, quam confeſſum ſacramẽtaliter delictum vlla ratione manifeſtandum; Magna ſiquidem huius ſigilli vis, quæ enim alia maior, aut eſſe, aut excogitari poteſt? cui etiam, quæ iure naturali videntur præſcribi, dant manus, cedũt, ſubijciuntur; quo, vel quæ maximis tormentis

Vtilitas ſigilli.

Vis ſigilli.

vix, aut nullo vnquam tempore à Iudice extrahi poſſunt, mirabili quodam modo eliciantur, vt potius Ciuitates euertendas, Reſpub. diſsipandas, Regna diſperdenda, ac bona denique omnia, vitam ipſam cenſeat deferendã, quàm ſacrum Pænitentiæ ſigillum violandum. Hinc homines ad peccata expianda, ſecreta confeſsione, ſpem aſſumunt; hinc omnes, & ſingulas peccatorum ſpecies, ac circunſtãtias ſimplicius Confeſſori dant, atque exponunt. Quid? ſacro ſigillo, bono proximi, eiuſdemq; famæ benè conſulitur, vitantur tot ſcandala, tot ſeditiones, tumultus, homicidia, ac penè infinita mala, quæ, vt inquã ſigillo ſubterfugiũtur, ſic contra, illo non exiſtente, omnia illa inſequi neceſſe eſſet. Accedit, natura optima duce, præſcribi hoc ſigillum, iure diuino præcipi, & iure denique eccleſiaſtico, & commendari, & mandari; Præcipit inquam ius eccleſiaſticum hoc ſigillum, dum contra infringentes illud maximas, eaſq; grauiſsimas, ac pæne ſine fine durandas pænas infligit, vt ſic homines iam certi de ſigillo ad peccata expianda magis allicerentur, & quæ difficultas in eo illis videretur, facillimè ſuperaretur; Præcipit ius diuinum, dum ipſe Dei filius Sacramenti Pænitentiæ inſtitutor peccata confeſſa celaturum promiſerit; Præcipit denique ius naturale, cum data, ac commiſſa fidei celanda præſcribit: vnde meritò ſapientiſsimus ille Socrates luminè naturali ductus, ſententiã nunquam ſatis laudandam nobis commendauit

Neceſsitas ſigilli.

Socrates.

ait, vt colendam potius dixerit fidem in arcanis, quam in creditis pecunijs; & Cato inter alia maximè poſteritati cōmendanda dixiſſe fertur, Amicorum arcana eſſe miro, ac ſingulari quodam modo celanda; Vnde Chriſtiano viro conijcere licebit, quantum inter Chriſtifideles ſit commendandum hoc ſigillū, ſi enim ij, qui nondum chriſti fide imbuti in rebus hiſce corporeis, & ad ſocietatem humanam pertinentibus tanti fecerunt amicorum, atq; aliorum arcana; quid nobis faciendum erit in ijs, quæ ad vitam ſpiritualem ſpectant? cùm tot nobis bona, tot commoda, tot denique beneficia ex ſacramētali ſigillo, tamquàm ex huberrimo fonte quotidie magis, magiſq; oriri planè perſpiciamus; vt meritò videantur ad cælum extollendi, qui tantùm huic vni ſigillo dedère. Neq; vero me latet huius ſigilli difficultas; atq; excellentia; quis enim vnquàm exiſtimauit permittendū potiùs, vrbes euerti, Regna diſperdi, Principes occidi, ipſas hæreſes diſſeminari, & deniq; alia ēt vel grauiora facinora, ſi quæ ſint, permitti, quā ſigillum frāgi; & tamēhæc omnia ſunt potiùs danda, nunquam frangendum ſigillum. Socrates aliquando dixiſſe fertur, facilius poſſe ignem contineri ore, quàm arcanum; imperitis tamen, ac nullius nominis uiris; nobis verò, quibus datum eſt, noſſe miſteria Dei, iam certò conſtat hæc ſigilli ſacramentalis excellentia, ac difficultas; ſed eandem, quæ Dei benignitas eſt, ac fauor, & ſuperamus, & vincimus; vt potius

Cato.

Excellētia ſigilli.

Socrates.

ignem ore continendum, quam Arcanum effundendū, ac propalandum fateamur. Quare nō erit ab re huius tāti ſigilli vtilitatem,vim, ac neceſsitatem hoc primo loco examinare.

Prima Concluſio. Maxima eſt vis ſigilli Sacramentalis.

Hæc concluſio melius patebit ex dicendis infra; hic tamen illam ſic poſſumus probare. Vis alicuius præcepti maximè cognoſcitur ex eo, ꝙ, ſi quando duo ſimul concurrunt præcepta obſeruanda, vnum alteri præponatur, ſed ſi ſimul concurrant hæc duo præcepta, conſeruatio ſcilicet vitæ propriæ, & obſeruantia ſigilli (nomine autem ſigilli impoſterum ſemper intelligemus ipſum ſigillum ſacramētale) poſtremum priori præfertur, vt patebit ſuo loco,ergo ſignum eſt,vim ſigilli maximam,ac ſingularem eſſe; quid enim magis inter mortales excogitari poteſt, quam vt hæc humana vita pro ſigillo effundatur?

Secunda Concluſio. Maxima eſt ſigilli vtilitas.

Hæc concluſio etiam melius infra patebit; interim tamen ſic poſſumus illam probare. Nam, quod homines non retrahantur à confeſsione neceſſaria ad ſalutem poſt peccatū, quod ad eandem maxime alliciantur, quod vitentur multa, ac plurima mala, atq; incommoda, ſit maximè vtile chriſtianæ Religioni; ſed hæc habentur ex ſigillo, ergò maxima eſt illius vtilitas; partes omnes huius argumenti ſingillatim infra probabimus.

Tertia Concluſio. Maxima eſt neceſsitas ſigilli.

Hæc item concluſio melius conſtabit infra, interim tamen poteſt probari, quia illud dicitur maximè neceſſarium ad rem aliquam conſequendam, ſine quo res illa, aut nullo modo, aut difficilè poteſt haberi, ſed ſi non eſſet huiuſmodi ſigillum, aut nullo modo, aut difficilè homines confiterentur, aut integrarent cõfeſsionem, vt ſuo loco oſtendemus; ergo neceſsitas huius ſigilli maxima eſt.

Obijcies primo, nihil videri peculiare in hoc ſigillo, quod non ſit etiam in ſecreto naturali, quod quiſque proximo tenetur ſeruare; ergo non videtur tantum commendanda uis huius ſigilli, vtilitas, ac neceſsitas. *Obiectio.*

Reſpondeo aſſumptum falſum eſſe, nam licet in vtroque ſigillo, & ſacro; & naturali ſit ſua fidelitas, attamen maior quædam eſt ſigilli ratio, vis, ac vinculum, quam ſecreti naturalis, vt infra probabimus.

Obijcies ſecundò, ideò neceſſe eſſe confeſſionem celari, quia neceſſe eſt in ſtatu naturæ lapſæ confiteri, nam reuera ſi non eſſet id neceſſarium, neque eſſet neceſſaria confeſsionis celatio, & conſequenter nullum eſſet periculum animarum, ſi homines à confeſsione abſtinerent; ergò ex quo in multis caſibus ceſſat obligatio confitendi, vt alibi oſtendemus; videtur etiam aliquando poſſe ceſſare obligatio celandi confeſsionem; ergò hoc ſigillum non videtur ſemper neceſſarium; fundatur *Obiectio.*

autem

autem vis huius argumenti in illa logica propoſitione deſumpta ex Ariſtotele tum primo poſter. textu quinto, tum ſecundo metaphiſ. textu quarto, *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*.

Ariſtot.

Reſpondeo, negando eandem eſſe rationem vinculi confeſsionis, & ſigilli; nam hoc ſtrictius illo eſt, vt docet Medina C. de confeſs. tract. 2. quæſt. 45 in reſpõſione ad ſupradictum argumentum, & nos dicemus ſuo loco. Vnde quamuis benè poſſet ob certas cauſas confeſsionem ommitti, attamen nunquam poterit confeſsionis ſigillum violari, facta confeſsione; niſi vno excepto caſu; vt infra docebimus.

Ad illam autem propoſitionem Ariſt. reſpondeo cum Zimara theoremate 58. Zabarel. in poſter. Ariſt. illam eſſe intelligendam cum dupplici limitatione, primo, vt forma, quæ fit, ſuſcipiat magis & minus, ſecundo, ut formaliter denominet cauſam, & cauſatum, & ſic valere in omnibus cauſis, ex quo fit, vt huiuſmodi propoſitio nihil faciat contra nos, neque ènim eadem ratio neceſsitatis, quæ reperitur in hoc ſigillo, reperitur eodem modo in confeſsionis ſacramento, vt alibi oſtenditur, vnde cum forma hæc neceſsitatis, vt ita dicam, non eodem modo denominet vtrumq;, id eſt, & ſacramentum, & ſigillum confeſsionis, neq; valebit illud genus arguendi, & ſic argumentum ruit.

Obiectio. Obijcies tertiò, finis propter quem ſigillum maxi-

maximè retinendum eſt, videtur eſſe is, ne fiat moleſta confeſsio, vnde homines à cõfitendo aut retardẽtur, aut reuocẽtur, ſed datur caſus, quo non minus reddetur odioſa confeſsio tacendo, quàm loquendo; ergò, minor probatur, nam ſi quis cõfiteretur ſe velle diſſeminare hęreſes, tunc videretur melius eſſe loqui, quàm tacere. ergò.

Reſpondeo cum Medina vbi ſup. in reſponſione ad idem argumentum, & ſi de facto daretur huiuſmodi caſus, quo videri poſſet, non reddi confeſsionem odioſam, ac moleſtam ex fractione ſigilli, id eſſe per accidens, per ſe tamen illud ſemper eſſe verum, poſſe inde reddi moleſtam confeſsionem, quod ſufficit ad retinendum ſigillum, vt ſuo loco probabimus. Vnde ad caſum propoſitum reſpondeo. Confeſſario potius tacendum eſſe, neq; enim licet per media illicita, ſicut eſt confeſsionis reuelatio, aliquid, vel ẽt optimum aſſequi, vt infra dicemus ex D. Paulo ad Rom. 3. *D. Paulus.*

Multa alia poſſent hoc loco adduci, quoniã tamen oĩa erunt & afferenda, & ſoluenda ſuis locis, ideò illis omiſsis, ad intelligentiam huius ſigilli veniendum eſt.

Q. SECVNDA.

Quid, & quotuplex ſit ſigillum.

OStenſa neceſsitate, vi, atque vtilitate huius ſigilli ſacramentalis, opere prætium eſt,

eſt, oſtendere, quid ipſius ſigilli, id enim videtur omnino neceſſarium initio cuiuſcumq; operis, teſte Ariſtotele primo poſter. cap 1. per quid autem ſigilli intelligimus hic dupplicem præcognitionem, nominis ſcilicet, & rei, (neque enim hoc loco ſtrictè cum logicis de his præcognitionibus loqui volumus) ita, vt primo præcognoſcendum nobis ſit, quid nominis ipſius ſigilli, tũ quid rei eiuſdẽ. pro quo

Ariſtot.

Sigillũ duplex.

Notan. eſt primo ex Nauarro in Manuali cap.8. Viualdo de ſigillo confesſionis numero tertio, & alijs, ſigillum in communi dupplici-ter accipi poſſe: primo propriè, ſecundo metaphoricè, ſi primo modo accipiatur, nihil aliud ſignificat, quam id, quo aliquid clauditur & obſeratur, ne ab alijs videatur, vt patet ex l. prima §. fin. & l. cum ab initio ff. quemadmodum teſt. aper. ſic litteræ, ſcripturæ, & alia huiuſmodi proprijs inſignijs obſerantur, vt, quod ad rem noſtram attinet, non poſsint ab alijs ſciri, quæ illis continentur; ſi vero ſecundo modo accipiatur ſigillum, nihil aliud ſignificat, quam obligationem ſeruandi aliquod ſecretum: Porrò hoc ſigillum ſecundo modo ſumptum, rurſus duplex eſt, aliud naturale, ſacramentale aliud, & licet hoc loco propriè ſermo ſit de ſacramentali, quod facit ad rem noſtram, nonnulla tamen etiam de naturali dicenda erunt, nihil vero de ſigillo propriè ſumpto.

Sigillũ metaphoricũ duplex.

Notan. ſecundo ſigillum hoc metaphoricũ ſacramentale in eo ſequi, ac imitari ſigillum pro-

propriè ſumptum, quod ſicut ſigillum propriè ſumptum non ſinit ea oculis cerni, quæ ſignata, atq; obſignata tenet, ſic ſigillum metaphoricum ſacramentale celat ea, quæ illi committuntur ex confeſsione, vt nullo modo ab alijs ſciantur vt docent Nauarrus in cap. ſacerdos de pæniten. d. 6. num. 35. & in Manuali cap. octauo nu. primo, Cardinalis Tolet. lib. 3. inſtruct. Sacerd. c. 16. num. primo, Iacob. Caſtellan. in ſuo compendio verbo ſigillum. & deſumptum eſt ex D. Thoma in 4. diſt. 21. queſt. 3. art. 1. quæſtiun. 3. ad tertium. *D. Thom.*

Prima Concluſio. Vtriuſque ſigilli metaphoricè ſumpti hæc eſt communis deſcriptio ex S. Tho. in 4. d. 21. cum communi, ſigillum eſt obligatio, vel debitum occultandi aliquid.

Probatur concluſio, quia illa eſt bona deſcriptio, quæ explicat eſſentiã deffiniti, ſed huiuſmodi eſt ſupraſcripta deſcriptio, ergò, probatur minor, & explicatur ſimul, nam ſicut ſigillum propriè ſumptum ita continet rem occultam v. g. in charta, tabella, aut aliqua alia re, vt iam diximus, vt non ab omnibus cernatur, ita ſigillum deffinitum debet occultare ea omnia, quæ ſub illo cadunt, vt non ab alijs ſciantur; vndè benè huiuſmodi ſigillum deſcribitur eſſe obligatio occultãdi aliquid; & Confeſſor, aut quicunque alius, qui ſecretum ab alio accipit, dicitur obligatus ad ſecretum occultandum.

Secunda Concluſio, Sigillum metaphoricũ naturale nihil eſt aliud, quàm debitum celan-

di,

di, quidquid celandum comittitur bonæ fidei alicuius.

Probatur concluſio: nam cùm hæc deſcriptio explicet totam naturam ſigilli naturalis; optima cenſenda eſt; explicare autem naturã definiti probatur, & explicatur ſimul, quia quiſque naturali iure obligatur ſtare promiſſis, nihil enim naturalius eſt, teſte Medina C. de Confeſſ. tract.2.q.54. quàm pacta, ac promiſsiones ſeruare, vndè dicitur Prouerb. vndecimo, *Fidelis, qui amici commiſſum celat.* ergò cum eo ipſo, quòd quis factum aliquod ab alio recipit, iam præintelligatur promiſiſſe illud idem ſecretum ſeruare, vt alibi oſtendemus, certè ad id naturali iure tenetur; ſed id nihil eſt aliud, quàm ſigillum metaphoricum naturale, ergò ſigillum metaphoricum naturale eſſe debitum celandi, quidquid ab alio recipitur celandum.

Prouerb.

Quid ſigillum Sacramentale.

Tertia Concluſio, Sigillum ſacramentale nihil eſt aliud, quàm debitum celandi peccata ex confeſsione habita, & ea omnia, præterea, vnde illius, qui pænitens eſt cognitio haberi poſsit. hanc deſcriptionem inter alios tradit Viguerius de Sacramento Pænitentiæ c. de ſigillo confeſsionis.

Hæc Concluſio melius infrà, & patebit, & explicabitur. Poteſt tamen breuiter hoc loco probari, quia omnis illa deſcriptio dicitur bona ex regulis logicis, quæ conſtat proprio genere, & propria differentia; ſed aſsignata deſcriptio ſigilli ſacramentalis conſtat ſuo gene-

re,

re, & ſua differentia, ergò, probatur minor, quia debitum celandi, eſt loco generis; in hoc enim conuenit ſigillum cum ſecreto, reliqua verò omnia, quæ ponuntur in deſcriptione, ſunt loco differentiæ, per ea enim optimè ſigillum Sacramẽtale à naturali ſecreto diſtinguitur, vt infrà dicemus. Ergò.

Sequitur primò, eſſentiam ſigilli ſecundũ ſe in eo conſiſtere, vt aliquid tamquã ſigillatum celetur, atq; occultetur, ne ab alijs poſsit videri, aut dignoſci: id quod melius patebit ex ſequenti quæſtione. *In quo cõſiſtat ratio ſigilli ſecũdum ſe.*

Sequitur ſecundò, vt, quoniam confeſsionis Sacramentum ex D. Tho. in 4. d. 21. vbi ſupra, & ſequitur Sotus in 4. d. 18. q. 4. ar. 5. concluſ. pri. eſt quoddam ſignum exterius, denotans aliquid, quod interius fit, dum peccator in confeſsione ſuorum peccatorũ exterius ſe Sacerdoti ſubijcit, nihil aliud ſignificetur ex Illuſtriſs. D. Belarmin. lib. 3. de Sacra. Pæniten. c. 11. quàm interna quædam peccatoris ſubiectio, ipſi Deo facta, à quo peccata confeſſa teguntur, celantur, & expiantur, modo quodã diuino, ac ſupernaturali; iuxtà illud Pſal. 31. *Beati quorum tecta ſunt peccata &c.* & paulò poſt, *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. item Pſal. 15. *Nec memor ero nominum eorum &c.* 1. Petri 4. *Vniuerſa delicta operit charitas* Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur*. item cap. 33. *Conuertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non* erit *S. Thom.* *Pſal. 31.* *Pſal. 15.* *1. Petri 4.* *Iſaia 1.* *itẽ c. 33.*

2.Reg. 12. *erit vobis in ruinam iniquitas*. 2. Reg. 12. *Cùm Dauid dixiſſet, Peccaui Domine; Reſpondit Nathã, Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum*. Vnde

S.Chriſoſt. S. Chriſoſt. in poſter. ad Thimot. *Sicut* inquit, *ignis, vbi ſiluã occupauerit, omnia purgare conſueuit, ità & charitatis feruor, quocunq; inciderit, omnia perimit, atque perrumpit; vbi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala*. & S. Ambroſius in

S.Ambroſ. Apolog. Dauid. cap. 7. vbi Dauid dixit, *Iniquitatem meam ego cognoſco*; remiſſum eſt ei omne peccatum, ergò remiſsionem mæruit iniquitatis, & texit charitate, atq, operuit peccata ſua. Ex quibus colligere licet, quid ſit Deum peccata tegere, celare, operire, vt benè docet Cardinalis Belarminius, numquam ſatis laudandus, lib. 4. de Pænit. c. is. neque enim eſt, nullo modo Deum peccata punire; ſed, vel Deum ex ſua bonitate non punire illa in æternnm, vel non punire etiam temporaliter, ſi peccator ſe ipſum puniat, vt dicam paulò poſt: Deus enim, tegendo peccata in ſacramento Pænitentiæ, confert gratiam pænitentibus, quemadmodũ & in omnibus alijs ſacramentis, digne ſuſcipientibus (id quod de fide eſt) qua illos in amicitiam ſuam recipit, eoſque ita reſpicit, ac ſi numquam peccaſſent, iuxta illud Ezechiel. 18. *omnium Iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor*; condonando, & commutando pænam æternam in temporalem, & hanc, vel etiam totã remittendo, ſi talis, tantaq; ſit vis charitatis pænitentis, vt id mæreatur, vt dicemus in ma-

Quid ſit, Deũ peccata tegere.

Ezechiel.

teria

teria de Contritione. Vt igitur redeamus ad propoſitum, cùm Deus in hoc Pænitentiæ Sacramento hoc modo tegat peccata, & ipſe ēt Confeſſarius, vt Chriſti delegatus, debet idipſum facere, id eſt, celare ea omnia, quæ ex confeſsione à pænitente recipit; vt habent, & docent Medina, & Viguerius, vbi ſupra, licèt hæc ratio non tàm demonſtret hanc ſigilli neceſsitatem, quàm aliquo modo explicet; vt aduertit Franciſcus Suarius, ſupra, diſput. 33. ſect. 1. nu. 5.

Sequitur tertiò, & vltimo, Confeſſarium in ordine ad ea, quæ habet ex confeſsione à pænitente, ligari vtroq; ſigillo metaphorico, naturali ſcilicèt, & ſacramentali, ut videbimus. *Confeſſor ligatur vtroq; ſigillo.*

Et hæc pro hac quæſtione, reliqua verò, quæ poſſunt videri hìc interſerenda, in ſequētibus afferemus, nè toties eadē accidant repetēda.

QVAEST. TERTIA.

Quo iure ſit præceptum ſigillum ſacramentale.

EXplicatis iam, quid, & quotuplex ſit ſigillum, reliquum eſt, ut videamus, quo nam iure ſit præceptum, An diuino naturali, An diuino poſitiuo, An eccleſiaſtico, & humano. pro quo,

Notan. eſt primò ex S. Thoma 2. 2. q. 70. ar. 2. ad ſecundum. Scoto in 4. d. 21. & loco infrà citando; Soto de tegen. & detegen. ſe- *S. Thom.*

creto memb. pri. q. 1. Nauar. in Manuali c. 18. nu. 52. Illuſtriſs. Caietano in 2. 2. q. 11. art. 3. & alijs, Secretum in genere eſſe illud, quod aut à nemine, aut à tàm paucis ſcitur, ut neq; ſit famoſum, neq; notorium: (quid autem requiratur ad famoſum, & notorium, nō eſt huius loci explicare.)

Quid ſit ſecretum in genere.

Secretum duplex.

Porrò hoc ſic definitum ſecretum diuiditur primò in id, quod vel ità eſt ſecretum, ut ab vno tantùm, & ſciatur, & ſciri poſsit ex natura ſua, ut ſunt interiores actus humani, qui, niſi dicantur, ab eo tantùm ſciuntur, à quo vel eliciuntur, vel imperantur, quod dicitur ſecretū per ſe. Dixi huiuſmodi actus internos ab vno tantùm ſciri, excludendo creaturas, & loquendo de Deo, qui primò cogitata omnia, & omnium creaturarum mentes nouit d. 32. c. erubeſcant, & habetur ex ſcripturis 2. Reg. 8. *quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum &c.* & 2. Paralap. 6. vbi repetuntur ead. verba. ſecundo diuiditur in id, quod ab alijs ſua natura ſciri poteſt, vt ſunt actus humani exteriores, & dicitur ſecretum per accidens; dicitur autem tale ad differentiam ſecreti per ſe, quia ſcilicet, cum ſit expreſſum ſigno exteriore, poteſt ſubeſſe humanæ cognitioni, licet per accidens dicatur ſecretum, quia ſcilicèt non ſunt teſtes, qui id audierint, qui deinde alijs, aut affirment, aut affirmare poſsint; de qua re legantur Caietanus vbi ſupra, & Sayrus lib. 3. caſuum conſcien. c. 4. nu. 19.

2. Reg. 8. 2. Paral. 6.

Notan. ſecundo hoc ſecretum per accidēs, quod

quòd ad noſtrum inſtitutum attinet tribus mó dis conſiderari poſſe obligare ad ſigillum, primo ex ſe ex natura ſua, vt ſunt, quæ nocent animæ, corpori, famæ, bonis, fortunæ, & alia huiuſmodi, quæ ex ſeipſis cadunt ſub ſecreto, ſecundo ex promiſsione aut tacita, aut expreſſa, vt ſunt, quæ ab amico alij amico cōmittuntur. Tertiò, ex Iure aliquo, aut diuino, aut eccleſiaſtico, ut accidit ijs, quæ committuntur in Sacramento Pænitentiæ, de quibus propriè hìc tantùm diſputamus. quare videndum eſt, ex quo nam capite huiuſmodi ſigillum tantā habeat vim obligandi in Sacramēto Pænitētiæ. *Secretum p accidens triplex eſt.*

Vnica Concluſio, Sigillū ſacramētale cōfeſſionis partim eſt iuris diuini naturalis, partim iuris diuini poſitiui, partim iuris eccleſiaſtici.

Hanc cōcluſionem habent cōmuniter DD. præcipuè verò Sotus tùm in 4. d. 18. q. 4. art. 5. concluſ. 1. tùm de tegen. & detegen. ſecreto, memb. 1. q. 2. concl. 1. Medina ubi ſupra q. 49. & 50. Viguerius ubi ſupra. Nauar. in c. Sacerdos. de Pæniten. d. 6. initio. Iacob. Caſtellan. ubi ſupra verb. ſigillum.

Probatur autem primò, prima pars concluſionis, quòd ſcilicèt hoc ſigillum ſit iuris naturalis; quia, ut rectè ait Sotus de teg. & deteg. ſecre. memb. 1. q. 1. & 2. ſeruare ſecretum eſt iuris naturalis, & pertinet ad virtutem fidelitatis, 22. q. 5. c. de forma fidelitatis, quæ pro natura, & qualitate ſecreti obligat; ergò cùm Confeſſarius teneatur ſeruare ſecretum, ut dicemus, id erit ex vi iuris naturalis, id quod in- *Sigillū eſt iuris naturalis.*

telligendũ eſt in ordine ad res alienas; nã ſeruari ſecretum in ordine ad res proprias, quãuis & id ſit neceſſarium, vt alibi dicitur, non pertinet ad virtutem fidelitatis, ſed continentiæ, vt docet Sotus de tegen. & detegen. ſecreto m. primo q. prima concl. tertia; fides enim, cũ ſit pars iuſtitiæ, propriè non eſt ad ſeipſum, ſed ad alterum, & ideo fidelitas propriè reſpicit alterum, qua tenemur, vt aiunt, & Medina, & Sotus vbi ſupra, proximi ſecretum non propalare, cum igitur fides non ſit ad ſe ipſum, neque ſeruare ſecretum in ordine ad res proprias pertinebit ad fidem, ſed potius, vt iam diximus, ad continentiam, hæc enim eſt, quæ propria coercere debet; Vndè incontinens vocatur, qui propria dicit.

Seruare ſua ſub ſecretũ pertinet ad cõtinentiã.

Fidelitas eſt ad alterum.

Secundò probatur concluſio ex illo principio omnibus noto; *Quod tibi non vis, ne alteri facias.* ergo, & confeſſor tenetur aliena, quæ ex cõfeſsione habet ſub ſilentio reticere quẽadmodum vellet propria, vt ſub ſilentio haberentur, ſequela de ſe patet.

Tertiò probatur, id omnibus natura inditũ eſſe, vt quiſque amet communem quandam ſocietatem, tranquillitatem, pacem atque animorum concordiam; ergo etiam Confeſſarius hæc eadem ex eodem iure naturali amare, ac velle tenetur; ergo etiam tenetur res, atq; arcana alterius ſigillata ſeruare, neque in publicum emittere, & probatur hæc vltima ſequela, nam id omnibus compertum eſt, ex ſigillo omnia illa bona enumerata conſequi, vt infra oſten-

oſtendemus . ergo cum ad ea bona, Confeſſarius teneatur lege naturæ proſequenda, etiam eadem lege naturæ ad ſigillum tenebitur . Quarto probatur,ea ratione tenetur Sacerdos ſeruare ſigillum, qua tenetur ſeruare promiſſum, ſed Sacerdos ex vi Sacramenti Pænitentiæ præintelligitur promisſiſſe ſigillum pęnitēti ergò iure naturali tenebitur Sacerdos ad hoc promiſſum ſeruandum, ergò etiam ad hoc ſecretum . pro explicatione tamen huius argumenti .

Nota.

Notan. eſt duo hic eſſe aduertenda; Primò, huiuſmodi obligationem ſigilli in ſacramento Pænitentiæ conſurgere ex promiſsione, quæ implicitè intercedere præſumitur inter Confeſſorem, & Pænitentem,dum hic ſe ſacramētaliter illi ſubijcit: nam ut docēt Medina ubi ſupra, Suarius ſup. diſputat. 33. ſect. 1. nu. 11. & alij,niſi pænitens certus eſſet,Confeſſarium ſub ſigillo omninò retenturum, quidquid ex confeſsione habet, ſine dubio, aut nullo modo peccata ſua illi committeret, aut certè ſi committeret,non integrè committeret; quare pænitens ex promiſsione illa implicita, cui tenetur ex lege naturæ Confeſsarius, tutiùs confitetur peccata ſua, & omni ex parte ſuam integrat cōfeſsionem . Secundò, hoc ſecretum naturale, quòd diximus intercedere in hoc ſacramento Pænitentiæ, nihil peculiare habere in illo,quod non habeat in qualibet alia re, etiam non ſacramentali: Verum tamen eſt, quòd, quatenus huic ſecreto accedit ratio ſacra-

Promiſsio itelligitur intercedere inter cōfeſſariū,& pænitentē.

Quid faciat ratio ſacramēti ſin ſecreto naturali.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cramenti, maiorem quandã contrahit obligationem, vt ſuo loco explicabimus. Vnde fit, ut, qui violat hoc ſigillum, non ſolùm peccet contra ius naturale, ſed etiam faciat iniuriam rei ſacræ contrà Religionem, ut docet D. Antonin. p. 3. tit. 17. c. 22. & benè explicat Suarius ubi ſupra nu. 9. & nos infra.

D. Antoninus.

Vnde ſequitur primò, ut, quoniam Confeſſarij fidelitati intelligitur pænitens, dum ſacramentaliter confitetur, ſua peccata committere, ut ſupra diximus, teneatur ille lege naturali fidelitatis, quæ ſunt commiſſa peccata, celare, non ſecus ac ſi alia celanda reciperet ab amico extra confeſsionem, iuxtà illud ſupra relatum Prouerb. 11. *Fidelis, qui amici commiſſum ſeruat.*

Prouer. 11

Præceptũ de nõ reuelando ad quodnam præceptum Decalogi reducatur

Sequitur ſecundò ex Soto de teg. ac deteg. ſecr. m. 1. q. 2. ad ſecundum, hoc præceptum de nõ reuelando ſecretum, quod diximus pertinere ad ius naturæ, reduci ad octauum præceptũ Decalogi, *Non falſum teſtimonium dices.* nam quod Confeſſarius de pænitẽte dicit extrà confeſsionem fracto ſigillo, perinde eſt, ac ſi falſum de illo diceret; nihil enim minus ſcit Confeſſarius, ex D. Bernardo, quàm quæ per confeſsionem ſcit. Accedit, quia, quod non poteſt probari in Iudicio, pro falſo habetur, ex communi doctrina; Igitur cùm Confeſſarius non poſsit probare, quod habuit ex confeſsione, cùm tamẽ id neceſſariò requiratur, ne falſum dixiſſe dicatur, 2. q. 8. c. Sciant. Confeſſarius, ſic dicendo, falſum dicere cenſetur, vnde

D. Bernar.

neq;

neq; illi creditur. Quæ tamen, quomodo ſint intelligenda, infrà à nobis explicabuntur.

Secunda pars concluſionis, quod ſcilicet ſigillum ſit iuris diuini poſitiui probatur primo, quia ſicut inſtitutio Sacramenti Pænitentiæ, ius diuinum poſitiuum eſt, vt multis inter alios probant Melchior Canus p. 5. Releɛt. de Sacram. Pæniten. & Illuſtriſs. Belarmin. lib. 3. de pænit. c. vndecimo, & duodecimo; ſic & ſigillum, quod continetur in confeſsione, erit iuris diuini poſitiui, ſequela de ſe patet: Quomodo autem ſigillum contineatur in confeſsione, poſtea examinabimus.

Sigillũ eſt iuris diuini poſitiui.

Confirmatur, quia ſine tali ſigillo, aut nullo modo, aut vix poſſet Confeſsio ſacramentalis ſubſiſtere, vt habet Coſmus Philiar. de Sacra. Pænitentiæ lib. 2. cap. 30. Vndè Chriſtus, cùm illam inſtituit, ſaltem implicitè videtur etiã inſtituiſſe hoc ſigillum, vt dicemus, ergo ſi inſtitutio Sacramenti Pænitẽtiæ eſt iuris diuini poſitiui, eiuſdem etiam iuris diuini poſitiui videtur ipſum ſigillum.

Secundò, probatur eadem pars ex D. Antonin. 3. p. vbi ſupra. Medin. q. ſupra allegata. Nauar. c. Sacerdos de Pænit. d. 6. nu. 32. Iacobo Caſtell. verb. ſigillum, & alijs. dum peccator confitetur ſua peccata Sacerdoti confeſſori, adeſt Deus celans, & tegens illius peccata, iuxta ea, quæ ſup. retulimus. ſed Sacerdos in miniſterio confeſsionis eſt miniſter Dei; ergo, & ipſe iure diuino tenetur tegere, & celare peccata audita ex confeſsione.

D. Antonin.

Matt. 7. Tertio ꝓbatur ex illis verbis Chriſti Matt. 7. *Quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, hæc illis facite*. (fundantur autem hæc verba Chriſti in illo principio lumine naturæ noto, quod ſupra retulimus, *Quod tibi fieri non vis, ne alteri facias*.) ſed quiſque vellet ſua ſub ſilentio reticeri, ergo etiam Confeſſor ex verbis Chriſti tenetur ſeruare pęnitenti, vt, quæ ab illo habet ex confeſsione, celet ſigillo.

Vnde ex ſcript. colligatur ꝓceptum ſigilli. Si petas vndè nam colligatur ex ſcripturis præceptum hoc ſigilli?

Reſpondeo cum Soto, Medina, vbi ſupra, & alijs præceptum ſigilli Sacramentalis colligi ex pręcepto ipſo Sacramenti Pænitentiæ Ioān. Ioan. 20. 20. & licet id clarè ibi non habeatur, non obſcure tamen deducitur, cum præſertim Conc. Cōc. Trid. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. id ſemper ita deduxerit: quod tamen, antequàm à nobis explicetur,

Vnum ſupponendū eſt, quod cōmuniter cōceditur à Schola tū Phyloſophorū, tū Theologorū, Ariſtot. ex Ariſt. ſecūdo Phiſ. ex neceſsitate finis argui neceſsitatem mediorū, ut v. g. quia nullo modo naturaliter poſſumus viuere ſine cibo; propterea benè poteſt concludi, cibum eſſe neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem; ſic in re noſtra poſſumus arguere de ſigillo, quia Confeſsio ſacramentalis lapſis poſt baptiſmū eſt ſimpliciter neceſſaria in Eccleſia Dei, Cōc. Trid. (quod eſſe de fide patet ex Cōcil. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. & multis, vt alios multos omittam, probat Canus p. 5. Relect. de ſacram. Pæniten.) & aut nullo modo, aut vix poſsit haberi, aut

ſuſten-

ſuſtentari ſine ſigillo; ideò benè concludi poteſt, & hoc ſigillum eſſe neceſſarium, vt rectè deducit Sotus vbi ſupra; ergò, cùm ex præcepto diuino ſit Confeſsio neceſſaria, ex eodem etiam præcepto erit neceſſarium ſigillum: vnde patet, quomodo ex ſacro textu benè deducatur ſigilli neceſsitas.

Sequitur primò, quomodo intelligendus ſit Franciſcus Suarius, ut verus ſit ſupra diſp. 33. ſect. 1. num. 10. ubi dicit, ità eſſe de iure diuino hòc ſigillum, ut tamen non ſit tanquã quid poſitiuum ſuperadditum Pænitentiæ ſacramẽto, ſicut eſt in Eccleſia, ut ipſe ait, præceptũ præmittendi confeſsionem ante cõmunionẽ; id quod patet ex pri. Corrin. 2. *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat &c.* & deducitur ex cap. omnis vtriuſq; &c. de Pæniten. & remiſſ. ubi occaſione ſumendæ Euchareſtiæ tempore Paſchatis præcipitur ſacramentum Pęnitẽtiæ, licèt hæc non dicantur à Suario ibi; nam ſi Suarius neget, hoc ſigillum eſſe aliquid ſuperadditum ſimpliciter, & ſecundum omnem rationem, falſum aſſerit; certum enim eſt, quatenus hoc ſigillum nõ conſtituit ipſum Sacramentum, quod ſolùm conſtituitur ex ſua materia, & ex ſua forma, ut alibi dicemus, dici poſſe ſuperaddi Pænitentiæ ſacramento, quatenus ſcilicet eſt extrà eſſentiam illius: neque crediderim, aliud voluiſſe Suarium; ſi autem aſſerat, hoc ſigillum non eſſe aliquid ſuperadditum, quatenus ſcilicèt non omninò de foris aduenit, & quodammodò videtur intrinſecũ,

1. Corin. 2.

Impugnatur Suar.

cùm

cùm fluat ex natura ipſius ſacramenti Pœni-tentiæ, ut poſtea explicabimus, verum quidẽ dicit, ſed nihil noui affert, id enim & Sotus ſup. q.4. ar.5. poſt primam concluſ. & alij docuerunt, & patet ratione, quia eo ipſo, quòd Pœnitentiæ ſacramẽtum fuit à Chriſto Domino inſtitutum, id habuit, ut eſſet ſecretum, ut ſupra oſtenſum eſt: quomodo autem hoc ſecretum conueniat ſacramento Pœnitentiæ, infra dicemus.

Quid Pœnitentia. *Cõc. Trid.*

Sequitur ſecundò ex Tabiena verbo Confeſsio ſecundò, nu. 1. ut ſicuti præceptum de Confeſsione ſacramentali eſt de iure diuino, neque poteſt aliqua diſpenſatione, aut præcepto humano tolli, eſt enim Pœnitentia vnum ex ſeptem Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis, quo lapſis poſt baptiſmum beneficiũ mortis Chriſti applicatur, ut aſſerit Concil. Triden. ſeſſ. 14. c. 1. & neceſſarium ad ſalutẽ, ex c. 2. ibid. in quod nulla poteſtas humana poteſt; ſic & hoc ſigillum, cùm ſit de iure diuino, nullo modo poteſt aut tolli, aut diſpenſari, ut infra melius patebit, & docent Vigue. ubi ſupra, & Sotus de tegen. & detegen. ſecr. m.3. q.4. concl. 1.

Strictius eſt ſigillũ, quã ſit ſecretũ naturale.

Sequitur tertiò, ex Iacobo Caſtell. verb. ſigillum. hoc quidem ſigillum confeſsionis magis eſſe ſeruandum, quàm ſigillum ſecreti naturalis, cùm hoc ſit ex aliquo caſu diſpenſabile, non item illud, ut poſtea dicetur, & conſequenter, ut benè colligit Nauar. in c. Sacerdos. de pœnit. diſ. 6. nu. 38. multo grauius peccare

illum,

illum, qui ſacramẽtale ſigillum frangit, quàm qui naturale ſolùm; nam qui frangit ſacramẽtale, peccat dupliciter, ut ſuo loco dicemus, ſcilicèt contra legem diuinam naturalem, & contra legem diuinam poſitiuam, facit enim contra virtutem fidelitatis, & præterea facit iniuriam ſacramento, committendo ſacrilegium contra religionem, ut docent Nauar. in Manu. c.8. nu.5. S. Antonin. p.3. tit.17. c. 22. Viguer. ubi ſupra; Sotus de tegen. & detegen. ſecr. m.1. q.1. & nos fuſius infra. Non ſic autem, qui ſolùm frangit ſecretum naturale, qui ex vno tantũ capite peccat, contra fidelitatẽ.

Sequitur vltimò ex Nauar. in cap. Sacerdos. de pænit. d.6. nu.36. & Viualdo ſupra nu. recitato, ſigillum ſacramentale, & ſecretum naturale non dici ad conuertentiam; licèt enim omne ſigillum confeſsionis ſit etiam naturale, non tamẽ contrà, omne naturale eſt etiã ſacramentale, ut de ſe patet.

Tertia pars Concluſionis, quòd ſcilicèt ſigillum ſit Iuris eccleſiaſtici. *Sigillum ẽ iuris eccleſiaſtici.*

Probatur tùm ex cap. Sacerdos, de Pænit. d.6. tùm ex cap. Omnis vtriuſq; &c. de pænit. & remiſs. ubi infliguntur pænæ ijs Confeſſoribus, qui huiuſmodi ſigillum fregerint; ergò, ſignum eſt, Pontificem velle, & præcipere ſigillum. Pro quo

Notan. eſt, quod doctiſsimè aduertit Suarius ubi ſup. num.8. hanc obligationem ſigilli non oriri ex Iure poſitiuo humano; ut ſic, tùm quia vis huius ſigilli, ut ipſe ait, videtur ſupe- *Quomodo ſigillum ſit iuris eccleſiaſtici.*

rare ſaltem aliquando omnem humanam facultatem, ut ſuo loco demonſtrabimus, tùm quia etiam non exiſtente hoc pręcepto humano, adhuc confeſsio petit ſigillum, ut iam dictum eſt, ex lege diuina poſitiua, tùm deniq; quia humana facultas nullo modo poteſt in illo diſpenſare. Quare, quòd dicatur ſigillũ eſſe ex Iure eccleſiaſtico, id intelligendum eſt ità, ut ſuppoſita obligatione & naturali, & diuina de hoc ſigillo, Eccleſia, quantũ eſt ex ſe, præcipiat illud quidem, non ſimpliciter, ſed apponendo pænas, quibus Confeſſarij in obedientia ſigilli cõtineantur, & arceantur: & in hoc ſenſu intelligitur noſtra concluſio, quòd ſcilicèt hoc ſigillum ſit Iuris humani eccleſiaſtici.

Ex quibus vnum ego colligo, quàm grauiter peccent Confeſſarij reuelando, ac frangẽdo ſigillum; ſi enim, ut docet Ludouicus Molina de contract. tract. 2. diſput. 342. nu. 2. & diſput 344. nu. 4. ex appoſitione grauioris pænæ colligitur læthalis tranſgreſsio rei præceptæ; quis non viderit, cùm tot ſint, tantæq; pænæ inflictæ contra reuelantes, Confeſſarios reuelantes grauiſsimè peccare? Sed de hoc Sectione quinta dicendum erit.

Sequitur ex his, quæ diximus in hac Quæſt. nos benè aſſeruiſſe, hoc ſigillum ſacramentale partim eſſe Iuris naturalis diuini, partim Iuris diuini poſitiui, partim deniq; Iuris eccleſiaſtici; ut ſic oſtenderemus, non ex vno tantùm capite, ſed ex pluribus hoc ſigillum fortiri

ri ſuum effectum, & obligare ad ſilentium, ità ut ex Iure naturali, qui ſacramentaliter audit, obligetur ad celādum ſimpliciter; ex Iure diuino ſtrictius ad idem obligetur, & in omni caſu; ex Iure denique eccleſiaſtico ex timore pænæ in obedientia coerceatur, ut ſuis locis demonſtrabimus.

Conſtat igitur ex dictis, quomodo hoc ſigillū ſit Iuris naturalis, diuini, & humani. Nūc veniendum eſt, ut explicemus, quomodo hoc ſigillum reperiatur in Confeſsione ſacramentali.

QVAEST. QVARTA.

An, & quomodo ſigillum ſit de ratione ſacramenti Pænitentiæ.

SIgillum reperiri in Confeſsione ſacramentali, iam patet ex quæſt. ſuperiore: Quomodo autē reperiatūr, & in ea ſit, An tanquā quid eſſentiale, An tanquā paſsio aliqua, An aliquo alio modo, hic examinandum eſt.

Prima ſententia eſt Aureoli in 4. d. 21. quē refert, & ſequitur Angelus verb. Confeſsio vltimò, qui affirmant ſigillū eſſe de eſſentia Pænitentiæ.

Poteſt autem probari hæc ſententia, quia, ut inquit Angelus ibidē, de ratione & eſſentia Sacramenti eſt, ut ſit ſignum efficax, id quod cōmune eſſe omnibus ſacramētis; inter alios, multis oſtendit Illuſtriſs. Belarminus de Sa-

cram.

cram. in genere, lib. 1. c. 12. Sed ſacramẽtum Pęnitentiæ ſignificat, & quòd Deus expiat peccata pęnitentis, & quòd illa eadem & celat, & tegit; ergò, ad rationem illius pertinet ſigillũ. Vnde colligit Angelus ibidẽ, eum, qui peccata, audita ex cõfeſsione ſacramentali, reuelat, irritum facere ſacramentum, quia aufert ab illo naturam ſuæ ſignificationis.

D. Thom. *D. Antonin.* Secunda ſententia eſt S. Thomæ in 4. d. 21. q. 1. ar. 1. S. Antonini locis ſupra citatis. Tabienæ ubi ſupra num. 1. & Viguerij ſupra cum cõmuni, aſſerentium hoc ſigillum eſſe in Confeſsione, non tanquàm quid illius cõſtitutiuũ, ſed tanquã quid, quod fluat ex illius natura.

Duplex ſecretum in cõfeſsione. Notan. primò, duplex conſiderari poſſe ſecretum in Confeſsione, alterum ex parte Pænitentis, alterum ex parte Sacerdotis. Si primum conſideretur, certum eſt, hoc ſecretum non eſſe neceſſarium ad confeſsionem, ut dicemus ſuo loco; & ratio eſt, quia, etiamſi quis ſua peccata publicè confiteretur, ſi tamẽ aliunde non poneret obicem Sacramento, poſſet

De confeſſione publica. ritè abſolui, ut habet Nauar. c. 2. nu. 8. & c. 21. nu. 36. & hoc modo fuit olim confeſsio publica, de qua, inter alios, plura docet Belarmin. lib. 1. de Pænit. c. 21. & lib. 3. cap. 14. quia tamen aliquando peccata publicè confiteri, vtile non eſt, ut docet idẽ Nauar. ubi ſupra nu. 8. & habetur ex D. Chryſoſt. hom. 8. de Pæniten.

S. Chryſoſ. ubi ſic habet, *Non reueles vlcus, non in cõmune theatrum accuſationem producas, non delictorum teſtes ſtatuas &c.* & hom. 31. in epiſt. ad Hæbræos

bræos, ait, *Non dico tibi, vt te prodas in publicũ, neq; vt te apud alios accuſes &c.* Ideò ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. nullum eſt præceptum diuinum, quod obliget ad huiuſmodi confeſsionẽ publicam; id quod etiam patet de Pænit. 33. d. 1. q. 2. cap. Quis. Si tamẽ hæc confeſsio publica aliquo caſu fieret, poſſet eſſe laudabilis, ex eodem Concil. Trid. ibidem; & tenent Silueſt. verb. Pænitentia. Nauar. ubi ſup. & Vi- ualdus de pæniten. nu. 18. quod tamen intelligendum eſt, niſi ex cõfeſsione publica ſequatur aliquod ſcandalum. Hinc ſequitur, cõfeſſionem per interpretem, per nuntium, per litteras, qua ratione videntur eſſe contra ſigillũ, nõ eſſe irritã, ut docuit Rodriquez de confeſſ. c. 51. nu. 1. Dixi, quatenus ſunt contra ſigillum; nam ſi loquamur de confeſsione, quæ fit per nuntiũ, vel per litteras, (nam de ea, quæ fit per interpretem, alibi dicemus) certum eſt, illam ut ſic, nunquàm eſſe in præcepto, ex 88. de pæniten. d. 1. cap. Quem pænitet; & docet Illuſtriſs. Toletus lib. 3. ſupra, c. 6. nu. 3. & non eſſe tutam, ut habet Canus p. 5. releċt. de Pænit. cuius rei ratio ab ijſdem Cano, Toleto, & Rodriq. ubi ſup. aſsignatur; quia, ut alias omittã rationes, poteſt eſſe, ut pænitens, quãdo deinde recipit abſolutionem ex confeſsione facta, aut per litteras, aut per nuncium, non ſit amplius ad illam diſpoſitus, quod eſſe neceſſariũ ad abſolutionem recipiendam, alibi oſtendetur. Vnde iure optimo condemnãtur à felici mem. Clementis Papa VIII. huiuſmodi confeſ-

Cõc. Trid.

Cõc. Trid.

De confeſſione p interpretem, p nũtium, & per litteras.

Clemens PP. VIII.

tura ſua à ſubiecto, nõ intelligimus illam eſſe idem realiter cum ſubiecto, id enim non eſt neceſſarium, ſed ſubiectum illud nõ poſſe reperiri, modo ſibi connaturali, ſine illa paſsione; etiamſi paſsio illa poſsit etiam interdum conuenire alijs, ut patet de calore, qui ex natura ſua non ſolùm eſt in igne, ſed etiã in multis alijs; & ideò hæc inſeparabilitas non neceſſariò oritur ex natura paſsionis, ſed potiùs ex natura ſubiecti, etiamſi interdum oriatur ex natura paſsionis, ut videre eſt de calore. Hoc idem totum reperire eſt in ſacro ſigillo, reſpectu ſacramenti Pænitentiæ, licèt enim ſigillum non ſit vnum & idem cum Pænitentiæ ſacramento, eſt tamen adeò connexum, vt ſacramentum Pænitentiæ non poſsit eſſe in ſuo ſtatu connaturali, & completo, ut ita dicam, ſine illo, etiamſi ſigillum, vel etiam alijs poſsit conuenire, ſicut diximus de calore, reſpectu ignis; hoc enim exemplum maximè explicat totam hanc rem de ſigillo in ordine ad Confeſsionem, cuius eſt paſsio, & proprietas.

Prima Concluſio. Sigillum non eſt pars eſſentialis ſacramenti Confeſsionis. *Sigillũ nõ eſt pars eſſentialis cõfeſsionis.*

Prima Concluſio, quia partes eſſentiales rei ſunt materia, & forma, vel quæ ſe habent tanquàm materia, & forma, quæ in hoc ſacramẽto Confeſsionis ſunt actus Pænitentiæ, Contritio ſcilicèt, Confeſsio, Satisfactio, & Abſolutio, ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. ergò ſigillũ non eſt pars eſſentialis hoc modo; quod docent Sotus tùm loco jam citato in 4. d. 18. tùm *Cõc. Trid.*

 in

in lib. de tegen. & detegen. ſecr. mem. 3. q. 4. concluſ. 1. & alij cõmuniter. Confirmatur, quia ſi ſigillum eſſet eo modo pars eſſentialis Confeſsionis; ſequeretur, ſigillo non ſubſiſtente, neq; ſubſiſtere ſacramẽtum Confeſsionis; quod tamẽ falſum eſſe docet D. Antonin. & Sotus locis ſup. citatis; & nos iam innuimus.

D. Antonin.

Sigillum ẽ proprietas cõfeſsionis

Secunda Concluſio. Sigillum eſt tanquàm paſsio, & proprietas Confeſsionis. Explicatur Concluſio, perſiſtendo in eodem exemplo caloris, reſpectu ignis; nam ſicuti calor conſequitur ipſum eſſe ignis, & ex ipſius eſſentia fluit, ſic obligatio ad ſigillum conſequitur ipſum eſſe ſacramenti Pænitentiæ, atq; ex ipſius eſſentia fluit; & quemadmodum ab igne nunquàm, phiſicè loquendo, poteſt ſeparari calor, ut dicit aptitudinem ad calefaciendũ, licèt poſsit ſeparari actus ipſe calefactionis. Sic in hoc Sacramento, illa obligatio ad ſigillum, eſt quidem inſeparabilis ex natura ſua ab illo, licèt ipſa actualis celatio aliquando ſeparetur, & impediatur, ut poſtea demõſtrabimus: & hoc totum docet Tabiena verb. confeſſ. celatio. nu. 5. licèt id explicet alio exemplo, deſcenſus ſz. aut aſcenſus rei grauis, & leuis. Sic igitur explicata concluſ. probatur.

Porphyr.

Primò, quod conſequitur ad eſſe rei, & illi conuenit aliquo ex illis modis, quos aſſignat Porphir. in cap. De proprio. dicitur proprietas, & paſsio illius: Sed ſic ſe habet ſigillum, reſpectu ſacramentalis Confeſsionis; ergò.

proba-

probatur Minor, quia ſigillũ omni Confeſsioni ſacramẽtali, ſoli, & ſemper conuenit: ergò.

Neque dicas, ſigillum alijs etiam conuenire; ergò, non ſoli confeſsioni. Reſpondeo enim, ſigillum, ut eſt omninò indiſpenſabile, nulli alij, niſi ſoli Confeſsioni ſacramentali conuenire, ut ſuo loco dicemus. Vnde ſequitur, ſigillum habere rationem proprij, reſpectu ſacramenti Confeſsionis. *Obiectio.*

Ad argumentum prioris ſententiæ reſpondeo, Sacramẽtum Pænitentiæ continere quidem in ſe ſigillum, ſed non eo modò, quo dicitur in argumento, ut ſcilicet ſit id, à quo cõſtituatur in eſſe Sacramenti; nam, ut iam oſtendimus, ſacramentum hoc, ſicut & alia ſacramenta, & quælibet alia res, cõſtituitur per ſuam materiam, & ſuam formam; ſed continere ſigillum, tanquàm quid, quod fluit ex eſſentia ipſius, ſicuti dicitur fluere paſsio ab eo, cuius eſt paſsio. Id quod indicauit Viguer. vbi ſupra, dicens, occultationem ſequi naturam ſacramenti Pænitentiæ.

Sequitur primò, Quomodo intelligẽdus ſit D. Thomas in 4. d. 21. ar. 1. dum dicit, Confeſsionem eſſe omnino celandam; vnde nonnulli moti ſunt, ut dixerint ex ſentẽtia D. Thomæ, celationem eſſe eſſentialem Confeſsioni: Nam ſanctiſsimus Doctor, ſplendor, & decus nobiliſsimæ, ac omnium bonarũ artium, ſcientiarum, ac ſanctitatis locupletiſsimæ familiæ S. Dominici, nihil aliud eo loco voluit, niſi quòd Confeſsio debeat eſſe celata, ità, ut celatio *D. Thom.* *Quid voluerit Sanctus Tho.*

ſequatur ipſam Confeſsionem ſacrāmētalem, ſicut paſsio conſequitur ſuum effectū; id quod voluiſſe Viguerium, diximus paulò ante.

exponitur Aureolus. Sequitur ſecūdò, Quomodo etiam ſunt intelligendi alij DD. & fortaſſe ipſe Aureolus, quem citauimus ſupra in priori ſentētia, dum dicunt, ſigillum eſſe de eſſentia Confeſsionis ſacramentalis; nam ſi velint, ſigillum eſſe de eſſentia confeſsionis, ità ut conſtituat ipſam confeſsionem, in eſſe confeſsionis, falſum dicunt, & iam à nobis refutatum eſt: quòd ſi dicant, ſigillum eſſe de eſſentia confeſsionis, vel quia (ut ait Tabiena, & Viguer. ubi ſupra) *D. Antonin.* fluat ex eſſentia illius, vel (ut ait S. Antonin. & item Viguer. locis etiā ſupra citatis) ipſa natūra ſacramenti neceſsitet Cōfeſſorem, & alios etiam ad ſigillum, & verum dicunt, & nos iam conceſsimus, & docet Sotus de tegen. & deteg. ſecr. vbi ſupra.

Confeſsio dicitur obiectum ſigilli. Sequitur vltimò, Confeſsionem, quæ eſt veluti ſubiectum ſigilli ſacramentalis, poſse dici, reſpectu illius, cauſam materialem, formalē, efficientem, & finalem, eò modo, quo D. Tho *D. Thom.* mas p. 1. q. 77. ar. 7. & opuſculo 4. d. cap. ſextò aſſerit, ſubiectum, reſpectu ſuæ paſsionis, dici poſse cauſam illis quatuor modis, (loquimur autem hìc de cauſa latiori modo ſumpta). habet autem confeſsio rationem cauſæ materialis, quia ſigillum inhæret ipſi confeſsioni, tanquàm ſubiecto cuidam, neq; poteſt, ut eſt omninò indiſpenſabile, ſine illa reperiri; quod autem eſt huiuſmodi, habet rationem cauſæ

mate-

materialis, Secundò, habet rationem cauſæ finalis, quia, ut omnes proprietates ordinatur ad ſua ſubiecta, vel ad eorum cõſeruationem, vel ad operationem, vel ad perfectionem, & complementum, ſic ſigillum ordinatur ad cõfeſsionem, ſaltem ad conſeruationem; eatenus enim confeſsio ſacramẽtalis inter Chriſti fideles conſeruatur, quatenus ad ipſam ordinatur celatio, & ſigillum. Tertiò, habet rationem cauſæ efficientis, quia poſita confeſsione ſacramẽtali naturaliter, & ex ſe, ut ita dicam, ſequitur celatio, ſeu ſigillum: Quod autẽ tale eſt, ut, poſito vno ex ſe, ſequatur aliud, ex bona Phyloſophia poteſt dici cauſa efficiens illius, licèt impropriè. Deniq; habet confeſsio reſpectu ſigilli, rationẽ cauſæ formalis, quatenus tale ſigillũ, ſcilicèt ſacramentale, ſequitur talem confeſsionem, ſcilicet ſacramentalem, & natura ſigilli pendet ex natura confeſsionis; ideò enim ſigillum eſt ſacramentale, quia confeſsio eſt ſacramentalis, ut infrà explicabimus. Quare his quatuor modis poteſt Confeſsio ſacramentalis dici cauſa, reſpectu ſigilli.

Et hæc dicta ſint de ijs, quæ pertinebant ad præſentem quæſtionem, & ad priorem ſectionem; nunc veniendum eſt ad alteram ſectionem:

SECTIO SECVNDA, DE QVALITATE SIGILLI Sacramentalis.

QVAEST. PRIMA.

Vtrum ſigillum Confeßionis ſit indiſpenſabile.

ACTVM eſt in ſuperiori Sectione de pertinentibus ad eſſe, & quidditatem ſigilli. In hac altera ſectione debemus deſcendere ad alia, quæ pertinent ad illius qualitatem, & primò quidem diſputãdum eſt, An, & quantum ſit indiſpenſabile ſigillum.

Prima ſententia eſt Altiſsiodoren. in 4. tra. de Pæniten. c. 3. q. 7. vbi aſſerit, Propter aliquod magnum malum euitãdũ, aut eximium aliquod bonum, quod poſſet accidere, nõ tamen ex alia cauſa, ſigillum poſſe diſpenſari.

Poſſet autem probari hæc ſententia. Primò, quia videtur recta ratio dictare, ſi quis iniuſtè ad mortem ducatur, ex imputatione fortaſsis falſi criminis, poſſe à Confeſſario reuelari confeſsionem, ut ſic innocens à morte iniuſta liberetur; ergò ſigillum non eſt omninò, & ſemper indiſpẽſabile. Hoc argumentũ adducitur à Medina ubi ſuprà q.45.

Secundò, poteſt probari, quia ſi quis Tyrã-

nus

nus minaretur alicui mortē, appoſito gladio, ut aliquid ex cōfeſsione extraheret à Confeſſario, videtur recta ratio dictare, poſſe Cōfeſſarium ad ſaluandam propriam vitam detegere, & reuelare id, quod ſic petitur ab illo, nemo enim tenetur, teſte D. Thoma 2. 2. q. 26. art. 5. propriam vitam deſerere, ut alteri conſulat: hoc argumētum habet Sotus in 4. d. 18. q. 4. ar. 5. poſt primam concluſ. *D. Thom.*

Secunda ſententia eſt D. Thomæ in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. Scoti ibidem q. 2. Soti in 4. d. 18. q. 8. ar. 5. concluſ. 1. Medinæ ſup. q. 45. Silueſt. ver. Confeſſor tertio. q. 19. & 20. Nauar. in cap. Sacerdos. de pænitem. d. 6. qu. 117. Viguerij ubi ſupra; Coſmi Philiar. de ſacram. Pænit. lib. 2. ca. 30. Simanc. in Inſtit. Cathol. tit. 24. nu. 15. Couarru. in 4. p. 2. c. 8. §. duodecimo. num. 10. Tolet. lib. 3. Inſtruct. Sacerd. c. 16. num. 6. Viuald. de ſigillo confeſ. nu. 13. Suarij ſup. diſputat. 33. ſect. 1. Hoſtienſ. in cap. Omnis vtriuſq. de pæniten. & remiſ. & aliorum, qui dicūt ſacramentale ſigillum eſſe ex natura ſua indiſpenſabile.

Notan. primò ex Medina C. de Pænitentia. tract. 1. q. 6. Toleto lib. 4. Inſtruct. Sacerd. c. 9. nu. 9. & alijs communiter, eam eſſe differentiā inter præcepta affirmatiua, & negatiua, vt affirmatiua ſemper quidem obligent, non tamē ad ſemper, ſed ad certum tempus, ut v. g. eſt præceptum, quo tenemur confiteri, eleemoſinam dare, Deum diligere, & alia huiuſmodi: negatiua verò obligent, & ſemper, & *Differētia inter præcepta affirmat. & negatiua.*

 ad

ad ſemper, ut v. g. mentiri, occidere, furari, mæchari, & alia huiuſmodi; & ratio eſt, quia hæc, quæ ſunt præcepta negatiua, intrinſecam quandam malitiam continent, & propterea obligant ſemper, & ad ſemper; neq; enim hæc ideò ſunt mala, quia præcepta, ſed cõtrà ideò præcepta, quia ſunt mala. Non ſic autẽ præcepta affirmatiua, nam hæc non intrinſecam aliquã continent malitiam: vnde fit, ut in his poſtremis, quæ ſunt præcepta affirmatiua, poſsit multis concurrentibus diſpenſari, non tamen in prioribus, quæ ſunt negatiua; neque enim humana voluntas poteſt mutare, quod recta ratione præſcriptum eſt, & eſt vel per ſe bonum, vel per ſe malum.

Interpretari legẽ, diſpẽſare, & abrogare, nõ idẽ ſunt.

Notan. ſecundò, non eſſe vnum, & idem, ſed omninò diuerſa, Interpretari legẽ, Diſpẽſare, & Abrogare. Interpretari enim legem, nihil eſt aliud, quàm hunc, aut illum caſum nõ eſſe à legislatore compræhenſum in aliqua lege, declarare; quæ interpretatio, ſeu legis declaratio in re quidẽ manifeſta à quolibet fieri poteſt: at verò in re dubia, non niſi auctoritate, vel eiuſdem legislatoris, qui tulit legem, vel Superioris, vel etiam æqualis; ex Silueſtro ver. Papa, nu. 16. Diſpenſare verò eſt aliquem in particulari eximere ab obligatione legis, manente tamen ſalua lege, quò ad alios. Abrogare denique, vel reuocare legem, eſt ex toto illam tollere; legatur Silueſt. loco citato. Hic autẽ ſolùm quæſtio eſt de abrogatione, & diſpenſatione, Vtrum hoc ſigillũ poſsit aut abrogari, aut certè diſpenſari.

Vni-

Vnica Concluſio. Præceptum ſigilli ſecundum ſe eſt penitus, & penitus indiſpenſabile, & in quocunq; caſu ſemper obligat. *Sigillū indiſpēſabile*

Dixi primò, ſecundum ſe, quia hìc non eſt diſputandum, Vtrum de pænitentis licentia poſsit tolli, & diſpenſari; nam de hoc infra dicendum erit.

Dixi ſecundò, in quocunq; caſu; ut intelligatur precipua differentia inter ſigillum, & ſecretum naturale, nam ſecretū naturale licèt aliquando ità obliget, ut nullo modo ſit frangēdum, quin mors ſit potius ſubeunda, quàm illud violan. quemadmodum hoc rigore obligat, ut docet Sotus lib. de tegen. & detegen. ſecr. m. 3. q. 4. concluſ. 6. Senatores, Officiales, & Perſonas publicas, quibus negotia grauia demandantur, ne aliquid ex ſecretis dicant; ſic Iudices, ut merita, aut demerita cauſæ alicuius grauioris Parti denuncient, aut reuelēt; ſic Scribas, ne ſibi commiſſa alicuius maioris negotij alijs dicāt; ſic alia Perſonarū genera, quæ ex officio tenentur ad naturale ſecretum. Attamen non ſemper ſic obligat, nam, ſi quid ſecreto naturali ſcitur, veniat in detrimētum, ac ruinam boni cōmunis, Reipub., ac Principis, ſine dubio ad nullum obligat ſecretum; & conſequenter poterit dici, ac manifeſtari; & ratio eſt, quia in ſecreto naturali illud includi intelligitur, ut ſeruari debeat, niſi ſit in dānum boni communis, & Principum, ut annotarunt Nauar. in cap. Sacerdos. de pœniten. d. 6. nu. 129. Medina ſupra q. 50. Coſmus Philiar.

Differētia inter ſigillum, & ſecretum.

Quæ perſonæ obligentur ad ſecretum, & quomodo.

liar. ubi ſup. c. 30. Felinus in cap. Paſtoral. de offic. ord. Adrianus q. ult. de confeſſ. Si quis autem voluerit caſus, quibus ſecretum naturale non obligat, legat Sotum de teg. & deteg. ſecr. m. 2. q. 7. concluſ. vlti. Sigillum verò ſacramentale, & illa, de quibus paulò ante diximus, non eſſe celanda, ſi ſint in detrimentum boni communis, ita celat, & ſigillat, ut potius impellat Confeſſarium ad mortem, quàm ut aliquid extrà confeſſionem de illis dicat, & docent Silueſ. ſupra q. ult. Medina ſupra q. 45. Tabiena ſupra nu. 4. Viguier. ubi ſupra; Iacob. de Graſſijs ſupra nu. 4. Sotus loco paulò ante citato; & nos infra oſtendemus. Quare ſigillum ſemper, & ad ſemper eſt indiſpenſabile, & obligat: non ſic ſecretum naturale; & propterea addidimus in concluſione, ſigillum in quocunq; caſu obligare.

Gregorius. 1 Probatur autem noſtra Concluſio. Primò, auctoritate Gregorij cap. illo Sacerdos. de pęnitem. d. 6. vbi aſſerit, *Sacerdos caueat, ne peccata alicui recitet, neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo & c.* vbi illud, *pro aliquo ſcandalo,* ex communi ſententia intelligitur quodcunq; damnum, aut cōmune, aut particulare, quod poſſet excitari ex ſigilli fractione; Intellige, non eſſe ſigillum frangendum. Ità inter alios exponit Suarius ſupra ſect. 1. nu. 2.

2 Probatur ſecundò, quia cùm hoc præceptũ pertineat ad Ius naturæ, & ad Ius diuinum, ut patet ex dictis, eſt omninò indiſpenſabile, perinde ac præceptum de non iurando, non di-

cendo

cendo mendacium, non fornicando, quæ omninò ſunt indiſpenſabilia, ut recte arguit Sot. in 4. d. 18. q. 4. ar. 5. & Nauar. in cap. Sacerdos, d. 6. nu. 140.

Probatur tertiò, ſi huiuſmodi præceptũ non eſſet omninò indiſpenſabile, ſequeretur in aliquo caſu poſſe reddi odioſam confeſsionem, quod nullo modo eſt concedendum; ergò neque id, ex quo ſequitur: ſequela probatur, nã ſi quando tolli poſſet huiuſmodi ſigillum, tunc pænitenti, cuius delictum reuelaretur, poſſet reddi odioſa, ac moleſta confeſsio, & alijs, exemplo illius, vnde homines facilè demoueri poſſent à confeſsione impoſterum, ex illo ſcilicèt timore, ne aliquãdò reuelaretur confeſſio; quod, quia cederet in ruuinam tanti boni, nullo modo eſt permittendum.

Sequitur, malè Suarium ſupra diſputat. 33. ſect. 1. nu. 3. inuehi contra Sotũ, perinde quaſi Sotus non reddiderit ſufficientem rationem huius indiſpenſibilitatis ſigilli; nam Sotus attulit quidẽ pro cauſa adæquata huius rei malitiam quandam intrinſecè inhærẽtem in ipſa violatione ſigilli, ſed hanc malitiam non vult Sotus oriri ex infamia aliqua, quæ reſultaret in pænitentẽ, ut falsò illi attribuit Suarius ibidem, ſed vult oriri ex eo, quòd moleſta redderetur confeſsio pænitenti, & item alijs. exẽplo illius: Sotus enim in 4. d. 18. q. 4. art. 1. habet hæc verba; *Ob nullum, qui fingi poſſet, euentum licet ſigillum confeſsionis aperire; nam quocũq; caſu, aut cauſa rumperetur, confeſsio in ſuſpicionẽ veni-* *malè Suarius.*

ret

ret, quòd poſſet reuelari, & inde homines ab illius religione arcerentur, atque adeò ſacramentũ periret. Quid clarius?

Altiſsiod. exponitur Sequitur ſecundò, quid ſit dicendũ ad Altiſsiodoren. licèt enim multùm carpatur à Soto ubi ſupra, fortaſſe poſſet trahi in bonũ ſenſum, ità ut dixerit Altiſsiodoren. de ſecreto naturali, non confeſsionis; quòd ſi verè locutus ſit de ſigillo, omninò falſus eſt Altiſsiodor. & iure optimo potuit reprehendi à Soto, nam reuerà nulla poteſt eſſe tanta cauſa, quæ tollat malitiam, quam habet intrinſecam, reuelatio confeſsionis.

Ad primum ſupra poſitum, Reſpondeo, falſum eſſe totum aſſumptum, nam recta ratio dictat, bonum commune eſſe anteponendum priuato: cùm igitur ſigillum confeſſionis ſpectet ad bonum cõmune, ut dicemus, ſine dubio erit anteponendum bono particulari, quod eſt conſeruatio vitæ proximi, vt etiã innuit Medina ſupra q. 43. & ſic Confeſſarius debet potius permittere innocentem occidi, quàm reuelari confeſsionem.

Ad ſecundum, reſpondeo ex Soto ubi ſupr. in 4. d. 18. Confeſſarium debere potius eligere mortem, quàm aliquo modo reuelare confeſsionem, ut etiam docent Medina ſup. q. 45. Coſmus Philiar. ubi ſupra, & nos infra multa dicemus.

Ad auctoritatem S. Thomæ infra reſpondebimus. Et hæc de prima quæſt.

QVAE-

QVAEST. SECVNDA.

An detur caſus, quo ſigillum ſacramentale non obliget.

IAM patet ex ſuperiori quæſtione, ſigillum eſſe ex natura ſua indiſpenſabile: Attamē videndum hoc loco eſt, Vtrum aſsignari poſſit aliquis caſus, quo illud poſsit tolli, aut diſpenſari.

Et quoniam multa ſunt, quæ in hac quæſtione faciunt difficultatem; ideò maioris claritatis gratia, propoſitis dubitationibus, quæ faciunt difficultatem, in vnaquaq; dubitatione ſingillatim, & proponemus, & expediemus.

Nunquã licitũ mentiri.

Primò igitur videtur poſſe dubitari; Quia, niſi aliquando frangatur ſigillum, videtur ſequi, licere mentiri, cùm tamen nunquã liceat mentiri, 22. q. 2. cap. Ne quis. & cap. Si quis. cùm ſit quid intrinſecè malum, ex D. Auguſtino libro de mendacio, & S. Thoma 2 2. q. 110. a. 3. & probatur ſequela; quia ſi quis Sacerdos interrogetur de aliquo, quòd verũ audierit ex confeſsione, & velit aliquid reſpondere, videtur alterum ex duobus eſſe concedendum, aut mendacium eſſe licitum, aut ſigillum eſſe diſpenſabile. Cùm igitur mẽdacium nunquàm liceat, videtur ſigillum poſſe aliquando frãgi, & conſequenter Cõfeſſarium, ne ſit periurus, poſſe dicere, quòd audiuit ex cõfeſsione, & ſic frangere ſigillum; ergò ſigillum nõ videtur indiſpenſabile. Secun-

D. Auguſ.

D. Thom.

Secundò dubitari poteſt, quia videtur maximè fieri contrà Charitatem, ſi quando non frangatur ſigillum; nam ſi Confeſſor poteſt impedire multa mala, atq; incommoda, quæ ipſe nouit ex confeſsione futurum, ut ſubſequâtur in aliquem, aperiendo confeſsionem, & non impedit, videtur eſſe omninò contrà charitatem, qua quiſq; tenetur velle bonum proximo ſuo: ergò, ſigillum aliquando diſpenſari pôt.

Tertiò dubitari ſolet, An, quando Confeſſor ex confeſsione nouit Papam, Imperatorẽ, Regem, & Principem aliquem eſſe deperdendum, aut occidendum, aut Vrbem aliquã eſſe deuaſtandã, poſsit id reuelare, vt tot, tantiſq; malis remedium adhibeat.

Quartò, quod poteſt quæri, eſt, Vtrum Confeſſor, qui audita confeſsione ſcit, & nouit eſſe Hæreticum, qui ſuis dogmatibus falſis totum corrũpit Chriſtianum Ouile, poſsit, & debeat ſigillum infringere, manifeſtando Hæreticũ, ut tanto malo præſto ſit.

Circa Primum igitur dubium ſit,

PRIMA DVBITATIO.

Quid reſpondere teneatur Confeſſarius ſi quando interrogetur de illis, quæ habuit ex confeſsione.

CONſultò hic multa prætermittimus, quæ dicenda eſſent de huiuſmodi reſponſionibus,

uibus, quæ Iudici interroganti reum extrà Iuris ordinem dari poſſent: multa de ipſo Iudice; multa de reo; multa deniq; de ipſo Iudicio; quæ, etſi nõ paucam afferrent vtilitatem, ac claritatem ijs, quæ in hac materia de confeſſore dicenda eſsent, attamen, quoniam ea prolixiorem tractatum peterent, quàm noſtrũ petat inſtitutũ, ideò hìc solùm ea, quæ ad rem noſtram pertinent, explicabimus, reliqua verò quis legere poterit penes Sotum lib. de teg. & deteg. ſecre. membr. tùm 2. tùm 3. vt alios Doctores omittam.

Intelligitur autem hæc noſtra dubitatio, nõ in eo caſu, quo Confeſsarius interrogaretur, num hoc, aut illud in particulari audierit, aut ſciuerit ex confeſsione alicuius; de hoc enim paulò poſt dicemus; ſed quando ſimpliciter interrogaretur, etiam bona fide, num hoc, aut illud ſciuerit in vniuerſali; quo ſenſu diſputat etiam Sotus in 4. d. 18. q. 4. ar. 5. *Senſus dubitationis.*

Quare duo hìc à nobis explicanda veniunt. Primò quidem, quid reſpondere teneatur Cõfeſsarius ad interrogationem factam, etiam bona fide, num aliquid ſciat ex confeſsione, ſuppoſito quòd verè ex illa ſciuerit. Secundò, quid, ſi ab aliquo iniquo Iudice interrogaretur Confeſsarius, num ſciuerit ex confeſsione v. g. Petri, illum fecisſe tale, vel tale delictum.

Quò ad primum igitur, notandum eſt, difficultatem hanc oriri, quia, ſi facta interrogatione Cõfeſsarius reſpondeat affirmatiuè, videtur frangere ſigillum; ſi taceat, videtur ſuſpicio-

ſpicionẽ inijcere; verum eſſe, quod quæritur, ſi neget, videtur mentiri; ſi deniq; reſpondeat verbis æquiuocis, videtur dare anſam Iudici interrogãdi vlterius de delicto, qđ inquireret. Quare, quid ſit dicendũ, nunc explicandũ eſt. Scotus igitur, & Gabriel in 4. d. 21. aſſerunt, Cõfeſſarium, vbi ſic interrogaretur ab aliquo, neq; debere affirmare, neq; negare; ſed tantũ tacere; nam inquiunt, ipſum tacere eſſe celatiuum confeſſionis, non manifeſtatiuum.

Quòd ſi dicas, inde poſſe ſuſpicionem oriri, verum eſſe, quod à Cõfeſſario tacente quæritur, iuxtà illud ſatis tritum, Quòd, qui tacet in Iudicio, habeatur pro confeſſo, l. pri. tit. 3. lib. 3. ordinationum.

Reſpondent, talem ſuſpicionem poſſe quidem oriri, non tamen per ſe, ſed per accidẽs, id eſt, poſſe quidem oriri huiuſmodi ſuſpicionem non ex culpa Confeſſarij, quia taceat, ſed ex malo animo audientis, & interrogantis, qui rem accipit in malam partem, cùm poſſit, & debeat accipere in bonam.

Verùm non placet hæc ſententia; nam in primis certum eſt, ſi Confeſſarius taceat, non poſſe euitari omnem ſuſpicionem, non ſolùm per ſe, ſed etiam per accidens, cùm tamẽ omnis ſit euitanda, teſte Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 3. poſt ſecundã concluſ. Prætereà, certè non deberet tacere Confeſſarius ſic interrogatus, ſi apponeretur iuramentum, nam tunc tacendo nõ ſatisfaceret iuramẽto; ergò in eo caſu teneretur aliquid reſpondere, ut

ut etiam aduertit Suarius vbi ſupra, ſect.ſexta. num.5.

Alij dicunt, Confeſſarium ſic interrogatum debere reſpondere, ſe nihil ſcire extra confeſsionem.

Sed non placet, ſicuti neq; placuit Tabienæ ſup. nu.2. quia huiuſmodi reſponſio poſſet cauſare aliquã ſuſpicionẽ in mentẽ interrogantis; cùm tamẽ omnis ſuſpicio ſit euitanda, ex Soto loco paulò ante citato, & prætereà ex eodem Tabiena ibidem.

Alij dicunt, Confeſſarium huiuſmodi poſſe reſpondere, ſe nihil ſcire, ut interrogãti dicat.

Verùm neq; hæc reſponſio placet; nam ea reſponſione nõ effugeretur omnis ſuſpicio penes interrogantem, ut de ſe patet.

S. Thom. ubi ſup. in 4.d.21. quem ſequũtur Angelus ſupra nu.4. Roſel. ubi ſupra num. 7. Sotus tùm in 4. d. 18. q. 4. art.8. tùm lib.7. de iuſt. & iur. q.6. art.2. tùm lib. de teg.& deteg. ſecr. mem.3. q.3. concluſ.2. Medina ubi ſupr. q. 45. & alij, quos infra citabimus, aſſerunt, Confeſſarium ſic interrogatum debere affirmare, ſe nihil omninò ſcire. *S. Thom.*

Reſpondeo dubitationi, huiuſmodi Cõfeſſorem in tali caſu ſimpliciter debere reſpondere, negando, ſe quidquam ſcire. *Confeſſarius interrogatus negare debet.*

Probatur primò, & explicatur ſimul Cõcluſio; nam licèt ſciat Confeſſarius, etiam ut homo, quæ ſcit ex confeſsione; quidquid dicat Tabiena ſupra nu.2. contra Angelum, ubi ſup. nu.4. ſed immeritò, ut infra conſtabit; ità ta-

men ſcit, ut homo, ut vel non ſciat ad reuelã-dum alijs extrà confeſsionem, ut explicant S.
S. Antoni. Antoninus, Angelus, Roſella, Silueſt. Tabie-na, Nauar. Sotus, Medina, Coſ.Philiar. ubi ſu. Illuſtriſs. Toletus ſupra nu.9. Sacerdotal. p. 1. Iacob. de Graff. ſupra nu. 2. ſicut interpretã-
Matt. 24. tur SS. Patres illud Matt. 24. *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neq; Angeli in Cælo, neq; Filius hominis &c.* id eſt, ad reuelãdum hominibus in hac vita, neque enim ſimpliciter negãdum eſt, Chriſtum Dominum nouiſſe illum diem, illam horam, & cætera omnia, teſte D. Paulo
D.Paulus. ad Coloſſen. 2. vbi loquẽdo de Chriſto, ſic ait, *Sunt reconditi Theſauri omnes ſapientiæ, & ſcien-*
D.Auguſ. *tiæ Dei*. ità explicat D. Augſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Quia*, inquit, *hoc vtiliter occultabat diſci-pulis, neſcientem ſe dixit*. D.Ambroſ. Lucæ 17.
D. Ambro. *Chriſtus*, inquit, *horam nouit, ſed nouit ſibi, mihi*
D. Thom. *neſcit*. Legãtur D. Tho. 3.p. q. 10. ar. 2. & Se-baſt. Barrad. in illa citata verba Mat. 24. tomo ſuo 3. lib. 10. c. 7. qui multas alias illius eiuſdẽ loci afferunt expoſitiones, ut multos alios SS. Patres ſileam. Quemadmodũ igitur Chriſtus Dominus dixit, ſe neſcire diem Iudicij, nõ ſim-pliciter, ſed ut nobis in hac vita diceret; ſic
Quomodo Itelligitur ſi Confeſſarius neget. Confeſſarius interrogatus de auditis in con-feſsione, poterit interroganti reſpondere, ſe neſcire, (intellecta implicitè clauſula) ut illi dicat: vel ſecundò, Confeſſarius, quæ ſcit ex confeſsione, ità ſciat, ut homo, ut tamen non poſsit interrogarj de ijs; nam quæ ex confeſ-ſione habentur, non cadunt ſub auctoritatem

ali-

alicuius hominis extrà confeſsionē, ut docent Tabiena, Medina ubi ſup. Armilla ver. Cõfeſſor. nu. 5. & Suarius ſupra ſect. 6. nu. 5. Vnde Confeſſarius in pertinentibus ad confeſsionē nō dicitur ſciens, & prætereà nulli niſi Deo ſubditus eſt, 15. q. 6. Præsbiter. & conſequēter in his, neque poteſt ab aliquo ſic interrogari, neq; ipſe tenetur reſpondere, ut paulò infrà explicabimus: vel denique Confeſſarius non ſciat, ſcilicèt per ſcientiam acquiſitam, licèt ſciat per infuſam, ut exprimit D. Antonin. ſupra; quanquàm id minus propriè dicatur. *D. Antonin.*

Secundò, probatur Concluſio, quia Confeſſarius in audiendis confeſsionibus, cùm gerat officium Dei, ſine dubio, non ut homo ſimpliciter, ſed ut homo miniſter Dei audit, teſte Soto de teg. & deteg. ſecr. ubi ſupra; ergò poterit negare omninò ſe aliquid ſcire. Sequela probatur; nam, ut ait Medina C. de pæniten. ubi ſup., quiſq; optimè poteſt dicere ſe neſcire id, quod in perſona alterius ſcit, ut de ſe patet; ſed Sacerdos in perſona Dei ſcit, quæ ex confeſsione ſibi facta ſcit; ergò optimè poterit negare, ſe aliquid ſcire: hanc tamen rationem parùm approbat Sotus de tegen. ſecr. ubi ſupra.

Tertiò probatur, Iudex legitimè interrogās non poteſt inquirere niſi de ijs, quæ cadunt ſub ſuum forum; ſed quæ habentur in confeſſione, non cadunt ſub forum alicuius alterius Iudicis, à Confeſſore, in terris; ergò Confeſſarius non poterit de his interrogari; ergò,

neq; reſpondere; nam ad hoc, ut alter teneatur reſpondere, ex cōmuni ſententia DD. debet à Iudice iuridicè interrogari, ut inter alios docet Sotus, tùm alibi, tùm lib. 5. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 2. At Confeſſor nunquā ſic poterit interrogari, cùm nullus alius in terris ſit, qui in eum, quò ad ea, quæ ex confeſsione habentur, aliquam habeat iuriſdictionem; ut benè Armilla ſupra nu. 5. dixerit, Confeſſarium in ordine ad ſigillum, nulli, niſi Deo, cuius eſt miniſter in terris, ſubijci. ergò.

Quid requiritur ut reus interrogat. debeat reſpōdere. Quartò probatur, Reus, ut reſpondere teneatur, neceſſarium eſt, ut illi conſtet, Iudicē interrogantem iuſtè, & legitimè interrogare, ut iam diximus ſupra, & aduertit Caietanus 2.2. q. 69. ar. 2. & prætereà, ut in interrogatione ſibi facta adſint aliæ cōditiones, de quibus DD. in cap. Inquiſitionis. & cap. Qualiter, & quando. de accuſ. aliàs nō tenetur reſpondere. Sed iam in materia confeſsionis nihil horum accidere poteſt, cùm quiſq; ſciat neminē, vel maximū Principem, iuſtè poſſe de ijs, quæ ad confeſsionem pertinent, interrogare; ut iam diximus. ergò.

Affert aliam rationem Sotus in 4. d. 18. q. 4. ar. 6. & de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 3. poſt ſecundā concluſ. Tabiena ſupra num. 2. & habuerunt ex S. Thò. in 4. ſupra; quia, inquiunt, *D. Thom.* quæ Confeſſarius ſcit ex confeſsione, perinde eſt, ac ſi neſciret, cùm ea ſciat, ut Deus, id eſt, ut miniſter Dei; non ut homo: Deus autem, ut inquit Sotus, ſcit quidem peccata confeſſa,

ſed,

ſed, ut ea obliuioni tradat, ut iam ſupra diximus ex Sac. ſcripturis; vnde aiunt benè poſſe Confeſſarium iure optimo affirmare, ſe nihil ſcire de auditis ex confeſsione.

Hanc tamen rationem non ſatis probare poſſum; nam, ut etiam aduertit Medina ubi ſupra, & prius docuerat Sotus in 4. d. 21. nullo modo videtur poſſe negari, Confeſſarium in audiendis confeſsionibus audire etiam ut hominem, cùm illas corporeis auribus audiat, ac benè percipiat, ut tandem neq; negat ipſemet Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. ubi ſupra. & confirmatur, quia non poſſet Cōfeſſarius, cōſilij cauſa, ſeruatis ſeruandis, (vt ſuo loco dicemus) conſulere prudentiores homines in bonum pænitentis, niſi etiã ut homo audiret peccata. Quare ſine cauſa Tabiena ſup. nu. 2. inuehitur contra Angelum, loco citato, aſſerẽtem, Confeſſarium etiam, ut homo eſt, audire confeſsionem, perinde quaſi rem aliquam ſine fundamento dixerit, cùm tamen ſatis conſtet nullo modo id poſſe negari, & nō deſint DD. qui id aſſerant.

Nō placet reſpōſio Soti, & Tabiena.

Immeritò reprẽhẽditur Angelus.

Sequitur primò, eodẽ modo teneri reſpondere Confeſſarium, etiam iuratum; nam (ut aſſerit inter alios Suarius ſupra ſect. 6. num. 5. iuramentũ non potuit apponi niſi ijs, quæ Confeſſarius ſciebat extra confeſsionem, vt poſſet loqui, cuiuſmodi non ſunt, quæ per confeſsionem ſcit; vnde neque huiuſmodi Confeſſarius negando erit periurius quia, ut iam diximus, non potuit apponi illud iuramentum; & præ-

Cōfeſſarius etiã iuratus debet negare.

Neq; erit periurius.

 tereà,

tereà, quia, dum negat, ſubintelligitur implicitè, vel ut alijs dicat, vel quia nō tenetur reſpondere, cùm nō iuridicè interrogetur, iuxtà ea, quæ ſupra diximus. Imò ex Couar. 2.p. c.8. §. Duodecimo. num. 10. ſi Confeſſarius (quod Deus auertat) aliquid huiuſmodi contra Ius naturale, diuinum, & eccleſiaſticum diceret, non eſſet illi credendum, & deſumptum eſt ex Baldo in l. Archigerentes. C. de Epiſco. aud. & ſequitur Felin. in c.1. de except. vol. 1.

Cōfeſſari⁹ euitare debet modos reſponden.

Sequitur ſecundò, oēs illos reſpondēdi modos eſſe euitādos à Cōfeſſarijs, ſi quādo interrogētur de auditis ex confeſsione, ex quibus poſſet inijci ſuſpicio aliqua in mentem interrogantis, poſſe ſcilicèt eſſe vera ea, de quibus interrogantur.

Non debet immutare faciem.

Sequitur tertiò, Confeſſarium debere in eo multam vim facere, ut, ſi quādo de habitis in confeſsione interrogaretur ab aliquo, ne immutet faciem, aut aliquod exhibeat ſignū, vnde interrogans ſuſpicari poſsit de veritate facti, quod inquirit, ut benè aduertit Sotus li. 5. de iuſt. & iur. q.6. ar.2.

Tollitur cōtradictio.

Sequitur vltimò, tolli omnem rationem cōtradictionis, de qua multa habet Sotus, tùm in 4. d. 18. q.4. ar. 5. tùm lib. 7. de iuſt. & iur. q. 6. ar. 2. Nauar. in cap. Sacerdos. de pænit. d.6. nu. 142. & Sacerdotale ubi ſupra; licèt .n. verum ſit, de eodem Sacerdote, quòd ſciat, quæ ex confeſsione ſcit, & quod neſciat eadē; Quia tamē hæc contradictio non verſatur circà idem, ſecundum idem, ſed ſecundū diuerſa,

ſa, ideò tollitur contradictio, & nullum ſequitur abſurdum: verſatur autẽ cõtradictio ſecũdũ diuerſa, quia Confeſſarium, & ut Deum, & ut hominem ſimpliciter ea noſſe, quæ habet ex confeſsione, & de quibus interrogatur, & prętereà eundem Cõfeſſarium illa eadẽ neſcire, non tamen ſimpliciter, ſed ut alijs dicat, ſunt res omninò diuerſæ; neq; verſantur circà idẽ, ſecũdum idem, licèt verſentur circà idem ſecundum diuerſa, & conſequenter tollitur omnis contradictio.

Ex dictis patet ſolutio ad ea, quæ primo loco propoſita faciebant difficultatẽ, Confeſsarium nulla alia ratione debere reſpondere interroganti de auditis ex confeſsione, niſi ſimpliciter negãdo ſe aliquid ſcire; neque ex hoc poſse dici periuriũ, ut iam oſtenſum eſt in ſuperioribus. Et hæc de primo.

Quò ad ſecundum, quod à nobis ſupra propoſitum eſt hoc loco diſputare, & facilè colligitur ex dictis, eſt.

Quid? quãdo Confeſſarius interrogetur in particulari ab aliquo iniquo Iudice, An ſciuerit ex confeſsione Petrum feciſſe hoc, aut illud delictũ.

EXplicatis ijs, quæ ad priorẽ pũctum pertinebãt, facilè nunc erit venire ad ſecundũ, in cuius explicatione aliqua ſuperioribus ad-

demus; vnde tàm prior, quàm alter hic punctus difficultatis magis patebit.

Videtur autem in hoc altero puncto maior quædam emergere difficultatis ratio, cùm nō videatur Confeſſarius, ſic interrogatus, excuſandus à periurio, ſi neget; nam cū ponamus illum optimè noſſe ex confeſsione, quod ſpecialiter quæritur à Iudice, videtur mentiri, ſi neget; at mentiri nunquàm licet, ut ſupra diximus ex 22. q.2. cap.Ne quis. & cap.Si quis.

Alij dicunt, in eo caſu Confeſſario tacendum eſſe.

Sed non placet; nam, ut ſupra diximus, ex Tabiena, id redderet aliquomodò ſuſpectam confeſsionem, quod omninò euitandum eſt.

Alij dicunt, tunc, facta huiuſmodi interrogatione, obiurgandum eſſe Iudicem à Confeſſario, eiq; eſſe oſtendendum, quàm malè faciat ſic interrogando; ità Sotus tùm in 4. d. 18.q.4.art.5. tùm lib.5. de iuſt.& iur. q.6.ar.2. tùm de tegen. & deteg. ſecr. mem.3. q.3. poſt quartam concluſ.

Sed neq; id videtur tutum; nā Confeſſarius ſine neceſsitate manifeſtò ſe periculo exponeret, quidquid dicat Sotus, qui benè in hac parte impugnatur à Coſmo Philiar. ubi ſupra. *Impugnatur Sotus.*

Alij denìq; affirmant, huiuſmodi Confeſſarium in tali caſu, ſicuti & in ſuperiori, teneri omninò negare, ſe aliquid ſcire: ità D. Thom. in 4. d.21. q.3. ar. 1. quæſtiunc.1. Ad tertium. Adrianus in 4. quæſt. ult. de confeſſ. Rodriq. ſupra c.53. Suarius ſupra ſect.6. nu.6. vbi alios *S. Thom.*

etiam

etiam recenſet, licèt falsò in hanc ſententiam recenſeat Sotum, ut conſtat ex locis paulò antè citatis, ubi, etiamſi nō neget Sotus, Confeſſarium ad huiuſmodi interrogationem poſſe negatiuè reſpondere, ſcilicèt, ſe nihil ſcire, ut patet ex lib. de teg. & deteg. ſecre. vbi ſupra; aſſerit tamen, illum non poſſe negare, ſi in particulari interrogetur, ut ſupra de Petro, v. g. feciſſe illū hoc, aut illud, ſi verè fecerit, & ipſe ex cōfeſsione audierit, ut etiā infra dicemus.

Reſpondeo ad dubitationem, Confeſſariū ſic interrogatum poſſe, ac teneri omninò, ac ſimpliciter negare, ſe aliquid ſcire, & Petrum v. g. aliquid tale commiſiſſe.

Probatur concluſio, quia, ut iam diximus, etiamſi ſimpliciter Confeſſarius id, de quo à Iudice interrogatur, ſciat ex confeſsione, quia tamen ſcit ſolùm ſcientia ſacramentali, ideò verè poteſt dicere, & affirmare, ſe aliquid tale neſcire omninò; id quod intelligendum eſt, iuxtà eos modos, quos iam ſupra enumerauimus; & conſequenter etiam negare in particulari Petrum v. g. feciſſe hoc, aut illud, ut dixit Adrianus ſupra; legatur Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 6. ar. 2.

Neq; tamen inde ſequitur, huiuſmodi Cōfeſſarium fieri periurium, quia, præter ea, quæ ſupra diximus, in iniuſta interrogatione ex D. Antonino, Medina, & Coſmo Philiar. ubi ſupra, Soto lib. de teg. & detegen. ſecr. mē. 2. q. 7. & mem. 3. q. 3. poſt quintam concluſ., cuiuſmodi eſſet hæc, non tenetur Confeſſarius *D. Antoninus.*

reſpon-

reſpondere ſecundū intentionem interrogantis, ſed ſecundum iuſtam, & debitam intentionem, quam Iudex deberet habere; Iudex autem non deberet habere aliam intentionē, niſi interrogādi de ijs, quæ accidunt extrà forum pænitentiale; Iudex enim poteſt tantū ea, quæ de iure poteſt, 22. q. 2. cap. faciet. Ius aūt non dat inquiſitionem de occultis, cap. qualiter, & quando, de accuſat. Ergò cùm Iudex nihil poſsit in occulta, neque poterit de illis inquirere; ergò neque Confeſſarius ad illā reſpondere tenebitur, & propterea poterit hîc extrà omne mendacium negare, ſe de auditis ex confeſsione aliquid ſcire, iuxtà ea, quæ ſupra poſuimus, idq; etiam medio iuramento, ex Iacobo de Graff. loco iam citato nu. 2. Rodri. & alijs ſupra, & ut ait Adrianus ubi ſupra, affirmare Petrum v. g. nihil tale, quod à Iudice petitur, commiſiſſe, etiamſi verè illud commiſerit, quidquid dicat Sotus lib. de teg. & deteg. ſecre. mem. 3. q. 3. poſt quartam concluſ., ubi aſſerit, ſi Confeſſarius interrogatus à Iudice, an Petrus fecerit tale delictum, quod nouit ſolùm ex confeſsione, reſpondeat, non feciſſe, cùm verè fecerit, non poſſe excuſari à mendacio: nam huiuſmodi reſponſioni, qua Confeſſarius diceret, Petrum non feciſſe hoc, aut illud, poſſunt ea omnia applicari, quæ ſupra adduximus, poſſe applicari illi reſponſioni, qua diceret, nihil tale ſcire, nam videtur eadē ratio reſpondendi eſſe in ijs omnibus.

Sequitur primò ex Suario ſupra nu. 6. eodē

modo

modo poſſe, & teneri reſpondere Confeſſariũ, ſi interrogetur, num hoc, aut illud audierit ex confeſsione, negando ſcilicèt ſe aliquid audiuiſſe, intellectis ijs, quæ ſupra poſuimus; idq; etiam medio iuramento, propter rationẽ eandem allatam; In quo Sotus ſupra ar. 5. iure carpitur à Suario ubi ſupra, Sotus enim tùm loco citato, tùm de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 3. concl. 5. videtur feciſse neſcio quam diſtinctionem inter verbum Audire, & verbum Scire, cùm tamen nulla videatur prorſus vera, & realis differentia reſpectu Cõfeſsoris; nam quæ dicuntur Confeſsori à pænitente, Confeſſor & ſcit, & audit eodem modo ex cõfeſsione, quare & in vnum, & in alterum verbum ſigillum cadit; vnde etiam in reſpondendo eodem modo in vtroq; ſe habere debet. *malè Sot.*

Sequitur ſecundò, quid ſit dicendũ, ſi quando Confeſsarius interrogetur à Iudice, num Petrus fecerit, & confeſſus ſit tale delictum, quod tamen neq; reuerà fecerit, neq; ſit confeſsus: dicendum enim eſt, ſi Sacerdos reſpõderet, ſe nihil tale audiuiſse ex illius cõfeſsione, Primò, illum ſic dicẽdo non fracturum ſigillum, quia hoc ſeruari debet in ordine ad peccata, vel quæcunq; alia, quatenus indicant perſonam peccantem, ex cap. Omnis vtriuſq; de pænit. & remiſs. & cap. Sacerdos, de pænit. d. 6. Secundò, illum Confeſsarium ſic reſpondentem non eſse excuſandum à grauiori peccato, tum propter ſcandalum, quod poſset inijci in hominum idiotarum mentes, poſsent *Noua difficultas.*

enim

enim idiotæ exiſtimare, illud eſſe quandã confeſsionis reuelationem, tùm propter aliquam contaminationem Sacramenti; ut vtar verbis Soti lib. de teg. & deteg. ſecr. memb. 3. q. 3. poſt quartam concluſ.

Noua difficultas. Sequitur tertiò, idem dicẽdum eſse de pœnitente, ut benè notauit Sotus in 4. d. 18. q. 4. ar. 4. & Iacob. de Graff. nu. 26. ut, ſi pænitens interrogaretur, num delictum aliquod alicui dixerit, etiamſi id dixerit Confeſsario in confeſsione, poſsit tamen aſserere, & affirmare ſe nihil tale alicui dixiſse, etiam medio iuramẽto, intellectis ijs clauſulis, de quibus ſupra dictum eſt; nam quò ad hoc, eadem videtur ratio pænitentis, & Confeſsarij. Quare ſicut in ijs, quæ ſunt ex confeſsione, non potuit Confeſsarius interrogari, vnde diximus, neq; ipsũ teneri reſpondere; ſic neq; pænitens potuit de eiſdem ab aliquo interrogari, & conſequenter neque ipſum teneri ad huiuſmodi reſponſionem, idq; extrà omne mẽdacium, propter eã, quam ſupra allegauimus, rationem.

Nota. Sed antequàm hãc dubitationẽ expediam, nolo prætermiſsum hoc loco, duo admonere. Primum, ne Iudices, Officiales, Gubernatores, ac Principes tàm laici, quàm eccleſiaſtici, vllo vnquàm modo attentent, via confeſsionis à Confeſsario ſcire aliquid de delictis ſibi delatis, aliàs ſciant, ſe grauiſsimè peccaturos, & contrà charitatem, & contrà religionem. Secundum, ne ſubditi, quicunq; illi ſint, nulli, neq; Prælatis Eccleſiaſticis, in his obediant,

quan-

quando ſibi conſtat de impia, iniqua, atq; iniuſta interrogatione; nam Deus ſolus eſt ſecretorum, cuiuſmodi ſunt, quæ ex confeſsione ſciuntur, Iudex iuſtus, & verus, 32. d. erubeſcăt. Vnde cauendum eſt Cōfeſſarijs, ne aliquid ex confeſsione reuelent, etiamſi ad id ab illis impellerentur, neque enim in hoc illis obedire debent, ut iam ſupra dictum eſt, & inter alios multos docet Armilla, & Sotus ubi ſupra.

Et quoniă accidit ſermo de iniquitate Iudicis interrogantis Confeſsarium de ijs, quæ ipſam ſacramĕtalē confeſsionē concernunt, nō erit ab re, vnum aliquod præcipuum dubium circà hoc & afferre, & ſoluere, vnde etiă alia eiuſdem generis ſolui poterunt.

Quid ſit dicendum, ſi quando Iudex extorſerit à Confeſsario delictum aliquod, ſolùm illi notum ex confeſsione, vel etiam Confeſsarius ipſe ex ſe ſit confeſsus, vel ſcienter, & malo animo, vel ex inaduertentia, & deinde deuenerit ad aures Iudicis; Vtrum Iudex poſsit proſequi inquiſitionē de illo delicto ſolùm ſic noto, & illud, ſi opus ſit punire? Sotus lib. de tegen. & detegen. ſecr. mem. 3, q. 1. poſt quintam concluſ. tetigit hoc dubium: mihi tamē breuiter videtur dicendum, nullo modo poſse Iudicem ex ijs, quæ aut vi, aut aliunde, ex confeſsione tamen, habuit, moueri ad proſequendam inquiſitionem aliquam delicti cōtra delinquentem, aliàs peccaturum grauiſsimo peccato ſacrilegij, & iniuſtitiæ: & ratio eſt, non illa, quam ibidem affert Sotus, quia ſcilicèt, *Noua difficultas.*

quæ

quæ dicuntur in confeſsione, ſoli Deo ſint nota, ſed illa, quam etiam ſupra attulimus, quia, quæ in confeſsione habentur, non cadunt ſub forum externum alicuius Iudicis in terris, à Confeſſario; vnde cùm alius Iudex nullam in iјs habeat iuriſdictionem, neq; poterit in iјſdẽ inquiſitionem aut facere, aut proſequi.

Noua difficultas. 2 Neque videtur idem dicendum in alio caſu, quem proponit ibidem Sotus, eumq; inſolutum relinquit: Vtrum, ſi Iudex contra ordinem iuris extorqueat à reo, etiam vi tormẽtorum, delictum aliquod, quod nullo modo pertineat ad confeſsionem, poſsit inde moueri, vt de delicto inquirat, & puniat, ſi enormitas delicti id exigat: Dicerem enim, Iudicem in eo caſu poſſe proſequi inquiſitionem: licèt enim primò peccauerit Iudex extorquendo præter ordinem iuris factum, poteſt tamẽ deinde factum proſequi; rationem verò peto ex diuerſitate huius à priori caſu, nam prior caſus eſt in materia ſacramẽtali, ex qua, ut iam diximus, nunquàm licitum eſt, aliquam facere, aut proſequi inquiſitionem. At verò hic caſus eſt in materia extrà confeſsionem, vnde licèt primò peccet Iudex inquirendo, quia tamẽ res deinde deducitur ad terminos Iuris, emergunt .n. inde indicia ſufficientia ad inquirendum, videtur iuſtè poſſe Iudex proſequi factum. Vnde conſtat quid ſit dicendũ in his, & ſimilibus caſibus, ſemper enim illud retinendum eſt, vtrum ſit materia ſacramẽtalis, de qua agitur, aut inquiritur, nec ne; nam, ut ex dictis patet, ali-

aliter philoſophandũ eſt de una, ac de altera.

Et hæc de ſecundo puncto, & quod ſpectat ad hanc priorem dubitationem.

Circà ſecundum dubium.

SECVNDA DVBITATIO.

An Confeſſor poßit, & teneatur impedire mala, quæ nouit ex confeßione, ipſam reuelando.

ORitur hæc difficultas, quia, ut iam diximus, quiſq; tenetur lege charitatis impedire malum proximi; ergò, cùm Confeſſor nouerit ex confeſsione aliquod malum futurũ in proximum, & reuelando illam, poſsit malum impedire, videtur teneri præcepto charitatis illi præſto eſſe, etiam violando ſigillum, ſi nulla alia via relinquatur remedij.

Reſpondeo, nullo modo propter id eſſe reuelandam confeſsionem. Probatur primò, quia ſi ex eo poſſet reuelari confeſsio, fieret aliquando confeſsio odioſa, aut certè minus amabilis, quod nullo modo concedendũ eſt; ergò, ſequela probatur, quia, ſi quis exiſtimaret, non eſſe ſigillo occultandum delictũ, quod confitetur, & ex aliqua cauſa poſſe reuelari, aut ſubterfugeret confiteri, aut certè non integraret confeſionem: & ſic redderetur moleſta confeſsio. Ergò.

Non eſt reuelãda cõfeſsio.

Proba-

Probatur ſecundò, Non ſunt facienda mala, ut inde eueniant bona, ex D. Paulo ad Roman. 3. Ergò, ut euitetur malum aliquod, non eſt reuelanda confeſsio, cùm reuelare confeſſionem ſit res intrinſecè mala, ut ſuo loco dicemus; quemadmodum enim per fornicationem, aut per mẽdacium non licet aut bonum aliquod procurare, aut malum euitare, ſic neque per reuelationem confeſsionis debemus, aut bonum aliquod attentare, aut malum effugere.

D. Paulus.

Ad rationem autẽ difficultatis Reſpondeo, non ſolùm non eſſe contrà charitatem, nõ reuelare cõfeſsionem in caſu ſupradicto; verùm & id maximè congruere charitati, ut ait Medina ſupra; nam ſi, etiam dato caſu, reuelaretur confeſsio, ſequeretur communis quædam iactura, ac damnum ſpirituale, quæ cùm ſubterfugiantur ſigillo cõfeſsionis, propterea iure optimo dicimus, celare confeſsionem eſſe maximè conforme charitati, quæ magis ſpectanda eſt in communi bono ſpirituali, quàm in aliquo alio particulari bono, ut etiã docuit Medina ubi ſupra q. 45.

Soluitur difficultas.

Sequitur primò, etiamſi Confeſſarius, reuelando confeſsionem, poſſet ſperare alicuius emendam, non tamen propterea reuelandam eſſe; ſemper enim ſequeretur illud maximum abſurdum, ſcilicèt, poſſe reddi confeſsionem odioſam; nam ex eo non ſolùm ille, in cuius emendam ſit cõfeſsionis reuelatio, ſed etiam alij, exemplo illius, poſſent impoſterum aut abſti-

abſtinere à confeſsione, aut illam non integrare, quorum vtrumq; eſt maximè fugiendũ.

Sequitur ſecundò ex Roſella ſupra num. 1. Silueſtro verb. Confeſsio tertiò. q.14. Tabiena ubi ſupra num.5. D. Antonino ſupra §. 1. Soto in 4. d. 18. q.4. ar. 6. Medina ſupra q.45. Viualdo de ſigillo confeſsionis nu. 28. & deſumptum eſt ex D. Thoma in 4. d. 21. non licere Superiori, aut cuicumq; alteri ex confeſſione audita amouere ſubditũ ab officio, præſertim ſi illud ſit ad certum tempus, quia (ut ait D. Antonin., & alij, quos infrà afferemus) confeſsio non dat aliquod ius Confeſſori, quò ad forum exterius, nam reſpectu illius Confeſſor eſt omninò ignarus, & neſcius, ut habet Gloſ. cap. Sacerdos, 33. q. 3. Vnde benè ait Sotus loco citato art. 6. peccatum, quod non fuit à iudice cognitum, ſicut eſt illud, quod ſolùm ſcitur ex confeſsione, non poſſe puniri; quare ex hoc ſubditus ille nõ poterit amoueri ab officio. Accedit, quia ſi ex confeſsione facta quis amoueretur ab officio, redderetur ſuſpecta, ac moleſta confeſsio; nam, qui ſcirent ex occaſione confeſsionis ſubditum illũ amoueri ab officio, abſtinerẽt impoſterum aut ab ipſa confeſsione, aut ab integritate illius; id quod maximè accideret illi, qui ex confeſsione ſua ſacramentali animaduerteret, ſe ab officio amoueri, certè iſte malè ſentiret impoſterum de confeſsione; quidquid dicat Silueſ. ſupra q.14. Dixi tamen, ſi officium ſit ad certum tempus, nam ſi officium ſit vacabile ad

D. Antonin.

D. Thom.

Soluitur difficultas.

Gloſſ.

nutum Superioris, alia ratio eſſet; (tunc enim, quia poſſent excogitari aliæ cauſæ, cur ille amoueretur, fortè fieri poſſet, ut nulli redderetur ſuſpecta confeſsio, vnde poſſet ille amoueri ab officio: quamquàm & in hoc caſu communiter doceant DD., & inter alios Silueſt. loco citato, & Sotus in 4. d. 18. ſupr. & præcipuè lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. poſt quartã concluſ. melius eſſe pęnitenti ſuadere, ut renunciet officio, & mihi quidẽ hoc aliquando fieri, neceſſarium videtur; quando ſcilicèt officium eſt proxima occaſio peccãdi, nam Confeſſor obligatur omni meliori modo ſpiritualiter mederi animæ pænitentis, ad inſtar Medici, qui tantũ in eo elaborare debet, ut media ad ſanitatem opportuna pręſcribat. Quare illud in præſenti caſu dicendum videtur, Superiorem illum Confeſſarium ex vi cõfeſsionis auditæ nullo modo debere ſubditũ ab officio amouere, poſſe tamen illum inducere omni meliori modo, ut renunciet officio, cui niſi voluerit renunciare, debere Superiorẽ in officio tollerare ſubditum, quouſq; aut officium vacet, aut detur aliqua occaſio illum dimouendi, ſine aliqua cõfeſsionis iam factæ ſuſpicione: quòd ſi poſsit ſubditus amoueri abſque aliquo periculo ſuſpicionis reuelatæ confeſsionis, non ſolùm reſpectu aliorum, ſed etiam ipſius ſubditi, ex ſententia Angeli, & Roſellæ locis infrà citandis, teneri, ac debere id ſtatim facere: poteſt enim Confeſſor aliquãdo vti ſciẽtia illa ſacramẽtali pro beneficio

Cõſilium.

ficio ſpirituali animæ pænitentis, ut ſuo loco oſtendemus: id quod verum maximè eſt, quādo officium dependeat à mente Superioris, ut iam adnotauimus ſupra.

Sequitur tertiò, neq; licere propter confeſſionem auditam negare alicui publicum aliquod ſuffragium, quod erat alioqui daturus, ex cōmuni ſententia DD. Soti in 4. d. 18. q. 4. art. 5. in ſolutione ad Tertium. Viualdi ſupra num. 29. & ratio ipſa ſuadet, nam aliàs poſſet reddi moleſta confeſſio, & illi, cui ſuffragium denegatur, cùm ſit publicum, & etiam alijs, exemplo illius, ſi intelligerent ſuffragij denegationem habuiſſe ortum ex confeſſione iam facta; neque in hoc videtur aliqua difficultas inter DD. Quare ſine cauſa Suarius ſupra diſputat. 33. ſect. 7. nu. 12. conatur limitare ſententiam Soti, & aliorum, ac ſi eſſent in contraria ſententia, ac propterea, ut trahātur in bonum ſenſum, debeant intelligi, quādo ſuffragium dandum ſit publicum; tunc ſcilicèt non poſſe illud denegari, nam & Sotus, & alij cōmuniter concedunt id, quod nos ſupra poſuimus, nō poſſe ſcilicèt denegari ſuffragium publicum alicui ex occaſione confeſſionis auditæ; & de Soto quidem apertè conſtat id ſenſiſſe loco ſupra citato.

Soluitur alia diffi-cultas.

malè Suarius.

Quòd autem dubitāt DD. & inter illos verſatur lis, eſt, *Vtrum idem ſit dicendum, quando ſuffragium dandum ſit ſecretum.* Vtrum, inquā, quādo Superior cognouit ex cōfeſſione peccatū, atq; indignitatē ſubditi, qui

Grauis difficultas de dando ſuffragio.

ſecretis ſuffragijs eligendus eſt in Prælaturam, poſsit, & debeat, illi denegare ſuffragium ſuũ fauorabile, an verò dare, ex quo aliàs ex ſcientia extrà confeſsionem nouerit illum dignum omni Prælatura: qua in re

S. Thom. D. Tho. in 4.d.21.q.3. art.1. Sotus ibidẽ q.2. *S. Bonauẽ.* S. Bonau. 2.q.ar.9. Silueſt. ubi ſupra q.14. Tabiena ſup.nu.5. *S. Antoninus.* S. Antonin. ſupra §.1. in fine. Nauar. in c. Sacerdos. de pæniten. d.6. nu.74. 146. & 147. Sotus lib. de teg. & deteg. ſecre. m.3.q.4. poſt 5. cõcluſ. & in 4.d.18.ſup. Viual. ubi ſup. aſſerunt huiuſmodi Confeſſarium Superiorem poſſe, imò teneri denegare ſuffragiũ illi ſubdito in dicto caſu.

Poteſt autem probari hæc ſentẽtia, Primò, quia, ſi quæ ratio poſſet aſsignari, cur Superior ille teneretur fauere huiuſmodi ſubdito, maximè eſſet, quia ſacramentalis ſcientia nõ debet eſſe regula in actionibus externis, cuiuſmodi eſt electio, & eſt fundamentum contrariæ ſententiæ; ſed hæc ratio non obſtat, ergò. Probatur minor, quia ſcientia illa non poteſt eſſe regula actionum humanarum, ex qua aut redderetur, aut certè poſſet reddi ſuſpecta, ac moleſta ſacramentalis confeſsio; ſed ſcientia ſacramentalis in caſu noſtro non eſſet huiuſmodi, ſupponimus enim ſuffragium omninò neſciri, vnde nullum eſt periculum, ut reddatur alicui ſuſpecta confeſsio. ergò.

Secundò probatur, quia facere cõtrà dictamen rectæ rationis, peccatum eſt, iuxtà illud *D. Paul.* D. Pauli ad Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide,* pec-

peccatum eſt. quem locum licèt S. Auguſtinus lib.4. contrà Iulianũ c.13. intellexerit de fide, quæ eſt virtus Theologica, ſicut etiam intellexerunt Ven.Beda, D.Anſel. & Gloſ. ord. in eũ locum; attamen melior ſemper mihi viſa eſt explicatio Theodoreti, Theophilati, S. Ambroſij, & S. Chryſoſtomj in eundem locum; S. Pauli, verum,ac germanum ſenſum illum eſſe, *Omne, quod non eſt ex fide*, id eſt, ex credulitate, qua quis putet ſibi eſſe licitum id, quod facit, *peccatum eſt*. quaſi dicat, peccatum eſt, quidquid fit contrà conſcientiam; quam explicationem etiam amplexus eſt D. Thom. in eum locum. Sed huiuſmodi Confeſſarius ex confeſsione ſcit ſubditũ eſſe Prælatura indignum, ergò, ſi illum eligeret, faceret contrà cõſcientiam; ergò peccaret, quod nullo modo cõcedendum videtur, & conſequenter nec tenetur illum, ut ſic, eligere.

S. Auguſt. *Ven. Beda.* *S. Anſel.* *Gloſ. ord.* *Theodoret.* *Theophil.* *S. Ambro.* *S. Chryſoſ.* *D. Thom.*

Paludanus in 4. d.21. q.3. Frãciſcus Suarius ſupra diſput.33. ſect.7. nu.12. aſſerunt, nullum committi malum ab eo, qui dignum quidẽ ex humana ſcientia eligit, licèt indignum ex ſacramentali.

Poteſt autẽ probari hæc ſententia: Primò, auctoritate S. D. N. PP. Clemen. VIII. fe. me. qui in ſuo Decreto, ſuper caſuũ reſeruatione, à Regularibus obſeruando, id non obſcurè tradit: ſic enim habet, *Tàm Superiores pro tempore &c. quàm Confeſſarij, qui poſteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis habue-*

Clem. PP.

runt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Ex quibus ſatis quiſq; concludere poteſt, nō poſſe denegari ſuffragium illi, qui exterius Prælatura dignus cognoſcitur, licèt ex confeſsione indignus cognoſcatur; nam, ut inquit Pontifex, ſcientia ſacramentalis nulla eſſe debet, neq; quidquàm facere ad externam gubernationem. Hanc rationem fuſius infrà examinabimus.

Secundò probatur. Iudex debet ſolùm iudicare ex allegatis, & probatis, & non ex particulari ſcientia, C. Iudicet, 3. q. 7. cap. Paſtoralis. §. quia verò. de offic. deleg. l. illicitas. §. veritas. ff. de off. Præſid. & habent S. Thomas 2. 2. q. 64. ar. 6. ad tertium. & q. 67. ar. 2. Alenſ. 3. p. q. 40. mem 6. ar. 2. Richard. in 4. d. 18. ar. 3. q. 26. Maior ibidē d. 33. q. 4. Palud. ibidē d. 18. q. 6. S. Antonin. 3. p. tit. 9. c. 2. §. Sextò. Silueſt. verb. Iudex ſecundò, §. Quintò. Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 4. art. 2. Nauar. in c. ſi quis autem. de pænit. d. 7. nu. 128. Felinus, & Imola in c. paſtoralis. de off. ord. §. quia verò. Alciat. in c. 1. de off. ord. Couarru. lib. 1. var. reſolut. c. 1. & Salonius in 2. 2. D. Thom. q. 67. c. 2. ergò Superiot ille, tanquā quidam Iudex, non debet priuare ſuffragio ſubditum ex particulari illa ſacramentali ſcientia, ſed ſecundū ſcientiam, quam habet in foro exteriori, ſe gerere debet in electione; ergò, quia ſecundum hanc cenſet illum dignum Prælatura, poterit ſuo ſuffragio illi fauere.

D. Thom. *S. Antoninus.*

Tertiò, probatur eadem ſententia, Confeſ-

ſio

ſio nulli debet eſſe moleſta, & grauis, neq; ex ea debet pænitens ſentire aliquod incommodum; ſed ſi ex cõfeſsionis ſcientia priuaretur pænitens aliqua dignitate, ſine dubio ex confeſsione ſentiret aliquod incommodum, eiq; illa eſſet grauis, ac moleſta. ergò.

Neque dicas, nulli reddi moleſtam confeſſionem, quia ſuffragium, quod datur, eſt omninò occultum, & ſecretum. *Obiectio.*

Reſpondetur enim, id eſſe per accidens, quod ſcilicèt ſuffragium datum neſciatur à pænitẽte; attamen per ſe confeſsio eſt illi grauis, & onerosa; quod nulla ratione videtur concedendum de confeſsione:

Quartò probatur, Superior ille accedit ad electionem, ut homo ſimpliciter, ſed ut talis nouit ſubditum, dignum Prælatura, ut ſupponimus, ergò ut talis poteſt, & debet illi fauere: nam, quòd deinde ex confeſsione nouerit illũ eundem indignum, perinde eſt, ac ſi non noſſet: id quod maximè dicẽdum videtur in præſenti caſu ex Decreto ſupra allegatò Clemẽtis Papæ VIII. Vtrum autem teneatur Confeſſor in alijs, à præſenti caſu, ſe gerere eodẽ modo poſt confeſsionem auditam, ac anteà, non facilè dixerim, certè cùm nulla appareat implicantia, quare in multis nõ poſsit uti illa ſcientia ſacramentali; præſertim in rebus & proprijs, & proximi, & nullum ſequatur abſurdũ, non video, cur id ſit negandum: id, quod nos ſuo loco examinabimus. legatur interim Suarius ſupra diſp. 33. ſect. 7. nu. 9. *Clem. PP.*

Vltimò probatur, ratione deducta ex ſuprà allegato Decreto Clementino, & videtur fundamentum huius ſententiæ, quia ſcientia ſacramentalis nō debet eſſe regula, qua electores debeant moueri ad electionem de aliquo faciendam, ſtat enim ſemper illud D.Bernardi, *Nihil minus ſcio, quàm quæ per confeſſionem ſcio*. ergò non poterit Superior ille moueri ſcientia ſacramētali, quam habet de ſuo ſubdito, ut illi non faueat; debent enim electores in electionibus faciendis in ordine ad ſubditum, auditum ex confeſsione, eodem modo ſe habere, ac ſi nullo modo aliquid ſcirēt ex illa; ſicut & eodem modo ſe gerere debent in multis alijs, ut dicemus infrà, & patet ex allegato Decreto. Ergò cùm Superior ex ſcientia externa, & humana cognoſcat ſubditum Prælatura dignum, poterit tuta conſcientia illum eligere.

D.Bernar.

Verùm, quid in hac ſatis perplexa difficultate ſit dicendum, non facilè dixerim; nam ſi inſpiciamus rationem, quod aſſerit ſecunda ſententia approbādum videtur; ſi verò auctoritatem DD. quòd aſſerit prima. Sed quoniā relinquere rationem propter auctoritatē DD. non ſatis videtur rationi conſentaneum, ubi præcipuè nihil ſit de fide; ideò, cùm alterius ſententiæ ratio, & fundamētum ſatis conuincere videantur, accedente Decreto ſupra allegato, tanquā quid probabilius laudo, quod ſecundo loco dicitur, ità tamē, ut nullo modo condemnare audeam, quòd cum tantis viris

dici-

dicitur in priori. Et de hac dubitatione, cùm Bononiæ eſſem, ac de quotidianis diſputationibus, ijsq; difficilioribus occurreret diſſerendum, memini me incidenter conſuluiſſe virũ (eram enim in quotidiana Academia) non minus ſpectatæ vitæ, quàm omnium ſcientiarũ genere ornatum, meiq; amicissimum Io. Dominicum Peruſium Ciuem Mediolanenſem, ex honeſtiſsima, ac pijſsima familia ortũ, quid tandem ipſe ſentiret de hoc dubio; ipſe verò ex modeſtia, qua maximè pollebat in huiuſmodi negotijs, illud ſolùm innuit, & ſententiã D. Thomæ non ſibi diſplicere, & Paludani ità approbare, ut tamẽ hanc libentius amplecteretur. Non potuit vir doctiſsimus totam rem perficere, quod mihi grauiſsimũ fuit; fuit .n. à propoſitis difficultatibus Academicis aliò diſtractus; egò verò, ne illi moleſtus viderer, acquieui, neq; aliquid prætereà ſum ab eo ſciſcitatus; hanc tamen difficultatem, cùm hoc loco tractare ſuſceperim, mecum ipſe perpendi, quæ à ſapientiſsimo viro propoſita ſunt; vnde propoſui illam problematicè tractare, ac definire.

Igitur, cùm vtrumq; tanquã probabile ponamus, licèt alterum dicamus probabilius, nõ erit ab re argumenta in vtramq; partem allata ſoluere, ex quorum ſolutione, quid probabilius ſit ſentiendum, facilius explicabimus, ac definiemus. *Vtraq; ſententia probabilis. Secũda probabilior.*

Ad primum igitur pro prima ſentẽtia, Reſpondeo, illam eſſe potiſsimam rationem, ut

iam diximus, neque enim ſcientia illa ſacramentalis poteſt mouere Confeſſarium, ut deneget alicui ſuffragium, ſi aliàs nouerit dignũ, vt benè colligi videtur ex verbis Decreti ſupra allati, & explicati.

Ad ſecundum reſpondeo, ex quo Superior ille non poſsit moueri ex illa ſacramentali ſcientia ad electionem, ut patet ex dictis, cõſequenter neq; faciet contra præſcriptum rectæ rationis, ſi eligat, quem ipſe ex ſcientia humana nouit dignum, etiam ſi ſcientia ſacramentali nouerit indignum; recta enim ratio tantùm præſcribit, electionem eſſe faciendã iuxtà bonam æſtimationem, quæ de eligèndo de foris habetur, & in qua nullus defectus, aut vitium deprehendatur, ex ijs, quæ continẽtur in cap. cùm in cunctis. de elect. cap. nulli. & cap. ſi fortè, item de elect. & hæc ad argumẽta prioris ſententiæ.

Ad argumenta verò ſecundæ ſententiæ, quatenus priorem etiã probabilem diximus, reſpondendum nunc eſt.

Decretum Clem. PP. non officit. Et primò quidem Reſpondetur ad Decretũ ex S. D. PP. Clem. VIII. Primò. decretum illud non officere priori ſententiæ, quia nõ ſatis conſtat ex illo, ipſum loqui in ordine ad electionem faciendam, cùm tamen ſatis conſtet ex cap. per inquiſitionem. & ex alijs, de election. non debere eligi indignum ad Prælaturam, nullo adhibito verbo, aut clauſula, qua explicetur, quæ ſit illa indignitas, an cognita ex ſcientia ſolùm humana, an verò ſuf-

ficiat

ficiat ſacramẽtalis. Igitur cùm tantùm dicatur, non debere eligi indignum, ſufficiet indignitas quocunq; modo cognita, ut quis poſsit excludi ab aliquo officio, gradu, aut dignitate, tuta conſcientia ab electoribus.

Secundò Reſpondetur, potuiſſe Pontificem conſtituere Decretum illud propter alia multa, quæ paſsim occurrunt inter regulares, ut dicemus, vnde non videtur concludendũ, Papam ibi loqui de electionibus faciendis; poteſt enim loqui de alijs, de quibus infrà.

Tertiò Reſpondetur, verba illa Decreti, *Caueant &c. ne ea notitia &c.* eſſe intelligenda, quando ſit periculum ſuſpicionis confeſsionis reuelandæ, ità ut inde poſsit oriri regularibus moleſta confeſsio, (quod amoueat Deus) quare ſecretum illud nõ videtur officere priori ſententiæ.

Ad ſecundum, ex cap. Paſtoralis &c. & ad alia, quæ ibi citantur, reſpondeo, admiſſo antecedente, negari conſequens; neq; .n. eadẽ eſt ratio vtriuſque; diſparitas autẽ eſt, quia Iudex ex bono communi, poſthabita particulari ſcientià, quæ aliquando accidit eſſe fallax, & ex qua plura poſſunt inſequi mala, tenetur Iudicium ferre ex ijs, quæ hinc inde probantur; id, quod non reperitur in ijs, quæ ſunt in foro animæ, quæ certiſsima ſunt, aut certè tanquã talia à Confeſſario haberi debent.

Ad tertiũ, nego minorem, ex quo enim ſuffragium eſt ſecretum, nullum ex illis ſequitur inconueniens, quæ ponuntur in argumento.

Ad quartum, Reſpondeo, Confeſſarium illum, & ut Dei vicem gerit, & ut homo eſt, ſcire ſubditum eligendum eſſe indignum Prælatura ex confeſsione, vnde ex ea parte, qua ut homo id ſcit, faciet contra præſcriptum rectæ rationis, ſi ſuum fauorabile tali indigno dederit ſuffragium. Vtrum autem Confeſſarius eodem modo ſe habere debeat, audita cõfeſſione, ac antè, infrà dicemus.

Ad rationem, quæ eſt fundamentum illius ſententiæ, Reſpondeo, Superiorem illum poſſe moueri ad aliquid agendum, etiam ex ijs, quæ habuit ex confeſsione, modò tñ nulla ratione, aliqua ſibi facta confeſsio reddatur ſuſpecta; poteſt enim Confeſſor, ut alios caſus omittã, ex ijs, quæ habuit in confeſsione vnius, moueri, ut attentiùs examinet alium in cõfeſsione, ut habent Silueſt. verb. confeſſor tertiò. q. 26. Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. memb. 3. q. 4. Nauar. in manu. c.8. nu. 17. & nos infrà dicemus; & prætereà, ſi nihil obſtet, & nullum ſequatur abſurdum, aut incommodum, quod dicimus, quia, ſi præſens caſus cõtineatur in allegato Decreto, certum eſt, nullo modo poſſe Prælatum, aut quemcunq; alium, moueri, ex confeſsione audita, ad aliquid agẽdum, neq; ad denegãdum ſuffragium illi, quem aliàs dignum nouerit: & ſic non poſse ſuſtineri illa prior ſententia, quam nos probabilem diximus; & eſt S. Thomæ ubi ſupra. *S. Thomas.*

Sequitur ex dictis, id ab omnibus eſſe receptum, quod neq; ipſe Sotus negat, ut videre eſt

ex

ex lib.de teg. & deteg. ſecr. memb.3. q.4. poſt quintã concluſ. nunquàm poſſe denegari ſuffragium illi, qui ſolùm notus eſt indignus ex confeſsione,ſi inde oriri poſsit ſuſpicio aliqua confeſsionis iam factæ, ut apertè deducitur ex Decreto ſupra allegato, id .n. voluiſſe Pontificem textus ipſe ſatis explicat. Solùm videtur obſtare doctrina D.Thomæ, qui in 4.d.21. ſupra videtur abſolutè dixiſſe, neminẽ debere eligere indignum,etiã ex confeſsione notum; quo Sotus viſus eſt nobis varius;nam ipſe,cùm approbet hãc doctrinam D. Thomæ, ut patet ex loco iam citato, in 4.d.18. q.4. ar.5. ad tertium. & poſteà euidenter aſſerat,ꝙ,quæ Confeſſarius ſcit per confeſsionẽ, omninò neſcire dicatur, ut patet legenti locum paulò ante allegatum ex 4 d. 18. q.4. art.5. ad tertium. debuiſſet concludere potiùs, Superiorem teneri ſuffragium dare illi, quem nouerit dignum ex ſcientia humana, licèt indignũ ex ſcientia ſacramentali; nam Superior ille accedit ad electionem faciendam ut homo, & ut talis neſcit eligendum eſſe indignum, quare,ut ſic, debet illum eligere. Vnde,cùm ipſe deinde aſſerat, non debere illum, ut ſic; eligere, non videtur ſatis ſibi conſtare in hoc. S. autem Thomas fuit in priori ſententia. *Sotus videtur varius*

Sequitur ſecundò, quid ſit dicendũ ad difficultatem illam, qua quæritur. *Alia difficultas.*

Vtrum, qui ſic eligeret indignũ ſolùm

ex

ex confeßione cognitum, incurreret pœnas inflictas cap. cùm in cunctis, de elect. contrà eligentes indignum, digno prætermiſſo.

S. Antoninus.

S. quidem Antonin. ſupra §. 1. in fin. & Nauar. in cap. Sacerdos. de pœnit. d. 6. nu. 148. dicunt, huiuſmodi electores contracturos illas pœnas.

Poteſt autem probari hoc dictum. Primò, ex cap. alleg. cùm in cunctis &c. vbi infliguntur pœnæ contrà eligentes indignum; ſed Superior in caſu, de quo quæritur, eligit indignū, id, quod ſcit ex confeſsione; ergò.

Secundò probatur, inter alias pœnas inflictas cōtrà malè eligentes, eſt pœna ſuſpenſionis per tres annos, ut patet ex cap. ſupra citato, & ex alijs: hæc autem ſuſpenſio, cùm ſit cenſura Eccleſiaſtica, ſupponit culpam, vt habet Illuſtriſs. D. Caietàn. in Sum. verb. ſuſpenſio. Sotus in 4. d. 22. q. 3. ar. 1. Nauar. in manu. c. 27. nu. 151. 153. 154. & alibi; Sayrus lib. 4. Caſ. Conſc. c. 1. nu. 19. eamq; mortalem, ſi ſit à iure ex Illuſtriſs. Toleto lib. 1. ſup. c. 45. nu. 2. Vgolino de ſuſpenſ. tab. 4. c. 5. §. Secundo. & alijs ſupra citatis; ſed ille eligens indignum, peccat mortaliter, ut patet, ergò etiā iure cōtrahit pœnam ſuſpenſionis, debitam illi culpæ.

Alij conſequenter dicunt, Prælatum, ſic eligendo indignum ex ſcientia ſacramentali, ſed

dignum

dignum ſcientia humana, non contracturum aliquam pænam iuris; ità Suarius ubi ſupra, & videtur Soti lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 4. poſt quintam concluſ. etiamſi in ſuperiori capite ſequatur D. Thomã, quò ad electionem faciendam, vel non faciendam de indigno cognito ex confeſsione.

Quibus electoribus ſit inflicta pæna ſuſpenſionis. Glosſa.

Notan. eſt, pænam ſuſpenſionis eſſe inflictã contrà illos, qui ſcienter eligunt indignum ad aliquam dignitatem, prætermiſſo digno, ex c. ſupra allegatis, præcipuè verò ex cap. cit. cùm in cunctis. ut ibi habet gloſ. & docet Illuſtriſs. Tolet. in expoſitione illius cenſuræ lib. 1. c. 45. nu. 2. & vlt. loco Suarius de cenſuris diſp. 31. de ſuſpen. ſect. 4. ut omittam alios antiquiores. Verùm nõ quæcunq; ſcientia facit, ut contrahatur hæc pæna, ſed illa ſolùm, quæ habetur extrà omnem ſacramentalem confeſsionem; nam ſcientia ſacramentalis, quemadmodum facit nullam contrahi culpam ab eligente ex ſcientia indignum, ſic neque facit, ut aliqua contrahatur pæna ab illo; neq; enim ſcientia illa ſacramentalis debet eſſe regula in his actionibus externis, ut tanquàm quid probabilius diximus, ex ſupra allegato Decreto Clementis Papæ VIII.

Reſpondeo ergò Dubitationi, mihi multò probabilius videri, nullam contrahi pænã ab eo, qui indignum quidem eligit ex ſcientia ſacramentali, ſed dignũ ex humana, & externa.

Probatur, quia, qui eligit dignum ex ſcientia extrà ſacramentum, licèt indignum ex ſa-

cramentali, nullam contrahit culpam, ut iam patet ex dictis, ergò neq; aliquã pænam, quæ, ut diximus, ſolùm contrahitur ex culpa.

Ad primũ, ex cap. cùm in cunctis. iam patet ſolutio ex dictis; caput enim illud ſolùm intelligendum eſt, quò ad eos, qui ducuntur ſcientia humana ad eligendũ indignum.

Ad ſecundum iam ſupra reſponſum eſt, pænam ſuſpenſionis illis eſſe inflictam, qui ſcienter, id eſt, ex ſcientia humana, non ſacramentali eligunt indignum; non autem contrà eos, qui indignitatem illam tãtùm ſciunt ex ſcientia cõfeſsionis, aliàs enim fieret iniuria ſacramento, ſi, ex quo pænitens faciat tantam rem ſacram, cuiuſmodi eſt confeſsio, reciperet aliquod incommodum.

Alia difficultas. Sequitur tertiò, quid ſit dicẽdum ad aliam difficultatem.

Quid? ſi quis ex confeßione ſibi facta, audit parari ſibi venenum, mortem, aut aliquid ſimpliciter, vtrum poſſit ſe defendere, & ſibi cauere.

Henricus Quodlib. 8. q. 18. 29. & 31. exiſtimauit, nullo modo poſſe huiuſmodi Confeſſarium aliquid innouare, aut parare, quo poſsit ſe defendere, etiamſi nulla ſequatur cõfeſsionis iam factæ ſuſpicio.

Probat autem hoc ſuum dictum Henricus, quia

quia Cõfeſſor eodem modo ſe habere debet, confeſsione audita, ac ante; ſed, confeſsione non audita, nullo modo Confeſſarius aliquid innouaſſet, ergò, nec etiã audita confeſsione.

Alij contrà aſſerunt, Confeſſarium, confeſſione audita, poſſe ſibi cauere.

Reſpondeo ad Dubitationem, poſſe talem Confeſſarium, audita illa confeſsione, aliquã adhibere diligentiam, & parare etiam arma, ſi opus fuerit.

Probatur autem noſtra concluſio, quia vſus ſcientiæ confeſsionis non eſt ſimpliciter prohibitus Confeſſario, ſed poteſt aliquando illo vti; ergò poterit Confeſſarius, ex confeſsione ſibi facta, ſe defendere, ac ſibi præcauere.

Dixi, poſſe Confeſſariũ aliquando vti ſcientia ſacramentali; quod intelligendum eſt eſſe verum, quibuſdam poſitis cõditionibus; primò, ut nihil obſtet ex iure humano, quod dicimus propter illud iam ſupra allegatum cap. Clemen. PP. VIII. ut conſtat ex dictis: ſecundò, ut nullo modo ſequatur aliqua cõfeſsionis reuelatæ ſuſpicio: tertiò, ut ſit ſine aliquo grauamine pænitentis: vltimò, vt fiat ex aliqua rationabili cauſa, ut ait Suarius ubi ſup. nu. 10. quæ conditiones, ſi ponantur, non video, cur non poſsit Confeſſarius vti illa ſcientia ſacramentali, & ſic aliter ſe habere, ex confeſsione audita, quàm antè. Et ex his poterit quiſque multa alia ſoluere, quæ paſsim occurrunt in ſimilibus rebus. legatur Sotus de tegen. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 4. ſub fine. *Nota.*

Ex his probatur, ſecundò, noſtra Cõcluſio; quia enim, ut de ſe cõſtat, nulla ex ſupradictis conditionibus obſtat in noſtro caſu, non erit negandum Confeſſario, quin poſsit ex confeſſione audita ſibi conſulere, & præcauere.

Alia difficultas. Sequitur quartò, neque poſſe Prælatum priuare ſubditum ſuo beneficio, ex confeſsione audita, ut patet ex cap. Præsbyter. 15. q. 6. & docent communiter DD., & vltimo loco Suarius ſupra nu. 10. & ratio eſt, quia ad hoc, ut quis priuetur beneficio, requiritur, ut ſit legitimè conuictus, & confeſſus, ut conſtat ex alleg. cap. Præsbyter &c. Sacramentalis aũt ſcientia non dat ius agendi in foro externo, ex c. 2. de off. ord. cap. Dilectus. de exceſſ. prẹlat. & patet ex communi ſententia, de qua infrà, ergò. Præterea, ſi ex ea cauſa priuaretur ille ſuo beneficio, Prælatus maximam faceret iniuriam Sacramento, cùm illud redderet moleſtũ pænitenti. Vltimò, quia ſic priuatus beneficio impoſterum aut vitaret confiteri, aut certè nõ integrè cõfiteretur; quorum vtrumq; eſſet maximè damnoſum. ergò.

Alia difficultas. Sequitur quintò, neque Prælatum poſſe ex confeſsione à ſuo ſubdito ſibi facta, denegare illi licentiam perambulandi per Ciuitatem, aut alium aliquem locum, ſi eam aſſueuerit dare; & ſi nouerit ex hac licentia dari ſubdito anſam peccandi; quod tamen tunc intelliligendum eſt eſſe verum, cùm ex denegatione talis licentiæ poſſet reddi ſuſpecta confeſsio, ex ſentẽtia Angeli, & Richardi, quidquid dicat

cat

cat Silueſt. ſupra quæſt. 14. Secus eſſet dicendum, ſi nulla inde poſſet oriri ſuſpicio, tunc enim Superior ille benè faceret, ſi viam talis deambulationis illi occluderet; ut docent D. Antonin. ubi ſupra, & Nauar. in c. Sacerdos. de pœniten. d. 6. nu. 74. & alij. *D. Antonin.*

Sequitur ſextò, Quid? quando Sacerdos videat latronem, qui furatur, ſed ex induſtria fur ſtatim accedit ad Confeſſarium illum, cõfeſsionis gratia, non ex alio fine, niſi ut illi os obſtringat, ne furem dicat; dicimus enim ex ſententia D. Thom. in 4. d. 21. q. 3. ar. 3. Soto in 4. d. 18. q. 4. ar. 6. & de teg. & deteg. ſecret. mem. 3. q. 4. ſub fin. Nauar. in cap. Sacerdos. de pænit. d. 6. nu. 160. Iacob. de Graff. ſupra nu. 24. & aliorum communiter, Sacerdotem illum Confeſſorem poſſe manifeſtare latronẽ; tali tamen modo, ac via, ut nullo modo poſsit quis ſuſpicari, id fieri ex via confeſsionis. *Alia difficultas.* *D. Thom.*

Sequitur ſeptimò, Confeſſarium, ſi habeat famulum, quem ſua furari, ex confeſsione ſibi ab illo facta, cognouit, poſſe ſua illi non amplius credere, vel etiam domo expellere; modò tamẽ nulla poſsit oriri ſuſpicio, ad id motum eſſe Confeſſarium, ex confeſsione audita; nam ſi talis poſſet oriri ſuſpicio, Confeſſarius debet omninò deſiſtere, quouſq; arripiat aliquem titulum, (quod facillimũ eſſet) quo co honeſtare poſſet factum, domo famulũ expellendi, quidquid dicat Sotus lib. de teg. & detegen. ſecr. mem. 3. q. 4. poſt quintam concluſ. Interim tamen Confeſſarius caueat ſibi. *Alia difficultas.*

Sequitur vltimò, ex Soto, tùm alibi, tùm lib. de teg. & detegen. ſecr. mem. 3. q. 3. & 4. non poſſe Prælatum, aut alium quempiam, per notitiam, quam ſolùm habuit ex confeſsione, inquirere extrà confeſsionem, ut ſuprà probauimus ex communi: non tamẽ negandum videtur, poſſe Prælatum, ſi aliunde habeat inditia ſufficientia ad agẽdum contrà aliquem, etiam ſibi confeſſum, poſſe agere contra illũ, ex vi tamen, tantùm illorum inditiorum, quæ habuit extrà confeſsionem, ità ut confeſsio audita nõ faciat maius aliquod inditium, aut ingerat maiorẽ aliquam inquiſitionem, ut docent D. Antonin. ſupra §. Primò. Sotus in 4. d. 18. q. 4. ar. 6. concluſ. ſecunda. & de tegen. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 4. concluſ. 5. Medina ſupra q. 50. Nauar. in cap. Sacerdos. de pænit. d. 6. nu. 162. & in manu. c. 8. nu. 15. Viual. ſupra nu. 34. & ratio eſt, quam reddunt S. Thom. ſupra; S. Bonauen. 2. p. ar. 2. Viguer. & Sotus ubi ſupra; quia ille, ex confeſsione audita, nõ amittit ius ſuum loquendi, neque ex eo fit peioris conditionis, ut non poſsit loqui, contrà Altiſsiodoren. qui lib. 4. Sum. tit. 6. cap. 3. q. 4. aſſerit, id non poſſe fieri, quia ſemper id poſſet generare magnum aliquod ſcandalum. Sed hæc ratio nullius momenti eſt, nam, quòd Confeſſarius loquatur de ijs, quæ habuit ex confeſsione, modò tamen eadẽ ſciuerit extrà confeſsionem, & inde generetur ſcandalum, eſt omninò per accidens, per ſe enim nihil tale poteſt inſequi, cùm verè Confeſſarius non

Nota.

S. Antoni.

S. Thom.
S. Bonauē.

malè Altiſſiodoren.

loqua-

loquatur de illis, ut auditis ex confeſsione, ſed ut aliunde. Dicerem tamen optimum conſilium eſſe, Confeſſarium, dum de huiuſmodi rebus occurrit ſermo, debere ſemper addere, Vidi ego, Audiui ego ab hoc, aut ab illo, aut aliquid huiuſmodi, ut ſic omnis ratio ſcandali dimoueri poſsit. Et hæc de ſecundo dubio dicta ſint. *Conſilium.*

Circa tertium dubium.

TERTIA DVBITATIO.

An, pro ſalute Principum conſeruãda, poßit confeßio reuelari.

IAm ex ſuperiori dubio patet, non poſſe pro bono aliquo particulari comparando, aut etiam malo fugiendo, infringi ſigillum ſacramentale. Videndũ nunc eſt, Vtrum id liceat pro bono communi, quod eſt in conſeruanda ſalute Principum, Patriæ, & alijs ſimilibus.

Non defuerunt, qui dicerẽt, in eo caſu poſſe confeſsionem reuelari.

Sed meritò condemnantur à D. Antonino ſup. c. 22. Medina ſupra quſtæ. 45. & ratio eſt manifeſta ex ijſdem, quia, ex D. Paulo, nõ ſunt facienda mala, ut inde eueniant bona, ad Roman. 3. ergò, cùm reuelatio ſit aliquid intrinſecum malum, non erit id faciendum, ut deinde quodcũq; aliud bonum comparari poſsit, aut malum euitari. *D. Paulus.*

b Alij, ut Altiſsiodor. ubi ſupra, & Hoſtienſ. ubi etiam ſupra §. in quo. exiſtimarunt, ſi poſſet contingere aliquis caſus, ut ex huiuſmodi reuelatione non fieret odioſa confeſsio, poſſe reuelari, quanquàm dixerint, vix poſſe cõtingere hunc caſum; & Hoſtienſis addat, poſſe quidem reuelari confeſsionem, modò tamen perſonæ pænitẽtis nulla oriatur ſuſpicio; quod videtur etiam ſenſiſſe Couar. 2. p. c. 8. §. duodecimo, nu. 10.

Verùm hæc ſententia, licèt omninò non ſit improbanda, ſimpliciter tamen non placet, quia ſemper, quoquomodò reueletur, poſſet inde inſequi aliqua ſuſpicio cõfeſsionis, quod omninò euitandum eſt; quod ſi nõ conſequatur, eſt per accidens.

c Alij vltimò dixerunt, Confeſſarium, neque etiã pro ſalute alicuius, vel maximi Principis, poſſe reuelare confeſsionem: ſic Gabriel in 4. d. 2. q. 1. concluſ. 3. Ioan. Maior ibidem q. 3. Adrian. in 4. tract. de ſigil. confeſſ. Sotus de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 4. concluſ. 2. Tabiena ſupra nu. 3. S. Antonin. ſupra c. 22. Medina ſupra q. 45. Nauar. in c. Sacerdos. diſt. 6. de pænit. à num. 116. Viuald. ſupra nu. 11. Toletus ſupra nu. 6. Coſmus Philiar. ſupra c. 30. Iacobus de Graff. ſupra nu. 4. Rodriq. Tom. 2. c. 53. & alij.

D. Antoninus.

Nõ licèt reuelare cõfeſſionẽ pro quacunq; vita ſaluãda.

Reſpondeo, nullo modo licere confeſsionẽ reuelare pro ſaluando Principe, vel maximo, Patria, aut quocunq; alio.

Probatur primò ex ipſis verbis cap. Sacerdos.

dos.

dos. de pæniten. d 6. ubi habentur hæc verba; *Neque quod abſit pro aliquo ſcandalo &c.* eſſe ſcilicèt reuelandam confeſsionem; ergò neque etiam pro præſenti caſu erit aliquid ex cõfeſſione reuelandum. ſequela de ſe patet.

Secundò probatur, quia præceptum de cõfeſsione cælanda, eſt præceptum negatiuum, quemadmodum ſunt præcepta de non iurando, de non blaſphemando; ſed hæc ſunt indiſpenſabilia, ex D. Tho. 2. 2. q. 100. ergò etiam præceptum de non reuelando confeſsionem. *D.Thom.*

Tertiò, probatur ex illa propoſitione ſupra allata, non eſſe ſcilicèt facienda mala, vt inde eueniant bona, ex D. Paulo ſupra; ergò neque erit reuelanda confeſsio, propter quodcunq; bonum, quod inde ſperari poſſet. *D.Paulus.*

Dices; bonum publicum eſſe priuato anteponendum, id quod recta ratio ſuadere videtur; ergò potius permittenda videtur confeſſionis reuelatio, quàm ruina, & pernicies alicuius Principis, aut etiam Patriæ, cùm hoc ſpectet ad bonum quoddam commune; illud verò ad particulare. Confirmatur, quia multùm laudantur, qui ex affectu miſericordiæ pro amico, & proximo vitam profuderunt, ex Ariſt. 9. Ethic. cap. 8. D. Hieronymo in cap. 7. Mich. D. Auguſt. libro de Amicitia, cap. 10. D. Ambroſio lib. 7. de off. cap. 12. D. Tho. in 3. d. 29. quæſt. vnica. ar. 5. ad tertium. & 2. 2. q. 26. ar. 5. Soto lib. 5. de iuſt. & iur. q. 1. art. 6. Valentia in 2. 2. diſput. 3. q. 4. punct. 3. maximè verò, qui pro bono pacis ſe ſe morti dederunt, ut legi- *Obiectio.* *Ariſtot.* *S.Hierony.* *S.Auguſ.* *D.Ambro.* *S.Thom.*

tur de Machabæis, & alijs, in Sacris litteris. Ergò, ſi pro conſeruatione boni communis licet vitam periculis exponere, cur non etiam erit confeſsio potiùs manifeſtanda, quàm bonum cōmune in diſcrimen afferrendũ? quod maximè cernitur in cōſeruatione Principum, & aliorum ſimilium.

Reſpondeo, argumentum non concludere, quia comparatio non fit inter res eiuſdem generis, & ordinis, ſed diuerſi, inter bonum ſcilicèt ſpirituale, & temporale; quis autem neſciat, bonũ ſpirituale anteponi temporali cuicunq;? Itaque cùm hìc agatur de conſeruãda vita Principum, quod eſt bonnm quoddã temporale, & de conſeruando bono animæ, quod eſt bonum ſpirituale, quod habetur per ſigillum, nemini poteſt eſſe dubium, quin hoc illi ſit anteponendum.

Neque, quæ afferuntur ex confirmatione, ſunt contrà nos; nam in multis tantùm fit cōparatio inter rem temporalem, & temporalẽ; & ſic res temporalis, quæ ſpectat ad bonum commune, anteponitur alteri rei temporali, quæ eſt bonum particulare, & ità licet aliquãdo pro bono cōmuni temporali vitam exponère, ut alibi oſtenditur: Legatur Valen. ubi ſupra. In multis autem SS. Patres loquuntur de bono ſpirituali, pro quo obligatur quis propriam vitã deſerere, ut ſuo loco dicemus. Et hæc de præſenti dubio.

Cir-

Circà quartum dubium.

QVARTA DVBITATIO.

An hæreſis cognita à Confeſſario per cō-feſsionem, ſit detegenda, fracto ſigillo.

VIdetur æqua ratio poſtulare, vt hoc quarto loco, cùm iam oſtenſum ſit, nō poſſe infringi ſigillum ex bono aliquo particulari, neque ex bono communi temporali: Inquiramus, An ſaltem id liceat ex bono aliquo ſpirituali, cuiuſmodi eſt bonum fidei, An ſcilicèt Hæreſis, licèt habita ex confeſsione, ſit detegenda, cùm ſit malum deſtructiuum noſtræ fidei. *Difficultas.*

Oritur autem hæc difficultas ex eo, quia, ſi Confeſſarius habitam hæreſim ex cōfeſsione voluerit celare, iam videatur feciſſe contrà bonum ſpirituale totius Reipub. Chriſtianæ, quia celat, quod eſt deſtructiuum illius; ſi voluerit reuelare, iam videatur fregiſſe ſigillum.

Notan. autem eſt, hìc non eſſe diſputationem de hæreſi, quam quis nouit extrà confeſſionem, etiam ſi ſit occulta; nam certum eſt, ſi de hàc loquamur, illam non poſſe occultari, ſed eſſe denunciandam Prælatis, vt docet S. Thom. 2.2. q.33. ar.7. quem ſequūtur Duran. in 4. d.19. q.4. Sotus tùm lib. de teg. & deteg. *S. Thom.*

ſecr.

ſecr. mem.2. q. 4. & lib.5. de iuſt. & iur. q. 4. ar.4. Silueſt. verb.Correctio. nu.4. & alij infrà citandi, niſi tamen noſſet ille ſtatim, poſt ſecretam admonitionem, poſſe huiuſmodi malum, quod tamen non eſſet notorium, impedire, iuxtà præceptum Apoſtoli ad Tit.3. *Hæreticum hominem, poſt ſecundam, & tertiam correctionem, deuita*. & inter alios docent Sotus lib. de tegen. & deteg. loco paulò ante citato; & Illuſtriſs.Toletus lib.5.Inſtruct.Sacerd.c.57. In quo tamen illud notandum eſt, extare nūc Inquiſitorū Edicta, eaq; ſanctiſsima, quæ obligant Mortales ad huiuſmodi ſcelera ſtatim denuncianda, ut admonēt Alphonſ. à Caſtro lib.2. de iuſta hæret. punit. c.25. Sotus de teg. & deteg. ſecr. me.2. q.4. Bannes in 2. 2. q.33. ar. 8. dub. 2. ad quartum. Valentia ibidem diſputat. 3. quæſt. 10. puncto quinto. Quod tamen crediderim intelligēdum, ſaltem in alijs, ab hæreſi, cum aliquibus limitationibus, quas inter alios & afferunt, & explicant Toletus, & Valentia locis ſupra citatis. Dixi, ab hæreſi, quia, ut notat Valentia ibidem, vix ex correctione ſperari debet ab hæretico emendatio aliqua.

D. Paulus.

Preſēs difficultas. Eſt ergò dubitatio hìc de hæreſi ſolùm cognita ex confeſsione, Vtrum hæc ſit ſigillo reticenda, an verò manifeſtanda, ſigillo fracto.

Eſt communis ſententia Roſellæ verb. confeſſ. celatio, Tabienæ ſupra nu. 3. Hoſtienſis ubi ſupra in cap. omnis vtriuſq; &c. D. Antonin. ſupra c. 22. Nauar. in cap. Sacerdos. de

D. Antoninus.

pænit.

pænit. d. 6. nu. 124. Medinæ C. de pęnit. tract. 2. q. 45. Soti tùm in lib. de teg. & deteg. ſec. tùm in 4. d. 18. q. 4. art. 4. Armillæ ſupra nu. 5. Iacobi de Graff. ſupra nu. 5. Rodriq. ſupra cap. 53. & aliorum, cōmuniter aſſerentium, talem hæreſim per confeſsionem ſcitam, nullo modo à Confeſſario eſſe manifeſtandam.

Reſpondeo primò, Confeſſorē, ubi cognouerit ex confeſsione ſibi facta hæreſim alicuius, debere tentare omnem viam, ut occurrat tanto malo, ita tamen, ut nullo modo reueletur perſona, quæ infecta eſt hæreſi, neque aliqua illius oriatur ſuſpicio.

Prima pars probatur, quia ratio æquitatis poſtulare videtur, ut, quemadmodum ex charitate quiſq; tenetur, quantum poteſt, conſulere fratri ſuo, ſic multò magis poſsit cōſulere bono communi ſpirituali, omni via tentata.

Secunda pars probatur, quia cùm ſtrictius bonum ſit ſigillum confeſsionis, ut dicemus, conſequens eſt, ut nullo titulo ſit diſſoluendū, neq; perſona confitentis manifeſtanda; ſigillum enim maximè tendit in bonum pænitentis. ut ſuo loco dicendum erit.

Reſpondeo ſecundò, Cōfeſſarium in dicto caſu debere, & poſſe admonere Paſtorem, ut quantum poſsit, inuigilet ſuper gregem ſuū.

Probatur, quia ratio prudentiæ dictare videtur, ut ea adhibeantur media, quæ maximè expediunt, pro conſequutione huius, vel illius finis. Cùm igitur aſsignatum medium videatur opportunius, ut tanto malo poſsit reme-

dium adhiberi, ſine aliqua ſigilli violatione, prudentis hominis erit, illud exequutioni mãdare. ergò:

Neq; ꝑpter hæreſim reuelãda eſt confeſſio.

Reſpondeo tertiò, ſi nulla alia Confeſſario relinquatur via impediendi huiuſmodi hæreſim, etiam ſi quotidiè magis ſerperet, illũ debere omninò tacere, neque aliquo modo ſigillum frangere.

Probatur primò, quia nullo modo debet quis per media illicita aut bonum procurare, aut malum euitare: ergò, cùm reuelatio confeſſionis ſit quid intrinſecè malum, contrà ius naturale, diuinum, & eccleſiaſticum, ut ſupra dictum eſt, nõ debet Confeſſarius uti illo medio, ut quodcunq; aliud malum euitetur.

Secundò probatur, ſi propter hæreſim impediendam, cognitam tamen ſolùm ex confeſſione, poſſet ſigillum infringi, ſequerentur multa abſurda; & primò quidem ſequeretur, confeſſionem, quæ, ex D. Hieronymo loco infrà citando, eſt ſecunda tabula poſt naufragium, poſſe fieri odioſam, ac moleſtam hominibus, & conſequẽter poſſe hos retrahi ab hoc ſalutari, ac neceſſario remedio. Secundò ſequeretur, tolli omnem viam reducendi peccatores, vel etiam hæreticos ad ſanitatẽ; nam ſi homines exiſtimarent, hæreſim confeſſam non eſſe à Confeſſario celandam, ipſi impoſterum non confiterentur: quomodo igitur poſſent reduci peccatores ad ſanitatẽ? nam niſi ipſi dixerint ſuum malum, non poterit à Medico ſpirituali, qui eſt Confeſſor, remediũ

D. Hieron.

appli-

applicari. Tertiò ſequeretur, dari occaſionē mentiendi Chriſtifidelibus in ſuis confeſsionibus, ut de ſe patet, quæ multo ſunt grauiora damna, quàm ſi hæreſis cognita ſolùm ex cōfeſsione, celaretur; ergò nullo modo eſt ſigillum infringendum, ut impediatur hæreſis.

Ex dictis ſoluitur ratio dubij, neque enim Confeſſarius tacendo quicquàm faceret contrà cōmune bonum Reipub. Chriſtianæ, cùm potius hoc cōmune bonum dictet, tacendum omninò eſſe, ne tantum pænitentiæ Sacramētum, quod ſtrictius, ac communius bonum eſt; reddatur odioſum, ac moleſtum; deſtrueretur enim diſciplina Chriſtiana, ac cōmune bonum ſpirituale hominum, ut docent Nauar. in cap. Sacerdos. de pæniten. d. 6. nu. 118. & alij communiter.

Sequitur, meritò condemnari illum verſiculum, *Reijcitur verſus.*

Eſt hæreſis crimen, quod nec confeſsio celat.

propter rationem iam aſsignatam; ſigillum .n. eam habet vim, ut etiam hæreſim celet, ut tradit Nauarrus inter alios in cap. Sacerdos, de pænit. d. 6. nu. 119. Imò, ſi quis in confeſſione ſacramētali ſolùm exprimeret ſuam hæreſim, quam tātùm habuerat in mente, & nūquàm aliàs, niſi ſolùm in confeſsione, expreſſerit, non incurreret in cenſuram aliquam latā contrà hæreticos, ut habet Simanc. in lib. de Cath. Inſtit. tit. 24. nu. 9. & Sayrus lib. 3. Caſ. conſcient. c. 4. nu. 28. tanta eſt vis confeſsionis. Huius autem ratio eſſe poteſt, quia, ſi ex

eo, quòd quis exprimat, confeſsionis cauſa, ſuam hæreſim Confeſſario, contraheret cenſuras, reuerà confeſsio grauis eſſet pænitenti, quod nullo modo dici poteſt de confeſsione. ergo.

Ex his patet, neq; propter aliquod bonum particulare, neque propter bonum commune temporale, neq; etiam propter bonum ſpirituale, eſſe vnquàm detegẽdum à Confeſſario ſigillum ſacramentale. Et hæc de quæſtione ſecunda.

QVAEST. TERTIA.

Vtrum Pontifex poßit in huiuſmodi ſigillo diſpenſare.

Cõc. Trid. CVM nulla maior poteſtas ſit in Terris, poteſtate Pontificis, ex Concil. Triden. ſeſſ. 14. c. 7. qui eſt Chriſti Vicarius, ex eodem Concil. Triden. ſeſſ. 7. de Reformat. c. 1. poteſt quis meritò dubitare, vtrum hac ſuprema poteſtate poſsit ſigillum aliquãdo aut diſpenſari, aut etiam tolli. Pro quo,

Ius naturale aliqñ immutabile. Notan. primò, Ius naturale aliquando ſimpliciter, & abſolutè eſſe immutabile, ut patet, tùm ex Inſtit. de Iure naturali Gentium, & ciuili, §. ſed & naturalia; tùm ex Iure canonico d. 5. in princip. & d. 6. cap. non eſt peccatum; *Ariſtot.* tùm ex Ariſt. 5. Eth. c. 7. aliquando verò eſſe mutabile, ut patet ex eod. ibidem, ubi aſſerit, quòd

quòd ſicut in naturalibus aliqua ſunt immutabilia; quæ nunquàm prorſus aliquo caſu mutantur; aliqua verò, quæ aliquando mutantur, ut eſt v. g. dexteram manum eſſe quidem per ſe ſiniſtra fortiorem, licèt aliquando accidat, ut ſiniſtra ſit fortior manu dextera; ac robuſtior; id quod etiam affert Molina 22. tra. 1. diſp. 4. vbi multa de hoc dicit. Hoc idẽ nos in moralibus poſſumus aſſerere, ut Ius naturale aliquando dicatur immutabile, ut cùm præcipit depoſitum eſſe Domino reddendũ; aliquando verò mutabile, ut cùm præſcribit depoſitum minimè eſſe Domino reddendum, ſi ipſe ſit furioſus, arma enim, licèt depoſita, nõ redduntur furioſo, 22. q. 2. ne quis. & docent Hoſtien. lib. 3. de Depoſit. §. cui detur. Roſel. ver. depoſitũ. Silueſ. eod. ver. & Tabiena ibidem nu. 5. Salon. in 2. 2. D. Thom. q. 62. art. 5. ad primum. legas Molinam ibidem tom. pri. diſputat. 4. *Aliquãdo mutabile.*

Cùm igitur Ius naturale aliquando ſit mutabile, aliquando immutabile: Oritur grauis difficultas; Vnde nam ſit, ut aliqua Iura naturalia prorſus ſint immutabilia, alia mutabilia; quæ difficultas adeò grauis eſt, ut multum præſſerit viros vel doctiſsimos. Tota autem hæc difficultas reduci videtur, vt explicetur, Quomodo ius naturale mutari valeat; nam ſi, ſicut in naturalibus id, quod per ſe tale eſt, non poteſt non eſſe tale, nec poteſt mutari; ſic & in moribus id, quod per ſe bonũ eſt, non poteſt nõ eſſe bonum, nec poteſt mutari, *Difficultas.*

&

& quod eſt per ſe malum, non poteſt non eſſe malum, quia ſcilicèt talia ſunt ex natura ſua. Quomodo fieri poterit, ut, quæ ſunt huiuſmodi, valeant aliqua auctoritate mutari? ergò non videtur aliquod ius naturale poſſe mutari. Quæ difficultas, licèt videatur extrà rem noſtram, quoniam tamen huius ſolutio maximè declarat, quæ in hac quæſtione faciũt difficultatem, ideò non iudico ab re noſtra, illam hoc loco explicare, ac terminare.

Quæ iura naturalia immutabilia.

Notan. ſecundò, ea Iura naturalia eſſe penitus immutabilia, quæ vel bonitatis, vel malitiæ habent materiam in generali, ut ſunt illa v. g. Bonum eſſe amplectẽdum, Fugiendum turpe, Eſſe caſtè viuẽdum, Quod tibi non vis, non alteri facias; & docet Michael Salon. ubi ſupra q. 57. art. 2. vbi quærit, An Ius naturale ſit mutabile; Item illa eſſe immutabilia, quæ intrinſecum quendam continent honorem, & cultum Deo debitum, aut oppoſitũ prohibẽt, ut ſunt duo illa præcepta primæ Tabulæ, quæ à Scoto vocãtur indiſpenſabilia, id eſt, immutabilia; nam cùm Deus vnus ſit, & id mutari nullo modo poſsit, ſequitur neceſſariò, nulli alij, tanquàm Deo, eſſe cultum diuinum dandum, neq; ipſius nomen eſſe vanè iurandum, ut alibi oſtenditur. Sunt autem hæc duo præcepta immutabilia, quia hæc, aut ideò imperantur, quia ex ſe ſunt bona, ant ideò prohibentur, quia ſunt mala; vnde fit, ut non poſſint poteſtate aliqua humana immutari; neq; enim humana volũtas poteſt mutare id, quod

eſt rei intrinſecum, & eſt eſſentialiter tale. legatur Salonius ſupra q. 57. ar. 2.

Notan. tertiò, dari etiam aliqua iura naturalia mutabilia, præſertim verò, quæ pugnant aliquando cum bono communi; nam id habet bonum commune, ut ſemper ſit priuato anteponendum, id, quod recta ratio præſcribit. Hoc titulo malefici vita priuantur; Bella ſunt interdicta; quibus aliquando etiam innocentes pereunt; Item introductæ ſunt captiuitates, ſeruitutes pro bono pacis conſeruando, accidit enim aliquando, ut ſine his, aut nullo modo, aut vix Pax, ac concordia poſsit conſeruari. In quo tamen illud obiter adnotatũ volo, ex Salonio ſup. art. 3. Chriſtianã Remp. iam abſtuliſſe huiuſmodi ſeruitutes, ſi bellum inter fideles ſit, recta enim ratio id dictabat, ut, qui eandem profitentur fidem, non fierent inter ſe captiui. Item eodem titulo arma, ut iam diximus, nõ redduntur furioſo, licèt fuerint depoſita. Dantur prætereà alia Iura naturalia, quæ ſunt mutabilia, ut ſunt, quæ pugnãt cũ bono ſpirituali, quod ex recta ratione cuicumq, alteri anteponitur. Ex hoc fit, ut quia baptiſmus eſt oĩnò neceſſarius ad ſalutem, ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 5. Teneatur quis. iuxtà veriorem ſentẽtiam, quam habet S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 5. ad tertium. & ſequitur inter alios Nauar. c. 24. à nu. nono, Teneatur, inquã potiùs mori, quàm permittere, ut infantulus moriatur ſine baptiſmo; quidquid dicat Sotus de teg. & deteg. ſecr. mem. 2. quæſt. 2. poſt 6.

Quæ iura naturalia mutabilia

Nota.

Cõcil. Tri.

S. Thom.

concluſ. qui ex parte id videtur negare: ſic tẽpore Peſtis Curati, quibus onus adminiſtrandi Sacramenta demandatum eſt, ex Concilio Triden. ſeſſ.23. de Reformat. c.1. nõ debent fugam arripere, ſed teneantur labori, etiam cum periculo propriæ vitæ, inſiſtere, vt periclitantibus ſacramẽta neceſſaria adminiſtrẽt; ex Nauar. c.24. nu.10. ſic etiam inſtante tempore correctionis faciendæ, quiſque tenetur, etiam cum periculo vitæ, illam facere, ex Soto de teg.& deteg. ſecr. mem.2. quęſt.2. concl.6. Nauar. c. 24. ubi ſupra: Bannes in 2. 2.q. 33. art.3. Greg. Valent. ibidem diſputat.3.q.10. puncto ſecundo. & deſumitur à D. Thoma ibidem; & quæſt.26. art.5. ad tertium. ſic vltimò, ſi ſit Hæreticus, qui ſecretò ſeducat populum, & quis illum extrà cõfeſsionem norit, tenetur, etiam morte inſtante, monere populum, vt cauere poſsit, & illum denunciare, ex Soto, loco paulò ante citato, poſt ſeptimam concluſionem. Ratio autem horum omnium eſt, quia, ut etiam innuimus, quando concurrunt duæ leges, quarum vna præſcribat bonũ commune, altera verò bonum particulare, ratio naturalis dictat, bonum cõmune eſſe particulari anteponendũ; & eodem modo, quãdo concurrũt duæ leges, quarũ vna ſit ſpiritualis, altera verò non, recta ratio dictat, ſpiritualem eſſe anteponendam, quia hæc ſemper eſt de meliori bono. Quare in his, & ſimilibus quæ ſunt iura naturalia, mutantur aliquando.

Conc. Trid.

D. Thom.

Notan. quartò, dari prætereà Iura quædam

natu-

naturalia, quæ poſſunt auctoritate diuina relaxari, quia Deus ſua auctoritate, poteſtate, ac prouidentia poteſt compenſare totum illud, quod erat iuris naturalis; & hoc modo, licèt Perpetuitas ſit neceſſaria ad matrimoniũ pro bona educatione prolis, poterit tamen Deus concedere libellum repudij, ut de facto iam conceſsit, & oſtendit Illuſtriſs. Belarmin. libr. de ſacram. matrim. cap. 17. etiam quò ad vinculum; & ratio eſt, quia Deus poteſt alio modo ſupplere, ut proles ſuſcepta benè educetur; ſic etiam poteſt Deus matrimonium omninò diſſoluere propter bonum fidei, quando ſcilicèt coniux infidelis non vult cohabitare cũ fideli citrà iniuriam creatoris, ex D. Paulo primo Corinth. ſeptimo; & inter alios docet Viualdus de impedim. matrim. nu. 221. nam cùm Deus ſit auctor cuiuſcunq; Iuris naturalis, & ſit infinitæ potentiæ, ac ſapientiæ, & id, quod facit medijs cauſis ſecundis, poſſit ex ſe ſolo facere, non erit id negandum Potentiæ, ac Sapientiæ diuinæ; ſolùm enim Deus id tũc operaretur, ut, quod faciebat medio aliquo, ſe ſolo faceret mirabili quodam modo, diuinæ Sapientiæ optimè noto. *D. Paul.*

Notan. quintò, aliquando Ius humanũ anteponi Iuri naturali, ut v. g. Eccleſia cõſtituit dies Ieiunij certis quibuſdam temporibus, de conſec. diſt. 3. cap. non liceat. & cap. non oportet. & cap. placuit. ibidem. Item prohibet Eccleſia communicare cum excõmunicatis, denũciatis, ac notorijs, ex cap. nuper. de ſent. *Ius humanũ pualet aliquando naturali.*

excom. modò ſi alicui præciperetur contrafacere in Eccleſiæ contemptum, teneretur ille potius mortem eligere; & ſic de propria vita periclitari, quàm leges Eccleſiaſticas violare; ſic etiam eandẽ mortem teneretur potius ille ſubire,quàm carnes diebus vetitis in contemptum Eccleſiæ manducare, ut tradit Sayrus libro primo Theſ. caſ. conſcien. cap. 18. nu. 42. (Vtrum autem ablato contemptu idem eſſet dicendum, alibi definitur.) Horum autem vna ratio eſt, quia in ſupradictis, & ſimilibus caſibus recta ratio dictat, ne quid fiat in contemptum Eccleſiæ, & propterea mortem eſſe potiùs ſubeundam. Sunt præterea & alia Iura naturalia eadem auctoritate humana diſpenſabilia, quando ſcilicèt intercedit ratio boni communis, ità tamen, ut recta ratio nõ dictet ſimpliciter, & ex obligatione, illud commune bonum eſſe ſeruãdum, ſed ſolùm conſulat; in hoc, inquam, auctoritas humana habet vim diſpenſandi, quia Ius illud naturale non erat ſublatum per commune bonum, eo quòd non obligabat tunc temporis; & hoc modo Papa diſpenſat in voto, & iuramento, id enim fit, vt iam diximus, propter bonum commune, ut peccãdi occaſiones remoueantur, nam reuerà illud bonum commune non obligabat Papam ad diſpenſandum, neque ità vrgebat, ut votum, & iuramẽtum, iam facta, eſſent ſublata; eſt tamen talis naturæ bonum,ut habita illius ratione, potuerit humana facultas illa eadem tollere, ſaltem ex parte, nam cùm iura-

menta, & vota fiant Deo, in illis caſibus, ratio naturalis dictat, tàm gratū fore Deo, vota illa, & iuramenta non ſeruari, ut tollantur peccatorum occaſiones, quàm illa eadem ſeruari. Vnde Papa poteſt in illis ſic diſpenſare.

Notā. vltimò, nos hìc ſupponere, ex fide, In Eccleſia eſſe poteſtatem diſpenſandi in votis, & iuramentis, & alijs ſimilibus, ut colligitur ex verbis Matt. 16. *Tibi dabo claues regni Cælorum, & quodcunq; ſolueritis ſuper Terram, erit ſolutum & in Cælis.* & cap. 18. *Amen dico vobis, quæcunq; ſolueritis ſuper Terram, erunt ſoluta & in Cælis.* quæ verba, ut generalia ſunt, ſic poſſunt, & debēt intelligi de omni vinculo, quod homo contrahere poteſt cum Deo, & aliquādo ſolui expedit. Supponimus prætereà hoc loco, hanc poteſtatem ſolùm competere ijs, qui habent iuriſdictionem in foro exteriori, quod facile probatur, quia huiuſmodi poteſtas pertinet ad bonam Eccleſiæ gubernationem, ac regimen, ſicut aliæ huiuſmodi poteſtates, v. g. excommunicandi, conferendi Indulgentias &c. ergò ſolùm ijs competere debet, qui Eccleſiæ præſunt, illam adminiſtrādo; Vnde colligere licet, vota, & iuramenta benè poſſe relaxari diſpenſatione humana, ſi tamē aliqua ſit iuſta cauſa, vt habent S. Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 12. ad ſecundum. & Caietanus ibidem; Silueſt. verb. diſpenſatio, nu. 3. & ver. Votum quartò. nu. 6. Roſella ver. diſpenſatio. nu. 4. Sotus lib. 3. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 3. Nauar. in manu. cap. 12. nu. 52. & 75. Leonar.

Eccleſia habet poteſtatem diſpenſandi in votis &c.

Matt. 16. & 18.

Hac auctoritas quib⁹ competat.

S. Thom.

Leſsius lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 40. c. 12. nu. 101. & alij, ut patet ex cap. Innotuit, de elect. & ex 22. q. 4. cap. ipſa pietas. & prima q. 7. cap. tali, & cap. didici. Dixi, ſi aliqua ſit iu- *Iuſta cauſa debet eſſe ad diſpenſandum.* ſta cauſa, quia hoc ità eſt neceſſarium, vt ſi diſpenſatio ſine iuſta cauſa fieret, non diſpenſatio, ſed diſsipatio legis dicenda eſſet, ex D. *D. Bernar.* Bernardo de conſid. ad Eugen. lib. 2. cap. 6. cuius rei ratio poteſt eſſe, quia nulla videtur poſſe eſſe auctoritas, quæ poſsit condonare, quod Deo debetur, niſi ſit aliqua iuſta cauſa condonandi: Deus autem illam condonationem ratam non habet, quæ non fiat ex iuſta cauſa, ut docuit inter alios Leſsius ubi ſupra nu. 101. Tabiena ver. diſpenſatio, num. 10. & Iacob. de Graff. ſupra cap. 30. num. 38. & hinc eſt, ut, ſi quis ſine iuſta cauſa diſpenſaretur, non eſſet tutus coram Deo, ut patet ex Gloſ. in cap. non eſt de voto; & ex eadem Glo. cap. Quanto, de off. ord. & habet Innocen. in cap. Cùm inter, de renunc. & ratio ſuadet, quia diſpenſatio in voto, & iuramẽto, eſt diſpenſatio in re aliena, in qua non poteſt alter diſpenſare, ſine conſenſu illius; ſed ſi nulla eſſet cauſa diſpenſandi, nõ cenſeretur, aut præſumeretur Deus illi diſpenſationi conſentire; ergò nulla eſſet diſpenſatio, & conſequenter ille non eſſet tutus coram Deo.

Cauſa diſpenſandi. Cauſæ autem, cur in voto, & iuramento fiat diſpenſatio, multæ à varijs aſsignantur. Legantur Silueſt. verb. diſpenſatio, nu. 3. Sotus lib. 7. de iuſt. & iur. quæſt. 4. art. 3. Tabiena

verb.

Digitized by Google

verb. Iurare, nu. 19. Toletus ſupra lib. 4. c. 23. & S. Thomas, à quo omnes deſumpſerũt, 2. 2. quæſt. 88. art. 10. à quibus duæ præcipuè aſsignantur cauſæ huius diſpenſationis in cõmuni, Vtilitas ſcilicèt Eccleſiæ, & Honor Dei: Sed de hoc lõgius diſſerere, nõ eſt huius loci. D. Thom.

His igitur omnibus poſitis, Videtur Papa poſſe diſpenſare in hoc ſigillo:

Primò, quia cùm Papa poſsit diſpenſare in voto, & iuramento, ex aliqua cauſa, 15. q. 6. Iuratos. cap. quod ſuper his, de vot. & vit. redempt. & Innocen. ibidem. Silueſt. ver. caſus. nu. 2. ver. Votum quartò, nu. 5. verb. iuramentum, nu. 5. Tabiena verb. diſpenſatio, nu. 10. & 12. Roſel. ver. Papa, nu. 2. Sot. lib. ſeptimo de iuſt. & iur. quæſt. 4. art. 3. & Tolet. ſupra etiam ſi ſit iuris naturalis, vota, & iuramenta ſeruari, 2. 2. q. 4. ſi ad peccatum. ex c. Verum, de iureiurando, cap. magna, de voto; & habet S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 10. & q. 89. art. nono. ergò poterit etiam Papa diſpenſare in hoc ſigillo: conſequẽtia probatur, nam videtur eadem vtriuſq; ratio. D. Thom.

Secundò, probatur à ſimili, nam ſi iure naturali parentes debent alimenta filijs, & filij parentibus iure gentium, & tamen Iura ciuilia habeant id, ut poſsint priuare filios debita portione, & alimentis, ut patet ex ijs, quæ dicũtur à Molina de iuſt. & iur. diſput. 68. tra. 2. Quare ergò non poterit eodem modo Papa, & leges Eccleſiaſticæ in hoc ſigillo diſpenſare, etiam ſi ſit iure naturali præceptum.

Tertiò probatur, Iure naturali quiſque natus eſt liber, 12. q. 2. cap. Redemptor, l. manumiſsiones, ff. de iuſt. & iur. & habent D. Baſilius de Spiritu ſancto, cap. 20. & S. Thom. 2. 2. quæſt. 3. art. 1. Sotus de iuſt. & iur. lib. 4. q. 2. art. 2. Couarru. reg. peccatum. p. 2. §. vndecimo. Mich. Salon. de iuſt. & iur. in S. Thom. loco ubi ſupra; & Leſsius de iuſt. & iur. lib. 2. cap. quarto, dubio nono; & tamē legibus humanis eccleſiaſticis introductæ ſunt ſeruitutes, ut patet ex locis, ex vtroq; Iure, ſupra citatis; & Fortunat. in l. ſupra cit. manumiſsiones. colum. 3. & ex cap. raptoribus. 36. q. 1. & ex cap. Quorundam, de Iudæ. & Sarace. & cap. 2. quæſt. 2. per multa cap. & diſt. 1. c. Ius genti. Quare nō pari modo poterit Papa diſpenſare in hoc ſigillo, licèt pertineat ad Ius naturale?

D. Baſilius

D. Thom.

Vltimò probatur ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 10. Eccleſia habet ius, & poteſtatem priuandi infideles, nondum conuerſos ad fidem, omni imperio, & dominio; ergò videtur pari ratione, poſſe diſpenſare in hoc ſacramentali ſecreto.

Communis ſententia eſt, negātium Papam poſſe aliqua ratione in ſigillo diſpenſare; ità Roſel. ſupra num. 6. Silueſt. ſupra quæſt. 3. Angel. verb. confeſſor vltimo, num. 3. S. Antonin. ſupra c. 22. Tabiena ſupra nu. 2. Medina ſupra quæſt. 48. Sotus libr. de teg. & deteg. ſecre. mem. 3. quæſt. 4. poſt primam concluſ. Armilla ſupra nu. 5. Nauar. in cap. Sacerdos. de pæniten.

S. Antoninus.

Google

niten. diſt. 6. num. 130. & in Manu. c. 8. nu. 2. Couarru. 2. p. c. 8. §. duodecimò, nu. 10. Coſm. Philiar. ſupra c. 30.

Vnica Concluſio. Papa nullo modo poteſt diſpenſare in ſigillo ſacramentali. *Papa nō poteſt diſpenſare in ſigillo.*

Probatur primò, Papa nihil poteſt in ijs, quæ ſunt de Iure naturali, aut diuino, 35. q. 1. cap. Sunt quidam; & cap. contra ſtatuta; & ibi Gloſſ. & 15. q. 6. cap. auctoritatem. cum Gloſ. ibi; Sed huiuſmodi ſigillum eſt Iuris naturalis, & diuini, ut ſupra probatum eſt, ergò. Confirmatur, quia, ſicut Papa non poteſt diſpenſare in præcepto Baptiſmi, Confeſsionis, & aliorum Sacramentorum, ità, neque in hoc ſigillo poterit; nam in hoc vna videtur, & eadē ratio illorum. Pro quo *Gloſſa.*

Notan. eſt, Papam poſſe quidem declarare aliqua Sacramenta, ac præcepta Decalogi, nō habere locum in hoc, vel illo caſu, nullo tamē modo poſſe in illis diſpēſare, vt habet S. Tho. 12. q. 100. art. octauo. & ſequuntur Tabiena verb. diſpenſatio, nu. 2. Sotus ubi ſupra, & alij communiter; eſt enim inter illa duo Diſpenſare, & Declarare, magna differentia. legatur Tabiena loco citato, nu. 2. & 3. *S. Thom.*

Secundò, probatur ex Medina, & Nauarro vbi ſupra, Papa non poteſt diſpenſare in ijs, quæ proximo inferunt ſcandalum, vis enim ſcandali maxima eſt, ex cap. Cùm teneamur, de præben. & dignit. & ibi Gloſ. Sed ſi Papa diſpenſaret in hoc ſigillo, inde poſſet inſequi aliquod graue ſcandalum; ergò. Sequela patet ex ſe. *Gloſſa.*

Aliam

Digitized by Google

Aliam rationem afferunt Angel.num.3. Tabiena nu.2. vbi ſupra, & deſumpſerunt ex Panormitano in cap. Dilectus. de exceſſ. Prælat. quia ſcilicèt Confeſſor in actu confeſsionis ſit ſpecialis Vicarius Chriſti, in quo maior eſt ipſo Papa, cùm hic ſit Generalis, ex cap. ſtuduiſti, de off. deleg. ergò, quò ad hoc, Papa non habet poteſtatem in Confeſſarium in ordine ad ſigillum.

Verùm hæc ratio non ſatis placet, quia Papa verè habet auctoritatem ſimpliciter vniuerſalem, & maiorem quacunq; alia; & de hac non loquitur textus allegatus. Vnde ex hoc ruit argumentum allatum.

Sed veniamus iam ad argumentorum ſolutionem. Et primò.

Ad primum concedo, Papam poſſe diſpenſare in voto, & iuramento; nego tamen, eandem eſſe rationem de ſigillo. Quoniam autē differentia inter illa non benè conſtare poterit, niſi prius explicetur illud antecedens, quo nam ſcilicèt modo Vota, & Iuramenta à Papa relaxentur. Ideò primò hoc erit à nobis explicandum.

Noua difficultas.

Alij igitur, vt Medina ſupra quæſt. 48. dixerunt, ideò à Papa relaxari vota, & iuramenta, quia, cùm fiunt, id ſemper intelligitur includi, niſi Superior voluerit diſpenſare.

Verùm de hac ſententia Medinæ fuſiùs infrà agendum erit. interim ſatis erit dicere, illam non probari, quia, ſi id verum eſſet, ad libitum poſſet Superior vota, & iuramenta relaxare,

laxare,

laxare, ut infert D.Thom 2.2. q.88. art.vltimo ad ſecũdum. & ſequitur Tabiena ſupra nu.12. quod nullo modo eſt aſſerẽdum, cùm, ut iam diximus, ſemper requiratur iuſta cauſa ad hoc, ut diſpenſatio teneat. S. Thom.

Alij concedunt quidẽ, Papam poſſe diſpenſare in præceptis diuinis, ut in voto, & ſimilibus, non tamen in Sacramentis, cuius differẽtiæ nullam aliam afferunt rationem, niſi quia hæc pertinent ad ius diuinum, non ſic illa; ità S. Antonin. ſupra c.22. S. Antoni.

Sed neq; hæc ſententia videtur ſufficiens, quia licèt id totum, quod dicit, ſit verum, non tamen videtur ſufficiens aſsignari ratio, cur Papa in votis, & non in ſigillo poſsit diſpenſare.

Alij dixerunt, Papam diſpenſare quidem in votis, quia non auctoritate propria, ſed Dei, qui eſt auctor totius Iuris naturalis, diſpenſat. Verùm neque id placet. Primò quidem, quia hoc ipſum petitur, Vnde nam ſit, ut Papa habeat hanc Dei auctoritatem in votis, & iuramentis diſpenſandis, & non in alijs. Secundò, quia poteſt verti in quæſtionem, Vtrum poſsit diſpenſatione diuina tolli Ius naturale.

Alij, ut S.Thomas 2.2. q.88.art.10. & alibi, docent, in voto, & iuramento Papam poſſe diſpenſare ratione materiæ, quæ pati poteſt mutationem aliquam, quatenus ſcilicèt materia voti, & iuramenti facta ſit aut noxia, aut inutilis vouenti, ſeu iurãti, aut facta ſit ſimpliciter mala, aut quia impedit aliquod maius bonum. S. Thom.

Sed

Sed, pace tanti, ac Sanctiſsimi viri, nō placet, quia, ſi reuerà materia talis facta ſit, qualem ipſe ponit, tunc illud votum, aut illud iuramentum non dicerentur tolli per diſpenſationem, ſed potiùs per interpretationē, ſeu declarationem, ſi propriè loquendum ſit, quæ ſunt omninò diuerſa, ut ſupra oſtendimus; ſicut enim, ſi primò materia voti, aut iuramēti fuiſſet mala, nullo modo iuramentum, aut votum tenuiſſent; ſic neq; tenēt, ſi deinde mala fiat; vnde eo ipſo incipit carere vi ſua.

Quare Eccleſia diſpēſat in votis & iuramētis. Quare mihi videtur dicendum, ideò Eccleſiam aliquando diſpenſare, & relaxare vota, & iuramenta, quia reſpicit bonum commune, quod ex Iure naturali eſt ſemper priuato anteponendum: & hinc eſt, vt ab Eccleſia relaxentur iuramēta, & promiſsiones factæ latroni, ne ſcilicèt innocentes opprimantur, quod ſpectat ad bonum cōmune. legendus eſt Sanctiſſ. Doctor p.2. q.57. Hoc igitur poſito,

Reſpondetur ad argumētum ſupra poſitū, Eſto à Papa diſpenſentur, ac relaxentur vota, & iuramenta, non tamen poſſe diſpenſari in ſigillo, ut iam dictum eſt. Quæ autem ſit ratio diſparitatis, iam poteſt deduci ex poſita reſponſione noſtra, non poſſe, inquam, diſpēſari in hoc ſigillo, quia in eo nulla poteſt intercedere ratio, quæ dictet eſſe reuelandum, cùm ſemper ſequatur vnum maximum inconueniens, fieri ſcilicèt odioſam confeſsionem; ſi, inquam, ſigillum frangeretur, quod ſpectat ad bonum commune Chriſtianæ Religionis,

ut

ut docent S. Antoninus ubi ſupra, & Nauar. in cap. Sacerdos, de pæniten. d. 6. num. 133. Poſſe autem diſpenſari in voto, & iuramento, quia in his poteſt intercedere aliqua ratio, quæ dictet poſſe diſpenſari, quando ſcilicèt intercedit ratio boni communis. *S. Antoni.*

Vnde ſequitur, in duobus ſemper mihi diſplicuiſſe ſententiam Medinæ ſupra quæſt. 48. Primò quidem, quatenus facit totam rationē diuerſitatis inter voti, & ſigilli diſpenſationē in eo eſſe, quia Papa, cùm ſit dominus voluntatis humanæ; vnde eſt tota obligatio in promiſsionibus, & votis, poteſt in illa diſpenſare; Non ſic in ſigillo, cuius obligatio pendet ex voluntate diuina; in quam non poteſt Papa. Secundò, quatenus ait totam obligationem iuramenti, & voti eſſe ex animo, quo quis iurans, ac promittens ſe vult obligare, & non aliunde. *Non placet Medinæ ſẽtentia.*

Primum quidē mihi diſplicet, quia falſum eſt, rationem, cur Papa poſsit diſpenſare, ex illo capite eſſe petendam; ſed ex alio, quia ſcilicèt intercedit ratio aliqua boni cōmunis, qua ſpectata, poteſt Papa diſpenſare, ut iam conſtat ex dictis.

Secundum verò etiam diſplicet, licèt potiùs videatur ſpectare ad alium locum, quia falſum exiſtimo, obligationem in iuramento, ac promiſsione non aliunde oriri, quàm ex voluntate ipſius iurantis; nam puto veriſsimum, quod ait Illuſtriſs. Caietanus in 2.2. quæſt. 88. art. 2. & Sotus lib. 7. de iuſt. & iur. quæſt. pri. *Vnde proveniat obligatio in iuramẽto, & promiſſione.*

art.

art.2. adhuc iurantem, ac promittentem manere obligatum, etiamſi non ſit illi animus ſe obligandi, modò explicitè promiſerit, ac promiſsio fuerit acceptata: & ratio eſt, quia voluntas humana non poteſt rei naturā mutare, cū igitur promiſsio, ac iuramentum ex vi, & natura ſua inducant obligationem, non videtur poſſe tolli hæc obligatio, per animum contrarium, nam id ſequitur ex natura promiſsionis, & iuramenti, tanquā effectus ex ſua cauſa, quidquid dicant Leonard. Leſsius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 18. nu. 58. & Mich. Salon. in 2.2. D. Thom. q.5. ar.3.

Non placet Leſſius, neque Salon.

Ad ſecundum, Reſpondent communiter Canoniſtæ, & Legiſtæ, per Ius humanum aliquando derogari Iuri naturali, & afferunt hoc ipſum, quod dicitur in argumento contrario.

Sed non placet, nam non videtur verū, ſimpliciter loquendo, aliqua poteſtate humana poſſe derogari Iuri naturali; & docet Molina de iuſt. & iur. tract. 1. diſputat. 4. ferè in medio; ſed ſolùm aliquādo poſſe derogari, ut exemplis ſupra oſtendimus.

Reſpondeo igitur, non poſſe à parentibus alimenta denegari filijs, & contrà, niſi tamē adſit aliqua iuſta ratio; Vnde, ſi filius habeat aliūde, quo ſe ſuſtentare poſsit, aut ex eleemoſinis, aut ex induſtria, & arte, poſſent tunc filijs à patre denegari alimenta, idq; propter bonum commune: Item ex ingratitudine filij, vel ex commiſſo delicto filij in parentes, aut etiam, ut filij contineantur in obedientia parentum,

rentum, illis poſſunt quoq; denegari aliměta à parentibus. legendus eſt Couarru. 2. p. c. 8. §. Sextò, num. 9. & 17. Molina ubi ſupra tract. ſecundo, diſput. 68. & diſput. 76. tract. ſecundo, ſub fine.

Vnde ad argumentũ concedimus antecedens, negamus tamẽ conſequens; nulla enim recta ratio, aut bonum cõmune eſt, quod dictet id à Papa fieri poſſe in ſigillo ſacramentali.

Ad tertium, Reſpondeo, homines naſci quidem liberos, ut ſupra cõceſsimus, propter tamen bonum commune eſſe introductas ſeruitutes, captiuitates, bella, & alia huiuſmodi, ut ſcilicèt Pax ſeruetur, & atrociora crimina puniantur. legatur Molina ſupra diſputat. 4. tract. primo, ſub fin. & tract. ſecũdo diſput. 32. ex hoc tamen non licet arguere poſſe Papam in ſigillo diſpenſare, propter rationem iam ſupra aſsignatam.

Ad vltimum, ex D. Thoma, Reſpondeo, eodem modo negando ſequelam; ratio autem diſparitatis eadem eſt, quæ iam à nobis ſupra aſsignata eſt, deducta ex bono communi.

Sequitur primò, Iure eccleſiaſtico, & ciuili non tolli primò, & per ſe Ius naturale, ut fusè probat Molina ſupra tract. primo, diſputat. 4. ſed ſolùm, cum agatur de duplici bono, Communi ſcilicèt, & Priuato, illud huic præferri à Iure humano, ſiue illud ſit eccleſiaſticum, ſiue ciuile; id quod optimè poteſt, quia id totum oritur ex ipſo Iure naturali, quod dictat, bonũ com-

commune eſſe priuato anteponendum; quod, quia nullo modo reperitur in hoc ſigillo, ſit, ut nulla ſit poteſtas, quæ poſsit in illo diſpenſare.

Alia difficultas. Sequitur ſecundò, quòd ſi Papa præciperet alicui Confeſſario ſub pæna excōmunicationis, ut reuelaret aliquid ex confeſsione, excōmunicationem non tenere, ſed omninò eſſe nullam, cùm ſit lata contrà ius, & contineat intollerabilem errorem, ex c. Dilectus. de eceſſ. prælat. & c. Per tuas. c. Venerabilibus. de ſent. excom. in 6. & docent, ut relinquã Scholaſticos in 4. d. 18. Hoſtien. lib. 5. Summ. tit. de cler. excomm. miniſt. §. 4. Felinus in c. Per tuas. nu. 5. de ſenten. excom. S. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 73. Angelus verb. excomm. tertiò, §. duodecimo. Tabiena excom. ſecundo, nu. 15. Nauar. c. 27. num. 4. Couarru. c. Alma mater, 1. p. §. Septimo, nu. 5. Hugolin. de cenſ. eccleſiaſt. tab. 1. cap. 13. §. 18. num. 21. & habetur ex Gloſ. 33. q. 3. d. 6. cap. 2. Sacerdos. ubi affertur præſens caſus. accedunt Roſella excomm. ſeptimò, nu. 41. & Sayrus lib. 1. caſ. conſcien. c. 16. num. 41. & alij. & hæc dicta ſint de hac Quæſtione.

Nulla eſt excōmunicatio ſi feratur vt cōfeſſarius reuelet.

S. Antoni.

Gloſſa.

QVAEST. QVARTA.

An, ſtante periculo mortis, adhuc ſigillum ſit indiſpenſabile.

ET quoniam iam conſtat ex ſuperioribus, ſigillum eſſe adeò firmum, & immutabile, ut neque poſsit Papa in eo diſpenſare. Videndum, atq; examinandum nunc eſt, An ſaltem ex metu mortis poſsit infringi?

Communis ſententia eſt, neque etiam ex timore mortis poſſe ſigillum infringi; inter alios tenent Sotus lib. de teg. & deteg. ſecre. mem.3. quæſt.3. concluſ.1. & Coſmus Philiar. vbi ſupra c.30.

Confeſsio neq; etiam ex timore mortis eſt reuelãda.

Vnica Cõcluſio, Confeſſariũ, nec in periculo quidem mortis, poſſe reuelare audita ex cõfeſsione.

Probatur; nam quemadmodum nunquàm licet Dei nomen blaſphemare, quin potiùs debet quis mori, antequàm illud ſic blaſphemet, quia eſt præceptum continens intrinſecam quandã malitiam, & conſequenter nunquàm licitum; id quod dicitur de omnibus Præceptis negatiuis, ut ſupra oſtendimus. Sic nunquã licet ſigillum infringere pro quacunq; re, quia præceptum de non frangendo ſigillo eſt præceptum negatiuum, continens intrinſecam malitiam, modo iam explicato. Ergo. Neque de hoc eſt aliqua difficultas inter Auctores.

Noua difficultas. Solùm facit difficultatem aliquam in hac Quæſtione, quod afferri ſolet de Sacerdote iter agente, & ſimul cũ alijs parato ad ingrediendam ſiluam; quorum tamen vnus rediens ad ſanitatem, ei, qui eſt Sacerdos, detigit cõfitendo, in ingreſſum ſiluæ, illi à ſocijs parari mortem. Quid, inquam, ſit faciendũ illi Sacerdoti; Quomodo ſe gerere debeat; An ingredi ſiluam, & ſic mortem obire; An retrocedere, & ſic vitã ſaluare, fracto ſigillo. Supponimus autem hìc ſocium, dum cõfeſſus eſt, ab alijs fuiſſe notatum.

De Sacerdote ingrediente ſiluã cũ alijs.

Difficultas autem hæc non ſolùm eſt de re ipſa, ſed etiam de ratione. Quod, quò ad vtramq; partem, eſt hoc loco examinandum.

Neq; hìc diſputandum videtur, Vtrum caſus ſupradictus phiſicè detur; nam illum, ſupponimus, metaphiſicè poſſe dari, quod ſufficit ad quæſtionem.

Alij aſſerunt, huiuſmodi Sacerdotem eo caſu poſſe retrocedere ab ingreſſu ſiluæ, ut ſe ſaluet à morte, neque ex hoc illum poſſe dici confeſſionem reuelaſſe; ſic ſentiunt Scotus in 4. d. 21. q. 2. ad tertium. Gabriel ibidẽ art. 3. Maior etiam ibidem quæſt. 3. ad ſecundum. Roſella ſupra nu. 5. Silueſ. ſupra quæſt. 15. Armilla ſupra nu. 12. Tabiena item ſupra nu. 13.

Poteſt probari hæc ſententia. Primò, quia illa retroceſſio, cùm poſſit ex multis, ijsq; varijs cauſis prouenire, videtur actio quædam indifferens, vnde de ſe non videtur ſignum manifeſtatiuũ confeſſionis; ergò poterit Sa-

cerdos

cerdos ille ſic euitare mortem, vtendo iure ſuo, & re indifferenti, retrocedendo à ſilua.

Secundò probatur, quia tunc dicitur peccatum reuelari, quando ſcitur, cùm anteà nõ ſciretur: Sed iam, in caſu præſenti, optimè ſciebatur à ſocijs, Sacerdotem eſſe occidendum, ergò ex retroceſsione non manifeſtatur aliquid illis, quod non ſciretur anteà; ergò nihil reuelatur.

Tertiò probatur, quia naturale eſt cuique, propriam vitam conſeruare; quod cùm ſit de iure naturæ, debet anteponi ijs, quæ ſunt Iuris diuini poſitiui, cuiuſmodi eſt præceptum ſigilli: ergò.

Sotus de teg. & deteg. ſec. mem. 3. quæſt. 4. poſt quintam concluſ. Medina, & Coſm. Philiar. ubi ſupra; Nauar. in cap. Sacerdos, de pæniten. diſt. 6. nu. 135. Suarius ſupra ſect. 7. num. 6. vbi falsò in hanc ſentẽtiam citat Scotum, aſſerunt, teneri Sacerdotẽm illum potiùs mori, quàm retrocedere, ſi huiuſmodi retroceſsione reuelaretur confeſsio ſacramentalis iam facta.

Vnica Concluſio: Sacerdotem illum teneri potiùs mori, ſiluam ingrediendo, quàm, aut fuga, aut retroceſsione confeſsionem iam factam ſuſpectam aliquo modo reddere, niſi tamen poſſet honeſto aliquo titulo rem totã ità cooperire, vt nulla inde confeſsionis reuelatæ poſſet oriri ſuſpicio.

Hanc concluſionem, licèt omnes ex ſecunda ſententia, aſſerant, non tamen omnes

ſufficienter probare videntur.

Medina item, ubi ſupra, aſſerit, Confeſſarium teneri potiùs mori, quàm retrocedere ab ingreſſu ſiluæ; quia, inquit, aliàs redderetur odioſa confeſsio.

Verùm hæc ratio, etiamſi verum aſſerat, nõ tamen adæquatè videtur explicare rem totã, ut poſsit dilui ratio ſupra in cõtrarium allata; aſſerunt enim DD. contrariæ ſententiæ, illam retroceſsionem non eſſe actionem de ſe manifeſtatiuam confeſsionis, ſed omninò indifferentem, quare explican. erat Medinæ, vnde ſit, ut huiuſmodi retroceſsio ſit omninò euitanda, & obliget tanto rigore.

Nauarrus ſupra aſſerit factum, ſed nullam aliam facti rationem reddit, niſi, quia confeſſionem eſſe ſecretã, ſit de Iure diuino, in quo ea ſit vis, ut ad mortem obliget.

Sed neq; placet, quia non videtur explicare totum id, quod eſſet explicandum; nam, eſto hoc ſigillum ſit de Iure diuino, quod iam poſuimus, non tamen negari poterit, aliquando tolli poſſe, ut Quæſtione ſequenti dicemus: quare aſsignandum ab illo erat, cur non etiã in præſenti caſu poſsit tolli ſigillũ. Præterea, eſto ſit de Iure diuino, At verò conſeruatio vitæ propriæ eſt de Iure naturali, quare adhuc remanet ab illo explicandum, cur potiùs in præſenti caſu Ius diuinum obliget, & non Ius naturale, quod eſt de conſeruanda propria vita.

Sotus item ubi ſupra, Sacerdotẽ illum, ait, teneri

teneri quidem potiùs ad mortem, quàm confeſsionem ſuſpectam reddere; quod etiam repetit in 4. d. 18. q. 4. art. 5. ubi reddit rationẽ, quia, inquit, præceptum de habendo ſigillum eſt præceptum negatiuum, quod obligat ſemper, & ad ſemper.

Sed neq; hæc ratio videtur ſufficiens, quia id ſolùm eſt, aſsignare rationem differentiæ inter præcepta negatiua, & affirmatiua, non autem cur obliget cum tanto periculo, quod petitur hoc loco.

Coſmus Philiar. concedit, quod diximus in Cõcluſione, ſed, ait, rationem illius eſſe, quia Ius diuinũ præualet Iuri naturali, quia Deus, qui eſt auctor Iuris naturalis, ei in hoc derogauit, ut potiùs in preſenti caſu obligaret præceptum de ſigillo tenendo, quàm præceptum de ſeruanda vita.

Verùm non placet reſponſio, nam videtur voluntaria, præterquã quòd adhuc quæri poſſet, Vtrum diſpenſatione diuina poſsit tolli Ius naturale.

Suarius ſupra ſect. 7. nu. 6. ait, huius rei rationem eſſe, quia reuelatio etiam indirecta in nullo caſu licita eſt, etiam propter defenſionẽ vitæ propriæ.

Sed hoc ipſum videtur reincidere cum Superioribus; ſemper enim videtur remanere explicandum, cur in illo caſu obliget vſq; ad mortem incluſiuè.

Quare dicendum mihi videtur, rationẽ noſtræ Concluſionis eſſe petendã ex natura præ- *Vera ratio cõcluſionis.*

 cepti,

cepti, ſiue illud ſit negatiuum, ſiue affirmatiuum, Vtrum ſcilicèt in aliquo caſu poſsit tolli malitia actus, nec ne; nam, ſi ſtante periculo mortis, tolleretur malitia actus, certè præceptum non obligaret cum tanto rigore, vt ſi quis extrà contemptū Eccleſiæ cogeretur celebrare coram excommunicato denunciato, aut publico percuſſore clerici, minante Tyrāno mortem, tūc poſſet Sacerdos ille celebrare, ut habent Caietanus in 1. 2. q.96. art.4. & 2.2. q.125. art.1. Adrianus in 4. tract. de clauibus, quæſt. 3. Sayrus libro primo caſ. conſcien. cap.18. num.42. Et ratio eſt, quia tunc temporis tolleretur malitia illius actus, cùm Eccleſia in eo caſu nō tanti faciat, prohibere commercium excommunicatorum, quàm vitam hominum conſeruare: quòd ſi non tolleretur malitia illa, ſi ſcilicèt cogeretur Sacerdos id facere in Eccleſiæ contemptum, tunc potiùs Sacerdos deberet mori, quàm ſic celebrare, ex ijſdem citatis DD. paulò antè. Eadem ratione, quando quis periclitatur de vita propria, nō tenetur conſulere, aut proſpicere ſaluti ſpirituali mali aggreſſoris, ſed illum pōt licitè occidere, ut docent Maior in 4. diſt. 15. q.20. Sotus lib.5. de iuſt. & iur. quæſt.1. art.8. Couarru. in Clemen. ſi furioſus, p. 3. §. vnico, nu. 1. de homicid. Valentia in 2. 2. diſput. 3. par. decima, punct. ſecundo; Sayrus lib. ſexto ſupra cap.17. nu. 2. quidquid dicat Abulenſ. in Matt. c.5. quæſt. 109. negans id licere, ſed falſo fundamento, ut infrà dicemus. Imò ſi

Non tenemur cū periculo proprio alteri conſulere.

Abulenſis reijcitur.

ſit clericus, qui percutitur, excuſatur ab irregularitate, ſi id faciat cũ moderamine inculpatæ tutelæ, ut habet Caietanus in 2.2. q. 64. art.7. Sotus tùm loco immediatè ante citato, tùm in 4.d.16.quæſt.2. art.3. Nauar. in manu. cap.27. nu.211. Couarru. loco citato; Silueſt. verbo homicidium tertiò, quæſt.4. Henriquez lib.14.ſupra cap.10. Salonius in 2.2. quæſt.64. art.8. controuerſ.2. Iacob. de Graff. lib. ſecũdo cap.65. nu.1. & Sayrus ſupra num.1. & ratio eſt, tùm quia in illo caſu propter iniuriam, quam facit aggreſſor, cõſtituitur indignus illo beneficio, tũm quia inuaſor poteſt deſiſtere ab aggreſsione, & non vult, & propterea ſua ſe malitia exponit damnationi, ut docent Caietanus ſupra, Sotus tùm ſupra, tũ lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 2. quæſt.2. poſt 8.concluſ. Salonius ſupra art.7. controuerſ. 1. concluſ. 3. ad ſecundum; Ille verò, qui occidit, vtitur iure ſuo, quia Ius naturale dictat, ut quis potiùs vitam propriam, quàm proximi tueatur; quod tamen verùm tunc ſolùm eſt, quando aliter ſe defendere non poſsit, ex cap. ſi furioſus, de homicid. & l. 1. ff. de iuſt. & iur. §. vim, & l. is, qui aggreſſorem. & l. ſi quis percuſſorem, C. de ſicarijs; tùm denique, & eſt ratio principalis, & adæquata, quia in eo caſu propter culpam inferentis vim, & aggreſſoris, præceptum de bono ſpirituali proximi amittit vim ſuam, & obligationem; vnde tollitur tota illa malitia, quæ eſſet.

Sic igitur in caſu noſtro, quoniam præceptum

ſigilli in nullo caſu, (excepto tamen illo, de quo in Quæſtione ſequẽti, cuius alia ratio eſt) amittit vim ſuam, neq; vnquàm tollitur malitia, quæ ſequeretur ex ſigilli violatione, quia illa non oritur ex aliquo naturæ debito, ſed ex debito diuino ergà auctorem Sacramenti, & ex bono communi, ut ſupra diximus. Ideò nunquàm eſt licitum ſigillum frãgere, ac violare, ſed ſemper tenendum erit, etiam morte. Quæ autem ſit illa malitia, quæ ex fractione ſigilli ſequeretur, iam aſsignauimus, & patet ex dictis.

Ex his ſic poſſumus probare Concluſionem poſitam. Primò,

Quæ intrinſecam, & inſeparabilem cõtinẽt malitiam, nunquàm ſunt facienda, etiã morte inſtante, aliàs ex mortis periculo liceret peccare, quod de ſe patet eſſe omninò abſurdum: Sed huiuſmodi eſt violatio ſigilli, ut iam ex dictis conſtat, ergò neq; etiam morte erit violandum ſigillum; ergò Sacerdos nõ debet retrocedere, ſed potiùs mori, ſi tamen ex retroceſsione ſequatur ſigilli violatio.

Secundò, quæ obligant ſemper, & ad ſemper, neque vllo vnquàm caſu amittunt ſuam vim obligatiuam, neque etiam morte poſſunt omitti, ut de ſe patet in alijs præceptis, de nõ fornicando, de non blaſphemando nomen Dei &c. & alijs huiuſmodi: ſed huiuſmodi eſt obſeruantia ſigilli, ergò neq; etiam morte erit omittenda; ergò Sacerdos ille, ut teneat ſigillum, debet potiùs mori, ſiluam ingrediendo:

nam,

nam, ut iam conſtat, nunquàm poteſt auferri malitia ex ſigilli violatione, ideò nunquã, neq; vllo caſu erit ſigillum violandum.

Dixi in Concluſione, niſi tamen poſſet Cõfeſſarius in eo caſu rem honeſto aliquo titulo cooperire; nàm, ſi poſſet adinuenire modum, quo ſine ſuſpicione aliqua poſſet retrocedere, & ſic effugere mortem, poſſet, & deberet illũ exequi; ut inter alios docet Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 5. & lib. de teg. & deteg. ſecre. mem. 3. quæſt. 4. poſt quintam concluſ. Medina ſupra q. 45. & alij.

Ad rationes prioris ſententiæ Reſpondeo, & primò ad Primam, cum Nauar. in c Sacerdos, de pœnit. diſt. 6. nu. 136. & 137. retroceſſionẽ illam non eſſe de ſe manifeſtatiuam cõfeſsionis, ut oſtendit argumẽtum, ſed per accidens poſſe eſſe manifeſtatiuam, ſcilicèt ex adiunctis, & circumſtantijs; quia fortè ſocij, cùm animaduerterint Sacerdotem audiuiſſe confeſsionẽ conſocij, ex retroceſsione deinde Sacerdotis poterãt facillimè ſuſpicari, detectum illi eſſe à conſocio machinatum delictum: vnde ruit argumentum, debet enim effugi omne morale periculum, etiam indirectum, quo ſuſpecta reddi poſſet confeſsio, ut ſuo loco oſtendemus.

Ad ſecundum Reſpondeo, cũ eod. Nauar. loco citato nu. 138. verè nihil de nouo innoteſcere ſocijs, quod anteà non noſſent, ut habet argumentum; ſed in hoc non ſtat reuelatio, aut non reuelatio cõfeſsionis, ſed in eo, quod

pecca-

peccatum auditum ex confeſsione, ut auditũ ex confeſsione dicatur, directè, aut indirectè; cum relatione ad perſonam aliquam, ut infrà melius explicandum à nobis erit; nam peccata etiam publica, etiamſi ſciantur, non debẽt tamen aliquo modo dici à Confeſſore, ut audita in confeſsione, ut ſuo loco explicabimus; Quare eadem ratione, etiam ſi id ſciretur à conſocijs, ſi tamen à Confeſſario aliquid fieret, quo aliquo modo id dignoſceretur, diceretur ſine dubio frangi ſigillum ſaltem indirectè.

Ad vltimum Reſpondeo, concedendo legẽ naturalem diuinam præualere diuinæ poſitiuæ, ſi tamen cætera ſint paria. At verò in caſu noſtro, non ſunt cætera paria; nam præceptum de celanda confeſsione, licèt ſit præceptum diuinum poſitiuum, quia tamen reſpicit bonum commune, anteponendum eſt alteri præcepto naturali de tuenda vita, quod licèt ſit de Iure naturæ, eſt tamen de bono particulari, ex Nauar. in cap. Sacerdos, de pænit. diſt.6. nu.139. ea ratione, qua licèt Iudex priuata ſcientia ſciat, aliquem non mæreri mortem, quia tamen ex allegatis, & approbatis illum reperit morte dignum, poteſt, & tenetur illum ad mortem condemnare, nõ alia ratione, niſi quia id petit bonum commune, quod præſcribit Iudicium ferendum eſſe ex adductis in foro contentioſo, ut ſupra probauimus ex multis locis ex Canoniſtis, Legiſtis, & Theologis.

Sequitur

Sequitur primò, Siluestrum ſupra q. 15. malè fuiſſe philoſophatum; aſſerit enim, Sacerdotem illum poſſe in ſupradicto caſu retrocedere, neq; propterea dici reuelatorem confeſsionis, quia huiuſmodi retroceſsio ſit per ſe actus indifferens, niſi tamē habeat (inquit ille) animum reuelandi, nam ſi hunc haberet, (aſſerit) fore huiuſmodi Sacerdotem reuelatorem confeſsionis: Non benè, inquam, philoſophatus eſt, nam ad hoc, ut quis dicatur, aut non dicatur reuelator cōfeſsionis, impertinens omninò eſt, ut habeat, aut non habeat animum reuelandi, modò dicat rem, quā deberet reticere ſilentio, aut aliquid agat, vnde ſaltèm indirectè illam indicaret. *Siluest. reijcitur.*

Sequitur ſecundò, Idem etiam eſſe dicendum, etiam ſi talis Sacerdos, in ſupradicto caſu exiſtens, eſſet in peccato mortali; tunc .n. deberet elicere actum contritionis, & ſic ingredi ſiluam cū periculo mortis, vt docuerunt Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 4. & Suarius ſupra ſect. 7. nu. 8. per actum enim contritionis quiſq; optimè poteſt ſaluari, cap. Dixi; cap. magna, de pænit. diſt. 1. & nos alibi dicemus.

Sequitur vltimò, ex dictis ſolui aliam eiuſdem generis difficultatem, de qua Sotus lib. de tegen. & deteg. ſecre. mem. 3. quæſt. 4. ſub fine; Quid? quando Sacerdoti celebranti Miſſam adminiſtretur à miniſtro Altaris vinū mixtum veneno, qui tamē pænitentia ductus, antequàm vinum huiuſmodi ſumatur à Sacerdote, *Alia difficultas.*

dote, eidem fatetur delictum. Reſpondetur enim eodem modo, Sacerdotem illum teneri vinum ſic mixtum recipere, niſi id ſubterfugere poſſet, ſine ſuſpicione reuelādæ confeſsionis ſibi factæ à miniſtro, propter rationē iam ſuprà allatam: Interim Sacerdos cōſulat ſibi, ſeruato tamen ſigillo.

Et hæc de tota quarta Quæſtione:

QVAEST. QVINTA.

An de licentia pænitentis poßit reuelari confeßio.

HOC quinto loco examinandum eſt, Vtrum hoc ſigillum ſit adeò indiſpenſabile, vt neque etiam de licentia pænitentis poſsit tolli; ſic enim ferè omnia, quæ de ſigilli indiſpenſabilitate dicenda erant, erunt ex viribus explicata.

Prima ſententia eſt Angeli verb. Confeſsio vltimò, §. quinto. qui tandē concludit, poſſe quidem reuelari peccatum de licentia pænitentis, ſi tamen pænitens dicat Confeſſario iterum extrà confeſsionem; ſin minus, non poſſe reuelari.

Verùm hæc ſententia, ut ſingularis, ab omnibus reijcitur, præcipuè verò, quia, ſi peccatum dicatur à pænitente extrà confeſsionem, in eum finem, vt Confeſſor dicat, iam nihil dicit diſtinctum à ſententia D. Thomæ, quam

D. Thom.

ipſe

ipſe Angelus ibidem affert, & nos infrà afferemus: ſi verò dicatur peccatum non in eum finem; tunc poterit quidem Confeſſarius dicendo peccatum auditum peccare alio peccato, non tamen contrà ſigillum, niſi fortaſſe contrà ſecretum naturale, quod tamen non eſſet ad rem noſtram.

Secunda ſententia eſt Alen. 4. p. quæſt. 78. mem. 2. Scoti, Durandi, in 4. diſt. 21. Maioris quæſt. 3. arg. 3. Almayn. in fin. diſt. 21. & ſequitur etiam Angelus ſupra; qui negant ex conceſsione pænitentis poſſe fieri facultatem, ut Confeſſarius dicat peccata ex cõfeſsione audita; & ad hanc ſententiam videtur etiam inclinare Couar. 2. p. c. 8. §. 12. nu. 11.

Poteſt autem probari hæc ſententia. Primò, quia, quæ Sacerdos ſcit per confeſsionẽ, ſcit ut Deus, ſed vt Deus ſcit peccata ut celet, & obliuioni tradat, ut ſupra diximus, ergò ex nulla auctoritate, aut licentia peccata poſſunt dici à Sacerdote extrà confeſsionem. Confirmatur, quia nulla datur poteſtas maior diuina; ergò cùm Confeſſor ſcit, ut Deus, per nullam potentiam poterit dicere peccata audita ex confeſsione, ut arguit Felinus c. Matthæus. De ſimonia.

Secundò probatur, quia Papa non poteſt præcipere, ut Sacerdos reuelet confeſsionem, ut iam ſupra definitum eſt, ergò neq; id poterit pænitens. Sequela probatur; quia, quod Superior facere nequit, neque inferior poteſt, ut de ſe patet; ergò.

Tertiò,

Tertiò, quia, ſi id poſſet Confeſſarius de licentia pænitentis, multa poſſent inſequi abſurda, & inconuenientia: ergò, ſequela probatur, quia, ut affert Medina ſupra quæſt. 45. ſic Confeſſarius poſſet ſibi aſſumere occaſionem infamandi pænitentem, manifeſtando illius delictum, dicendo ſe ad id iam à pęnitente habuiſſe licentiam, diſſoluendi matrimonia, & alia huiuſmodi. ergò.

Vltimò probatur, quia hoc priuilegium ſigilli non eſt factum, niſi in fauorem Sacramēti, ac totius Eccleſiæ, ne ſcilicèt homines à confitendo retrahantur; ergò non poteſt pænitens, cùm ſit perſona particularis, cedere huic priuilegio communi, cap. ſi diligenti, de forō competen. l. ſi quis in ſcribendo, C. de pactis.

Obiectio. Si dicas, hoc priuilegium non eſſe fauorem communem, ſed ſolius pænitentis; ergò poterit pænitens cedere huic Iuri ſuo, & ſic dare licentiam, ut Confeſſor dicat.

Reſpōdetur ex Sum. Aſten. p. 2. lib. 7. tit. 3. art. ſecundo, in princip. hoc ſigillum eſſe fauorem vniuerſalem ſpectantem ad totam, & vniuerſalem Eccleſiam, & per conſequens nō poſſe per vnum aliquem particularem, ſigilli priuilegium infringi; ſic enim fieret iniuria toti Eccleſiæ, quemadmodum aiunt ex cap. contingit, de ſent. excom. & ex c. ſi diligenti, de foro compet. non permitti, ut clericus ſe laico Iudici ſubmittat, neq; ut à laico percutiatur, etiam ſi huiuſmodi conſuetudo eſſet;

quia

quia aſſerunt, priuilegium illud ex cap. ſi quis ſuadente Diabolo, 17. q. 4. & cap. cùm illorũ, c. de monialib. & c. veniens, de ſent. excom. non eſſe priuilegium particulare, ſed totius Ordinis clericalis; cui particularis aliquis nō poteſt cedere: ſic dicunt illi; quia hoc priuilegium ſigilli eſt fauor ſacramẽti Pænitentiæ, & vniuerſalis, non poterit particularis pænitens renunciare illi iuri, & conſequenter nec poterit facere huiuſmodi licentiam dicendi peccata extrà confeſsionem Confeſſario.

Vltima ſententia eſt S. Thomæ in 4. diſt. 21. quem ſequuntur Paludanus, & alij ibidem; Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. nu. 6. & lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. ſub fin. Adrianus quæſt. 4. de confeſs. Roſella nu. 15. S. Antonin. ſupra c. 22. §. primo. Medina ſup. q. 49. Nauar. tùm in Manu. cap. 8. nu. 1. & 2. cap. 18. nu. 12. tùm in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 151. Tabiena verb. confeſs. nu. 12. Viguerius ſupra; Viuald. ſupra nu. 13. Coſmus Phil. ſup. c. 30. Silueſt. verb. cōf. tertio, q. 7. Iacob. de Graff. ſupra nu. 12. Iacob. Caſtell. ver. ſigillum. Rodriq. ubi ſupra tom. 2. cap. 53. Abbas, & alij in cap. Significaſti, de adult. Felinus cap. Matthæus. de ſimonia; Lapus allegat. 94. Calderin. conſ. 2. de teſt. Archidiac. & Alex. in cap. Ipſi Apoſtoli, 2. q. 7. & ex parte videtur Couarru. in 4. decret. vbi ſupra, & alij, qui aſſerunt, de licentia pænitentis poſſe Confeſſarium dicere peccata ab ipſo excepta extrà confeſsionem, & ſic frangere ſigillum.

S. Thom.

S. Antoni.

Vnica

Confeſsio reuelatur de licentia pænitētis.

Vnica Concluſio. Poteſt Confeſſarius de licentia pænitentis referre peccata eiuſdem alijs extrà confeſsionem, ſed nō niſi conſultò, adhibitis conditionibus.

Hanc concluſionem ſupradicti omnes DD. habent, ſed non omnes ſufficienter probant.

Abbas quidē in cap. Significaſti, de adult. probat hanc concluſionem, quia in dicto cap. dicitur peccatum à Confeſſario de licentia mulieris, quæ erat pænitens; ergò.

Sed non placet, quia certum eſt, ut docent Nauarr. in cap. Sacerdos, de pæniten. diſt. 6. nu. 126. & Couarru. 2. p. c. 8. §. duodecimo. nu. 11. in eo capite nullam eſſe confeſsionem ſacramentalem; quod patet ex eo, quia totum id, quod ibi dicitur à Confeſſario, eſt in infamiam mulieris pænitētis, ut patet legenti caput illud, cùm tamē licentia dicendi Confeſſarijs nō ſubſiſtat, niſi, quod dicitur, ſit in bonum pænitentis, vt infrà dicemus. Fuit ergò confeſsio, ſed non ſacramentalis, facta ex aliqua cauſa, quæ tunc potuit accidere, ut adnotauit Nauar. ibi loco iam citato; quare in hoc videtur lapſus Abbas.

Quòd autem addit Nauarrus eo loco, non ſibi videri confeſsionem illam ſacramētalem, quia mulier in eo capite aſſerat, & ſe, & adulterum fuiſſe confeſſos vni Sacerdoti; & proptereà, cùm confeſsio ſacramentalis ordinariè non fiat, niſi vni, & ſingillatim, ut habetur ex cap. omnis &c. de pænit. & remiſſ. & docet inter alios Roſella verb. confeſſ. primo. nu. 8.

ſibi

ſibi videri illam non fuiſſe ſacramentalē. Nō placet; nam poſſum ego dicere, mulierem illā, de qua loquitur cap. Significaſti, verba illa dixiſſe, ſcilicet, Et ſe, & adulterū fuiſse confeſſos vni Sacerdoti; quia reuera etiam Sacerdos ille, cum quo adulterauerat mulier, idem peccatum confeſſus erat eidem Sacerdoti; & ſic mulierem potuiſſe dicere illa verba citata ex capite, ſcilicèt, Et ſe, & adulterum fuiſſe confeſſos vni Sacerdoti; Intellige, non ſimul, ſed ſuccesſiuè, ità ut vnus poſt alium fuerit confeſſus. Quare, quòd illa confeſsio non fuerit ſacramentalis, ex priori tantùm capite, quod ſupra retulimus, peti debet, non ex altero, quod aſsignat Nauarrus eo loco.

Roſella ſupra nu. 9. Sotus ubi ſupra, probāt eandem concluſionem ex cap. officij, extrà de pænit. & remiſſ. vbi conſulit Papam quidam Sacerdos de peccato, quod mulier ſibi iam confeſſa erat, ſed hoc nō potuiſſet facere Sacerdos, niſi ad id iam obtinuiſſet facultatem à muliere. ergò.

Sed neq; videntur probare concluſionem, quia eſto id fuerit Cardinali in confeſsione patefactum, non inde tamen ſequitur, ut Cardinalis, dum id refert Pontifici, faciat ex licētia pænitentis, cùm ità referatur peccatum Pontifici, ut nullo modo dignoſci poſsit pænitens; quod fieri poſſe infrà oſtendemus; neq; enim peccatum, ut ſic, cadit ſub ſigillum, ſed ſolùm quatenus ex eo dignoſci poſsit peccator, ut rectè docent Nauar. & Couarru. locis

I paulò

paulò ante citatis. Quare in hoc Sotus videtur fuiſſe deceptus, & conſequẽter ex eo textu nõ potuit probare concluſionẽ allatam, nam, ut patet illum legenti, tantùm id habetur, ut peccatum à Confeſſario dicatur Papæ, non autem, quòd dicatur de licentia pœnitentis, quod eſſet probandum Soto, ut inde ſufficienter probare poſſet concluſionem allatam.

D.Thom. Idem Sotus, & Tabiena ibidem probant eandem concluſionem aliter, & deſumpſerũt ex D. Thoma in 4. diſt. 21. quæſt. 3. art. 2. & eſt, quia, data licentia à pœnitente, tollantur ea omnia, quæ faciebant confeſsionem ſigillatã; nam, ex ipſorum ſententia, duo ſunt, quæ faciunt confeſsionem ſub ſigillo; Primò, quòd Sacerdos, quæ ſcit per confeſsionem, ſciat ut Deus, non ut homo: Secundò, quia aliàs redderetur ſuſpecta, ac moleſta confeſsio; & hæc duo, aſſerunt ſupradicti DD., tolli, facta licẽtia à pœnitente. Primò enim aſſerunt, tolli primum, quia, ubi pœnitens dat facultatem reuelandi, iam Sacerdos incipit ſcire, ut homo, quare, ut ſic, poterit loqui. Secundò, aſſerunt tolli ſecundum, quia, vbi conſtat peccata dici à Confeſſario de licentia pœnitẽtis, iam nulli fit odioſa confeſsio; non pœnitenti, quia volenti non fit iniuria; non alij, quia ex hoc non tollitur alijs ſuum ius, ut, ſi voluerint, poſsint denegare huiuſmodi licentiam; ut animaduertit Medina ſupra.

Verùm nunquàm ſatis probare potui hanc Tabienæ, & Soti rationem, neq; quò ad vnã,

neque

neque quò ad alteram partem.

Quò ad priorem quidem partem, non ſatis probo, quia ſi id, quod dicunt illi DD., eſſet verum, ſequeretur, qui ſcit aliquid ſecreto tãtùm naturali, non teneri ad ſecretum, quia ſcit, ut homo, vt inquit Sotus; vel etiã, qui audiuit confeſsionem alterius ſacramentalem, quocunq; modo, non teneri ad ſigillum: Sequela probatur, quia iſti audiunt, ut homines; ergò ſi, ex quo Confeſſarij audiant, ut homines, non tenentur ad ſigillum, ut ait Sotus, neq; vllus teneretur, quod tamen eſt omninò falſum, ut ſuo loco videbimus: deniq; Cõfeſſor audit confeſsionem, vt homo etiam, ut patet ex dictis, & tñ obligatur ad ſigillũ. ergò.

Neque dicas cum Tabiena ſupra, Confeſſorem, data licentia, ſcire ut hominem, id eſt, ad reuelandum.

Nam ego hoc ipſum quæro, quomodo, facta hac facultate à pænitente, Confeſſor, ut homo, poſsit alijs dicere peccata habita ex confeſsione, non autem ante datam facultatem.

Neque dicas cum Nauarro ſupra, Sacerdotem Confeſſarium, cùm ſciat ex confeſsione, etiamſi ſciat ut homo, quia tamen ſcit tali via, ut omninò prohibeatur reuelare, Iure naturali, diuino, & eccleſiaſtico, propterea non poſſe reuelare, niſi facta facultate à pænitente, & ad eum finem, ad quem ſolùm facta eſt facultas ab illo.

Quia nihil noui à Soto affert; nam rurſus pe-

to à Nauarro, quare, facta facultate, poſſit Confeſſarius reuelare, & non ante.

Neque, quò ad alteram partem, placet ratio illa; nam ſi quis aſſerat cum Soto, Nauarro, & alijs, ubi ſupra, hoc priuilegium ſigilli eſſe priuilegium Sacramenti, dignitatis, inductum in fauorem publicum, & non eſſe alicuius ſingularis perſonæ, (id quod poſteà examinabitur) rueret totum argumentum, ſic enim non poſſet pænitens dare huiuſmodi facultatem, cùm non poſſit particularis cedere fauori communi; quare tunc non poſſet reuelari confeſsio, etiam ſtante licentia pænitentis.

Et ex his patet, non ſatis firmam videri rationem allatam, quò ad vtramq; partem.

Couarruuias ſupra c.8. §.12. nu.11. probat eandem concluſionem, aſſerit enim pænitentem ex proprio conſenſu ſigillum ſecreti diſſoluere, ac remittere.

Sed neq; hoc videtur explicare, quod eſſet explicandum; nam id ipſum ego quęro, quare id poſſit pænitens ex proprio conſenſu.

Suarius ſup. diſput. ſect.5. nu.6. aliter ꝓbat, nam inquit id eſſe ex natura, & ratione ſecreti, ut totum pendeat ex volũtate illius, (quod deſumpſit ex Couarru. vbi ſupra) qui cõmiſit ſecretum; ſicut & promiſsio ex voluntate illius, cui facta eſt promiſsio; donatio ex volũtate illius, cui facta eſt, vt patet ex l. Abſenti, ff. de donat. & in l. ſi abſenti, ff. de acquiren. poſſeſſ. & deducitur ex cap. ſi tibi abſenti, de præben. & dignit. legendus eſt Leonar. Leſſius

ſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 18. dub. 6. ſed ſigillum eſt quoddam ſecretum, ergò totum pendet ex voluntate committentis, qui eſt pænitens; ergò poteſt pænitens nolle hoc ſigillũ, & conſequenter, ut Confeſſor dicat ſua peccata; ſic enim Suarius eo loco exiſtimat ceſſare omnem iniuriam Sacramenti, & pænitentis ſimul.

Sed meo quidem iudicio, hæc ratio non videtur adhuc explicare totam rem; nam poſſet quis dicere Suario, rationem allatam optimè probare de ſecreto naturali, quod cùm pendeat ex voluntate committentis, poteſt ab illo tolli; ſicut valet in promiſsione, & donatione, ut ipſe ait. At verò de hoc ſecreto, qđ ſacramentale eſt, non videtur aliquid concludi, nam vis ſigilli ab ipſo quidem pænitente principaliter pendet, cùm ſit inſtitutũ in bonum ipſius, & ſit finis illius, ità tamen, ut etiã pendeat ex natura Sacramenti, ut poſteà explicabimus. Quare ad argumentum Suarij poſſet quis reſpondere, dari ſpecialem rationem, (quod tamen ipſe negat) cur hoc ſigillum non pendeat ſolùm à pænitente, eſt enim ratio ſacramenti, quæ de ſe petit hoc ſigillum, tanquàm aliquid, quod tanquàm paſsio fluat ex illo, ut iam explicauimus. Præterà poſſet negari Suario, tolli omnem rationem iniuriæ; nam eſto tollatur iniuria ex ea parte, qua ſigillum eſt in fauorem pænitentis, non tollitur tamen ex ea parte, qua eſt in fauorẽ ſacramẽti, maximè in ſententia ipſius Suarij, qui ibid.

nu.8. affirmat, hoc ſigillum principaliùs eſſe poſitum in fauorem Sacramenti: Vnde non ſatis firma videtur ratio hæc Suarij.

Felinus in cap. Matthęus, de ſimon. probat, poſſe Confeſſarinm de licentia pænitentis dicere peccata, ab eo ex confeſsione excepta; quia, inquit, ſi priuatus remittit, non reſiſtit Ius diuinum.

Sed, qui ſunt in contraria ſententia, dicerent aſſumi in ea ratione, quod eſſet ab illo probandum.

Sed, antequàm noſtram aſsignemus rationem concluſionis, vnum primò ſupponendum videtur, quod crediderim à nemine, qui ſit in hac noſtra ſententia, negandum, Hoc ſigillũ immediatiùs tendere in bonum, & fauorem pænitentis, quod tamen infrà probandũ erit; & hoc poſito, facilè probari poteſt noſtra cõcluſio: nam, cũ quiſq; poſsit cedere iuri ſuo, etiam pęnitens poterit cedere huic iuri, & fauori ſuo ſigilli, & conſequenter efficere, ut Confeſſor poſsit dicere, quæ à ſe habuit ex confeſsione: id quod etiam dixit Sotus libro de teg. & deteg. ſecr. mem.3. quæſt.4. ſub fin. & alij, quos ſupra citauimus, in hoc enim facilè omnes cõueniunt. Quomodo autem, facta licentia à pænitente, poſsit Confeſſarius dicere extrà cõfeſsionem illius peccata, quod huc uſque à nobis quæſitum eſt, oritur ex eo, quia ex hac licentia fit, ut mutetur materia confeſsionis, & fiat nõ amplius illius materia; Vnde peccata, quæ, ut materia confeſsionis,

erant

erant ſub ſigillum, non amplius ſint talis materia, neq; amplius ſub ſigillum aliquod ſacramentale, aut etiam naturale, cùm ipſe pænitens, ſic volens, auferat illa ab omni ratione ſecreti: Vnde poſſumus hanc rationem conficere pro concluſione noſtra.

Sigillum ſequitur materiam ſacramentalẽ, ſed, ſtante facultate pænitentis, non eſt ampliùs materia huiuſmodi ſacramentalis, ergò neque amplius ſigillum. Et hoc argumento etiam inducitur, Confeſſarium liberari etiam ſecreto naturali; quia, ex quo pænitens det huiuſmodi licentiam, intelligitur nõ amplius velle ſua peccata commiſſa fidelitati Confeſſarij. Et confirmatur à ſimili, quia, ut ſupra diximus de iuramento, quòd ſcilicèt materia iuramenti exiſtente mala, iam non amplius ſit materia iuramenti, & conſequenter neq; amplius obliget. Sic in re noſtra, exiſtente licentia pænitentis facta Confeſſario, iam peccata deſinunt eſſe materia ſigilli, cùm mutent ſtatum; Vnde Confeſſor poteſt ea dicere extrà confeſsionem, neque amplius ligatur ſecreto aliquo, aut naturali, aut ſacramentali.

Neque dicas, reddi cõfeſsionem odioſam, (quod erat ſecunda pars ſecundi argumenti, quo probabatur concluſio) quia, cùm non reueletur aliquid, quod vere, ac formaliter ſit ſub ſigillo, nullum eſt periculum, ut confeſsio fiat odioſa, præſertim cùm dicantur peccata coram ijs, qui id ſciant.

Neque dicas, fieri alicui iniuriam; nam ſi

loquamur de pænitente, illi nō fit iniuria, quia ipſe volens cedit iuri ſuo; ſi verò loquamur de Sacramento, neque ipſi fit iniuria, quia tunc nullum eſt ſigillum ſacramentale, cùm ex licentia pænitentis res extrahatur à ratione ſacramenti, & mutet ſtatum: ſi deniq; de quocunq; alio, nulli alij fit iniuria, quia, ut ſupra diximus, ex hoc nulli alij tollitur ius ad ſigillū, vt ait Medina, ubi ſupra.

Et ex his iam apparet noſtra concluſio, & quid in vnaquaq; ratione, quas nos ex ſupradictis DD. aſsignauimus, & exploſimus, deſideremus.

Secunda pars Concluſionis principalis, ꝙ ſcilicèt conſultò, & non niſi magna adhibita diligentia, talis licentia ſit à pænitēte danda, probatur ſimul, & explicatur.

S. Antoninus. *Conditiones, quibus à pænitēte datur facultas dicēdi Confeſſario.*

Nam, ut docēt S. Antonin. Sotus, Medina, Couarruias, Iacob. Caſtellan. & alij vbi ſupra, multæ debent eſſe conditiones, ad hoc, ut huiuſmodi licentia à pænitente facta Cōfeſſario dicendi peccata extrà confeſsionē, ſubſiſtat; & primò quidem, vt huiuſmodi licentia fiat omnibus nota, ſaltem illis, coram quibus delicta ex confeſsione habita, ſunt manifeſtāda; ſic enim omnis ratio ſcandali, quæ apud illos poſſet oriri, qui omninò ignari eſſent de huiuſmodi data licentia, tolleretur, vt benè adnotauit Medina ubi ſupra. Vtrum autē, illi, quibus de licentia pænitentis dicuntur peccata à Confeſſario, teneātur ad ſigillum ſacramentale, an naturale, poſteà dicemus. Secū-

dò, non debet dari huiuſmodi licentia, quacunq; ex cauſa, ſed, vel ex ſummo bono, quod poſſet inſequi, vel ex ſummo malo, quod in famam, aut vitam pænitentis immineret, euitãdo, ut habent Medina ſupra, & Rodriq. ſupra tract. 2. c. 53. Tertiò, huiuſmodi licentia debet eſſe expreſſa, neq; ſufficit tacita, aut præſumpta, ne ſaltem tacitè alicui poſſet videri confeſsio reuelata, ex eodẽ Medina, eo loco; id quod dico contrà Nauar. in manu. cap. 17. nu. 23. & Iacob. de Graff. ſupra nu. 12. qui aſſerunt, ad hoc ſufficere licentiam tacitam. Quartò, non debet eſſe coacta, ſed omninò libera, & ſpontaneè facta, ex D. Antonin. ſup. §. 1. Soto ubi ſupra; Nauarro in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 157. Suario ſupra ſect. 5. nu. 14. & alijs. Vnde colligunt, & benè, Sot. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. Iacob. de Graff. ſupra, Si Iudex, aut alius quicunque cogeret Reum, ut licentiam daret Cõfeſsario reuelãdi delictum, quod ab eo habuit ex confeſsione, tunc Sacerdotem nullo modo debere reuelare, tùm quia illa licentia non eſſet omninò libera, tùm quia id aliquando poſſet vertere in caput pænitentis, cui tamen maximè conſulendum eſt, ut patet ex ſecunda conditione ſupra aſsignata: & his poſitis conditionibus, & nõ aliter, Confeſſarius poterit loqui de peccatis auditis ſacramentaliter, de licentia pænitentis, coram alijs, eaq; manifeſtare ſine fractione ſigilli. Quare in hoc cautè agendum eſt, neque non ſine magna vtilitate

S. Antoni.

Alia difficultas.

tate pænitentis, in cuius gratiam immediatè ſigillum tendit, ad huiuſmodi licentias deueniendum eſt.

Et hinc patet ſecunda pars noſtræ Concluſionis, quæ, ac qualis debeat eſſe huiuſmodi licentia, ut Confeſſarius poſsit dicere peccata ex confeſsione habita. Nunc

Reſtat, ut iam veniamus ad argumēta initio poſita.

Ad primum igitur pro ſententia Scoti, Reſpondeo, Confeſſorem ea, quæ ſcit per confeſſionem, ſcire vtroq; modo, & ut Deum, & ut hominem; quia tamen tota ratio ſecreti maximè pendet ex bono pænitentis, cui ex Iure naturali, diuino, & eccleſiaſtico Confeſſarius tenetur conſulere, poterit ipſe pænitens cedere huic iuri ſuo, & ſic tollere obligationem ſecreti, propter rationem iam allatā, quidquid dicat Nauarrus in reſponſione ad hoc argumentum, loco citato. Ad argumentum ergò in forma, Reſpondeo ad conſequentiam, per poteſtatem factam à pænitente, poſſe obligationem illam à pænitente, modo explicato, in actu tolli, ad quod non requiritur aliqua alia poteſtas, niſi ut velit pænitens tollere, quod ſuum eſt, quod eſt ſigillum in rebus ſuis.

Ad ſecundum concedo, id Papā non poſſe, nego tamen id ſubditum pænitentem nō poſſe; nam, ut ait Medina eo loco, propoſitio illa, non eſſe ſcilicèt reuelandam cōfeſsionem, eſt intelligenda cum clauſula, niſi ſit licentia, & conſenſus pænitentis, non Papæ, propter

ratio-

rationem iam factam; & licèt pęnitens ſit inferior Papa in alijs, ut dicitur in argumento, quò ad famam tamẽ propriam, pænitens ſubditus eſt ſuperior Papa, ut habet Sotus ſupra in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 5. in reſponſ. ad primum, nam ſicut licebit cuique rem ſuam alteri tradere, non licebit tamen Papæ, ſine tamen conſenſu veri domini; eodẽ modo, quia quiſque eſt dominus ſuæ famæ, ut poſteà videbitur, poterit ſuum crimen detegere, ac propalare, niſi tamen ſcandalum aliquod inde inſurgat: non poterit tamen id Papa, quandoquidem ipſe non eſt dominus alterius famæ, ut etiam tradit Medina ſupræ quæſt. 49. Vnde benè ſequitur, pænitentem poſſe dare licentiam dicẽdi Confeſſario, quia dat de re, cuius ipſe eſt dominus, non autem Papam, quia ipſe nõ eſt dominus famæ alterius.

Ad tertium Reſpondeo, ſi quæ abſurda ſequantur, ex quo pænitens det huiuſmodi licẽtiam Confeſſario, id non oriri, ex quo detur huiuſmodi licentia formaliter, & præcisè, ſed aliunde, ex malitia ſcilicèt Confeſſoris, quæ ſi ſemel concedatur, malè agitur de cõfeſsione tota, conceſſo enim vno abſurdo, multa alia ſequi neceſſe eſſe docuit Ariſt. in Phiſic. *Ariſtotel.*

Ad vltimum reſpondent Sotus loco citato, Nauarr. in cap. Sacerdos, de pæniten. diſt. 6. nu. 155. Suarius ſupra ſect. 5. nu. 8. & alij, hoc ſigillum eſſe quidem inductum in fauorẽ publicum, non tamen detrahi huic publico fauori per huiuſmodi conceſsionem factam à pæni-

pænitente, cùm nihil agatur, niſi ipſo volente, & conſentiente.

Sed, ut verum fatear, nunquàm potui probare hanc ſolutionem; nam ſi ſemel conceda tur, quod ipſi concedunt, hoc priuilegium ſigilli eſſe fauorem quendam generalem factũ ipſi Sacramento principaliter, & non partiticularem, inductum in bonum pænitentis; conſequenter videtur dicendum, ut pænitens non poſsit facere eam facultatē dicendi peccata extrà confeſsionem Confeſſario, neque enim pænitens poteſt cedere iuri non ſuo, ſicut ſupra diximus de fauore clericali, ex capitulo ſupra citato, Si quis ſuadente &c. qui, cũ ſit fauor quidam ordinis, & dignitatis, non poteſt tolli à particulari clerico; vnde non poteſt clericus ſinere, ut ab aliquo percutiatur, abſq; eo, quòd percutiens incidat in excõmunicationem in eo cap. latam contrà clericos percutientes, ut iam ſupra expoſuimus.

Melius ergò videtur reſpondendum cũ Felino cap. Matt. de ſim. Medina ſup. quæſt. 49. hoc ſigillum primò, & per ſe, eſſe fauorem inductum in bonum pænitentis, eumq; ſingularem: vnde cùm ſit ius pænitentis, & quilibet poſsit cedere iuri ſuo, poterit etiam pænitens facere facultatem illam Confeſſario, nam facit illam de re, quæ ſua eſt. Dixi, poſſe quẽlibet cedere iuri ſuo, quod intelligendum eſt, ſi ſit ſine præiuditio tertij; id quod maximè attendendum eſt in caſu noſtro, nam tunc ſolùm Confeſſarijs eſt danda huiuſmodi facul-

tas,

tas, quando nullũ inde potuit emergere damnum, aut in pœnitentem, ex Iacob. de Graff. ſupra nu. 12. aut in tertiam aliquam perſonã, id quod fortè voluit Sotus in 4. vbi ſupra, cùm dixit, ſigillum confeſsionis eſſe inſtitutum in bonum cõmune, quia ſcilicèt nullus lædi debet ex facta facultate reuelandi confeſsionẽ. Ad argumentum igitur in forma negandũ eſt antecedens.

Sequitur primò, non eandem eſſe rationem huius fauoris ſigilli confeſsionis, ac illius, qui eſt de non percutiendo clericũ, ex cap. alleg. Si quis ſuadente &c. nam hic, ut iam diximus, reſpicit dignitatem, & ſtatum clericalẽ, cùm ſit fauor quidam vniuerſalis, non autem ille, qui eſt ſigilli, qui fauor eſt ſolius pœnitentis primò, & per ſe.

Sequitur ſecundò, S. Thomæ, & Soti ſententiam poſſe conciliari, ſi dicamus S. Thomam id ſolùm voluiſſe, vt peccata à Confeſſario dici poſsint de licentia pœnitentis, quãdo id ſit in bonũ ipſius pęnitentis: Sotum verò voluiſſe non poſſe dici peccata à Confeſſario de licẽtia pœnitentis, ſi id ſit in detrimentum pœnitentis; ità videtur conciliaſſe has ſententias Couarru. ſupra c.8. §. 12. nu. 11. *S. Thom.*

Sequitur tertiò, quid ſit dicendum ad eam difficultatem, qua quæritur, *Vtrum Confeſſor poſsit reuelarę hæredibus aliquam reſtitutionem faciendam a mortuo pœnitente.* *Noua difficultas.*

Licèt enim Maior in 4. d. 21. q. 3. ſequutus Sotum ibidem aſſerat, non poſſe dici debita,

cre-

credita, & alia ſimilia à Cõfeſſario, quæ ipſe habuit ex confeſsione alicuius, quia id ſit reuelare confeſsionem.

Attamen melius mihi videtur ſenſiſſe Tabiena ſupra §. 10. Roſella ſup. §. 14. Iacob de Graff. ſupra nu. 13. Nauar. in manu. c. 17. nu. 23. Rodriq. ſupra de confeſſ. c. 59. num. 17. & alij, à Confeſſario poſſe dici credita, debita, depoſita, & alia huius generis, ipſis hæredibus. Quod ego puto veriſsimum, duabus poſitis conditionibus, ut primò adſit licentia mortui pænitentis, qui ante mortem dixerit Confeſſori, ut reuelet, ex cap. Preterea, de off. deleg. In quo caſu creditur Confeſſori ſic dicenti, maximè ſi id, quod reuelatur, (& eſt ſecunda conditio, quam diximus requiri) ſit in bonum animæ pænitẽtis iam mortui; & ratio eſt, quia cùm, ut iam diximus, de licentia pænitentis poſsint à Confeſſario dici peccata illius extrà confeſsionem, ſi id ſit in eiuſdẽ pænitentis bonum; quid ni etiam poterunt dici illa, quæ ſupra diximus, ſi ad ea dicenda habuerit licentiam Cõfeſſarius à pænitente iam mortuo, & ſint in bonum eiuſdem. Et hinc apparet fundamentum Maioris eſſe falſum.

Obiectio. Sed quid, ſi non ſatis conſtet de voluntate pænitentis iam mortui, & hæredes ipſi dubitent, & præſumant contrà Confeſſarium fuiſſe confeſsionem reuelatam abſque aliqua licentia illius.

Reſpondeo, & tunc præſumendum eſſe, id fuiſſe dictum à Confeſſario de licẽtia mortui

pæni-

pænitentis, ex Decio in c. 1. nu. 27. de except. & notat Lapus alleg. 94. Id quod maximè verum iudico, quando reſtitutio vertit in bonũ animæ ipſius mortui, ut docet Felin. cap. Matt. de ſim. vbi habet hæc verba: Quòd ſi nõ poteſt apparere de voluntate confitẽtis, ſemper præſumitur contentus, quando aliter ſuæ ſaluti conſuli non poſſet: ex quo deinde deſumpſit Iacobus de Graff. ſupra nu. 14.

Quid ſi hæredes nollent ex auaritia (vt accidit) dictis Cõfeſſarij acquieſcere, ad ſummũ eſſet opus illorum, ut probarent contrà Confeſſarium, qui reuelauit, id non fuiſſe ex mente, & licentia pænitẽtis iam mortui, ut docuit Iacob. de Graff. ubi ſupra; præſumptio enim transfert onus probandi in agentem, quia is debet probare, contrà quẽ facit præſumptio, ut eccleſ. benef. cap. vnico.

Sed quid ſi verè Cõfeſſarius nullam habuit licentiam à pænitente mortuo dicendi hæredibus credita, depoſita, & alia huiuſmodi, & fiat inquiſitio de his ab Epiſcopo, etiam lata excommunicatione. *Obiectio.*

Reſpondeo, etiam lata excommunicatione tacendum eſſe Confeſſario, maximè, ſi, quæ eſſent reuelanda, indicarent peccatum mortui, ut habent Roſella loco & numero ſupra citat. Tabiena item ubi ſupra §. decimo. & ratio eſt clara, quia cùm ſigillum duret etiam poſt mortem, ut quæſtione ſequenti explicabimus, etiam poſt mortem erunt celanda, quæ poſſunt indicare peccatum mortui, neq; ali-

qua

qua ratione manifeſtanda, etiam ſi eſset appoſita excommunicatio ab ipſo Papa, ut ſupra definitum eſt.

Quid ſi reuelandum à Confeſsario non indicaret peccatum aliquod, vt ſi depoſitum alicuius eſſet penes res mortui, & ideò fieret inquiſitio à Superioribus, & id ſolùm notum eſſet Confeſſario. Exiſtimarem poſſe Confeſſarium Superioribus illud denunciare, ac manifeſtare, modò id fieret extrà omne ſcandalum; & ratio eſt, quia id neq; directè, neque indirectè cadit ſub ſigillum, cùm nullo modo indicet peccatum aliquod; fortè enim pænitens ex obliuione aliqua non culpabili fuit illius oblitus, ut denunciaret hæredibus. Id quod præcipuè verum exiſtimo, ſi quando Superior id præcipiat reuelari ſub excommunicatione: Vtrum autem Sacerdos teneatur ea celare ſecreto naturali, alia difficultas eſt, de qua infrà diſputandum erit.

Et hæc de hac quinta Quæſtione.

QVAEST.

QVAEST. SEXTA, & vltima.

Quanto tempore duret hoc ſigillum ſacramentale.

QVoniam iam ex ſuperioribus conſtat, quanta ſit vis ſigilli, natura, ac proprietas; ac preterea ferè omnia, quæ de illius qualitate dicenda erant; operæ prætium videtur, ad perfectionē huius ſecundæ ſectionis, agere de duratione huius ſigilli hoc loco; ſic .n. de omnibus, quæ ad ſigilli qualitatem ſpectāt, erit à nobis ex viribus actum.

Supponimus autē hoc loco ea omnia, quæ ſupra diximus de præceptis affirmatiuis, & negatiuis, ne toties eadem repetamus.

Prima ſententia fuit aliquorum Canoniſt. quos refert Couarru. ſupra in 4. p. 2. c. 8. nu. 9. qui dixerunt deſinere hoc ſigillum ad deſitionem illius, in cuius gratiam eſt ſigillum.

Probatur, quia ſi ſit neceſſarium manifeſtare crimen mortui pænitentis, ad impediendū aliquod matrimonium, poterit Confeſſarius illud dicere; ergò licitum eſt illi ſigillum poſt mortem frangere; ergò non durat ſemper.

Altera ſententia eſt communis, hoc ſigillū durare etiā poſt mortem, ità S. Thomas 2. 2. q. 33. art. 2. Scotus in 4. d. 21. q. 2. Silueſ. ver. confeſſ. tertio, q. 2. Ange. ſupra num. 14. Na- *S. Thom.*

K uar.

uar. in manu. c. 8. nu. 7. Viuald. ſupra nu. 12. Iacob. de Graff. ſupra num. 24. Suarius ſupra diſput. 33. ſect. 1. nu. 17. Abb. in cap. Nouit, de Iud. Couarru. vbi ſupra, Iacob. Caſtel. ver. ſigillum, & alij.

Sigillũ durat poſt mortem. Vnica Concluſio: Sacramentale ſigillum durat etiam poſt mortem pænitentis.

Probatur primò concluſio, quia deducitur ex 2. q. 1. cap. ſi peccauerit, & ibi Archidiacon.

Secundò probatur, quia cùm præceptũ ſigilli ſit negatiuum, obligare debet ſemper, & ad ſemper; ergò nullo vnquàm tempore licebit illud infringere; ergò neque poſt mortem. Sequela de ſe patet.

Tertiò probatur, quia, ut ſupra oſtẽſum eſt, hoc ſigillum non, niſi de licentia pænitentis, tolli poteſt, cùm fuerit inſtitutum primo, & per ſe in fauorem ipſius; ergò neque etiã poſt mortem poterit violari. Sequela probatur, quia ideò viuente pænitente non poteſt tolli ſigillum, quia, ſi tolleretur, fieret illi confeſsio moleſta, atque odioſa: Sed hæc ratio militat etiam poſt mortem, ergò; probatur aſſumpta minor, quia etiam poſt mortem debet cõſeruari fama hominis. Accedit præterea, quod ſi mortales ſcirent poſt mortem poſſe impunè reuelari delicta à confeſſore, quia id poſſet vertere in malam famam, tùm pęnitẽtis mortui, tùm etiam familiæ illius, abſtinerent à confeſsionibus, aut certè non integrè confiterentur ſua peccata: Quare, ut tollatur tantum inconueniens, dicendum neceſſariò eſt,

hoc

hoc ſigillum ſemper, & ad ſemper, etiam poſt mortem, durare.

Ad id, quod obijciebatur, reſpondetur ex Couarru. ubi ſupra, quod, præterquàm quòd fides exhibita à Confeſſario in huiuſmodi re nullam faceret probationem, ac nullius momenti eſſet, id etiam eſſet contrà commune bonum; nam, ut diximus, alij aut poſſent dimoueri à confeſsionũ frequentione, aut certè non integrare confeſsiones, ſi intelligerẽt huiuſmodi ſigillum nõ ſeruandum etiã poſt hãc mortalem vitam.

Sequitur ex Soto lib. de teg. & deteg. ſecre. mem. 3. quæſt. 3. poſt quartam concluſionem, Confeſſarium illum non fractum ſigillum, ſi de mortuo pænitente diceret, illum nunquàm in vita confeſſum ſibi eſſe peccatum mortale; & ratio eſt, tùm quia ſic dicendo nullum inſequitur incommodum ex ijs, quæ ſupra adduximus, ut frangatur ſigillũ; & præterea quemadmodum de homine viuo, ſine periculo aliquo ſigilli poſſumus dicere, Iſte minimè mihi confeſſus eſt peccatum mortale, (niſi tamen inde poſſet ſequi ſuſpicio aliqua de tertia perſona, vt ipſa haberet peccatum mortale, ità ut, quod negetur de vno, affirmari videatur de altero, ut diximus,) ſic etiam de mortuo idẽ poſſumus affirmare, abſque periculo, ut frangatur ſigillum aliquod. *Caſus.*

Atque hæc dicta ſint, quò ad ea, quæ ad hãc ſecundam ſectionem pertinebãt; ex qua iam patet, quæ, ac quanta ſit huius ſigilli indiſpẽ-

ſabilitas; vt, ſi pænitentem omittamus, nullus ſit alius tàm grandis, qui aliqua ex parte hanc ſigilli indiſpenſabilitatem aut tollere, aut etiã ex parte minuere poſsit; nec quicquàm in hac vita tanti æſtimandum à Confeſſarijs, quanti huius ſigilli obſeruantia, ut ex hac ſola ad Pænitentiæ ſacramenti frequentiam, aut etiam integritatem maximè alliciantur homines, illud proſequantur, ament, atque obſeruent. Ex quo aduertant Confeſſarij, quantum in eo elaborare debeant, ut confeſsiones, quas pro tempore audiunt, ſigillatas omninò habeant, ut potiùs ſanguinem, ac vitam profundere nõ dubitent, quàm aliquo modo hanc ſigilli maximam ſanctitatem violare.

SE-

SECTIO TERTIA, DE ILLIS, QVAE CADVNT ſub ſigillum ſacramentale.

QVAESTIO VNICA.

Qui teneantur hoc ſigillo.

EXplicata Qualitate huius ſigilli, iure optimo deueniendũ eſt ad id, vt oſtendamus Perſonas, quæ hac ſigilli qualitate qualificãtur: & cùm multæ ſint perſonæ, quæ poſsint ſigillo ligari; cùm multæ ſint, ad quas pertingere poſsit ſacramentum Pænitentiæ, ex quo fluit, tanquàm paſsio, ſigillum, ſunt .n. Sacerdos, Pænitens, Interpræs; & alij multi; ideò in hac Quęſtione de his omnibus dicendum eſt, atque examinandum, an omnes obſtringantur ſigillo, an ſecretò, & quomodo.

Facit autem in hac quæſtione difficultatẽ; Primò, cap. Sacerdos, de pænitent. diſt. 6. & cap. Omnis vtriuſq; &c. de pæniten. & remiſ. in quibus textus, vt patet legenti, ſolùm videtur loqui de Sacerdote, perinde quaſi ſolùm ipſe, & non alius teneatur ad hoc ſigillum. Sunt autem verba textus cap. Sacerdos. hæc, quæ ſequuntur.

Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata ſua, alicui recitet, quòd ea confeſſus

 eſt,

eſt, non propinquis, non extraneis, (quod abſit) pro aliquo ſcandalo: Namſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus, peregrinãdo pergat.

Verba autẽ cap. Omnis vtriuſq; &c. de pęniten. & remiſs. ſunt, quæ ſequuntur.

Omnis vtriuſq; ſexus fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua, ſolus, peccata, ſaltèm ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti. Ex quibus euidenter videtur colligi, huiuſmodi ſigillum ſolùm pertinere ad Sacerdotes, quia ſolùm fit mentio Sacerdotum.

Secundò facit difficultatem, quia ad illum ſolùm pertinere videtur hoc ſigillum, cui tanquàm miniſtro Dei deteguntur peccata; ſed peccata, ut ſic ſolùm, deteguntur Sacerdoti, ergò ſolus Sacerdos, & non alius, videtur ligari hoc ſigillo.

Communis tamen ſententia eſt, non ſolùm Sacerdotem Confeſſarium, ſed multos etiam alios ligari hoc ſigillo; ità S. Thom. in 4. d. 21. *D. Thom.* Paludan. ibidem; Roſella ſupra §. 14. Angelus ſupra §. 15. S. Antonin. ſupra §. ſecundo. *S. Antoni.* Tabiena ſupra nu. 6. Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 5. concluſ. 4. & lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 3. concluſ. 4. Medina ſupra quæſt. 46. Armilla ſupra nu. 9. Viguerius ſupra; Nauar. tùm cap. 8. nu. 4. & 8. tùm in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 40. 41. & 42. Coſm. Philiar. ſupra c. 30. Viuald. ſupra nu. 10. Iacob. Caſtel. verb. ſigillum; Iacob. de Graff. ſupra num. 37. Suarius ſupra ſect. 4. per totam.

Vnica

Vnica concluſio. Omnes illi, ad quos notitia peccatorum ex confeſsione ſacramẽtali deuenit, ſiue licitè, ſiue illicitè, ſiue mediatè, ſiue immediatè, ſiue directè, ſiue indirectè, ſiue quocunq; alio modo; omnes, inquàm, tenentur celare ſic audita ſigillo ſacramentali.

Hæc concluſio melius patebit ex dicendis. Interim tamen,

Poteſt probari primò, quia omnes illi tenẽtur ad huiuſmodi ſigillum, qui, reuelando, poſſunt reddere confeſsionem odioſam; ſed non ſolùm Sacerdos, ſed etiam quicunq; alius, qui audit peccata confeſſa, reuelando, poteſt reddere confeſsionem odioſam. ergò.

Secundò probatur, Res tranſit cũ ſuo onere, ex c. ex litteris, de pignor. cap. Paſtoralis, de decimis. Sed confeſsio ſemper habet annexum ſigillum, ergò, ad quemcũq; deueniat, ſemper deuenit cum ſigillo; ergò, quocunq; modo quis audiat confeſsionem ſacramentalem, ſemper tenebitur ad huiuſmodi ſigillum; ergò non ſolùm Sacerdos, ſed etiam alij ligãtur ſigillo. Hoc argumentum eſt Nauarri ſupra cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 44. & in Manu. c. 8. nu. 7. Pro cuius explicatione,

Notan. eſt ex eodem Nauarro ibidem cap. Sacerdos &c. nu. 46. ſigillum primò, & per ſe cadere quidem in perſonam,ità tamẽ, ut cadat etiam in ipſam confeſsionem, in ordine tamen ad perſonam, fluit enim ſigillum ex ipſa confeſsione, tanquàm paſsio, & proprietas, ut iam ſupra explicatum eſt; & hinc fit, vt, ad *Sigillũ cadit in pænitentem, & in ipsã confeſsionem.*

quemcunq; deueniat confeſsio, deueniat cum hoc onere ſigilli: Vnde benè cõcludit Nauar. vbi ſupra, vt, quoniam ad plures tranſit confeſsio ſacramentalis, plures etiam poſsint ligari ſigillo, & non ſolus Sacerdos.

Sigillũ primò ligat ſacerdotes, alios verò ſecundò.

Ad id, quod primo loco obijciebatur in oppoſitum, ex illis duobus cap. Reſpondeo, cum Nauarro ibidem num.47. duo illa capita meminiſſe quidem ſolius Sacerdotis, quia vt plurimùm ſigillum pertinet ad Sacerdotem, rarò ad alios: vel dicendum eſt meminiſſe ſolius Sacerdotis, quia propriè, & per ſe ad illos ſpectat ſigillum, ut innuit Iacob. de Graff. ſupra nu.53. ad quos propriè ſpectat adminiſtratio ſacramẽti Pænitentiæ, qui ſunt ſoli Sacerdotes, ut paulò infrà oſtendemus; non autem aliorum, quia ad hos ſolùm ſpectat hoc ſigillum per accidens & ſecundariò; vnde nõ eſt colligẽdum, ut notat ibidem Nauar., alios à Sacerdotibus excludi ab hoc ſigillo, ſed ſolùm non primò, & per ſe alios ligari ſigillo, ſicut primò, & per ſe ligantur Sacerdotes.

Ad ſecundum, quod faciebat difficultatẽ, Reſpondeo, negando maiorem, nam certum eſt, ad omnes illos pertinere hoc ſigillum, qui immiſcentur ex aliqua cauſa, vel iuſta, vel iniuſta, in ipſo ſacramento Pænitentiæ, ut conſtabit ex dicendis. Quare cùm non ſolus Sacerdos, qui tamen per ſe, ſed etiam alij poſſint ſe immiſcere in confeſsione ſacramentali, ideò non ſolùm Sacerdos, ſed etiã alij poſſunt ligari ſigillo.

Con-

Conſtat igitur alias perſonas à Sacerdotibus ligari ſigillo. Vnde non erit ab re hoc loco inueſtigare, quæ ſint huiuſmodi perſonæ, quas diximus ligari poſſe hoc ſigillo: Id quod claritatis gratia, propoſitis dubitationibus, explicabimus.

PRIMA DVBITATIO,
De pænitente.

Vtrum pænitens teneatur ad ſigillum ſacramentale.

NOn diſputo hîc de Sacerdote, quoniam iam ex ſuperiori quæſtione ſatis patet, primò, & per ſe ſigillum ſpectare ad Sacerdotem Confeſſarium; id quod clarè patet ex adductis cap. Sacerdos, de pænit. &c. & c. Omnis, de pæniten. & remiſs. Igitur, prætermiſſo Sacerdote, hîc diſputãdum eſt de pænitente.

De quo illud videtur poſſe dubitari, vt, ſicut Sacerdos tenetur ad ſigillum, ſic pęnitens ad idem teneatur, cùm eadẽ videatur vtriuſq; ratio; & præterea, quia aliàs ſequeretur, pænitentem poſſe ſe ipſum infamare, quod non videtur aliqua ratione concedendum.

Paludanus in 4. d. 21. quæſt. 3. Adrianus, quæſt. vltima de confeſſ. & Nauar. in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 115. aſſerũt, pænitentem peccare, ſi aliquid reuelet ex confeſſione, ex quo Sacerdos aut patiatur damnum,

aut aliquam irriſionem; non explicant tamē, An peccet contrà præceptum fidelitatis, an ſigilli, an alicuius alterius virtutis.

Communis tamen ſententia eſt, Pænitentē non teneri ſigillo, ità Richar. in 4. d. 21. art. 5. quæſt. 3. Sotus in lib. de teg. & deteg. ſecret. mem. 3. quęſt. 4. Suarius ſupra ſect. 4. num. 2. & alij communiter.

Reſpondeo, pęnitentem non peccare contrà ſigillum, ſi ſuam confeſsionem reuelet.

Probatur primò, nam ex quo, ut ſupra probatum eſt, hoc ſigillum ſit fauor quidam primò, & per ſe inductus in bonum pænitentis; conſequens eſt, ut poſsit ipſe loqui de peccatis ſuis, iam confeſsis, cùm quiſq; cedere poſſit iuri ſuo, niſi tamen inde ſequatur aliquod inconueniens, ut ſupra adnotauimus, tunc .n. non poſſet.

Secundò probatur, quia, ut iam dictum eſt, poteſt Confeſſor, de licentia pænitentis, peccata audita ex confeſsione dicere; ergò multò magis ipſe pænitens poterit dicere. Sequela de ſe patet; ergò.

Tertiò probatur, quia quiſque eſt dominus ſuæ famæ: ergò, ſicut poterat pænitens loqui de peccatis ſuis ante factā confeſsionem, ſic etiam habet idem ius, ut poſsit loqui de illis, etiam facta confeſsione; neque enim fit pænitens peioris conditionis, ex quo ſit ſua peccata confeſſus, id quod docuit Suarius ſupra ſect. 5. num. 4. Vnde nullum eſt periculum, ut pænitens, ſi aut ante, aut poſt confeſsionem

loqua-

loquatur de peccatis ſuis, frangat ſigillum aliquod.

Illud tamen in hoc aduertendum eſt, ſi ex reuelatione peccati pænitens cauſaret in Cõfeſſorem aliquod damnum, aut etiam aliquã ignominiã, poſſe quidẽ pænitentem reuelãdo tũc peccare contrà charitatẽ, aut etiã aliquod aliud præceptum, non tamen contrà ſigillum, ut etiam aduerterunt Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. poſt quartam concluſ. & Suarius ſupra ſect. 4. num. 2. propter rationem iam dictam. *Nota.*

Ad priorem punctum difficultatis Reſpondeo, non eſſe eandem rationem pænitentis, & Confeſſarij in ordine ad ſigillum: Ratio autem diuerſitatis eſt, quia ſigillum inductum eſt in bonum, & fauorem pænitẽtis, ac proinde poterit ille cedere iuri ſuo; quod nullo modo dici poteſt de Confeſſario, qui ex omni iure naturali, diuino, ac eccleſiaſtico tenetur celare confeſſa ſibi à penitente.

Ad alterum punctum, quo dicebatur, pænitentem ligari ſigillo, quia non poteſt ſe infamare. Reſpondeo, totum hoc pendere ex alia quæſtione, Vtrum quiſq; ſit dominus ſuæ famæ? nam ſi ità, poterit quiſq; dicere ſua delicta, neq; ad illa reticẽda obligabitur aliquo ſigillo: ſin minus, neq; ipſe pænitens poterit dicere ſuà peccata, & ad ea reticenda obligabitur aliquo ſigillo. **Id quod hoc loco erit à nobis examinandum.**

Quæri-

Digitized by Google

Quæritur ergò,

Vtrum quiſque ſit dominus propriæ famæ.

Caietanus Cardinalis in 2. 2. q. 73. art. 2. & in Summa verb. Detractio, duo dicit. Primò, Hominem non eſſe dominũ ſuæ famæ. Secundo, Infamãtem ſe ipſum peccare mortaliter.

Primum. Probatur primò, ex Sacris ſcripturis, quæ maximè commendant famam propriam.

Eccleſ. Eccleſ. 41. *Curam habe de bono nomine &c.* & cap. 7. *Melius eſt bonum nomen, quàm vnguenta prætioſa &c.*

Prouerb. Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum &c.* Ergò, cùm tantum commendetur nomen bonum, ac fama propria, nõ videtur poſſe quiſq; pro ſua ſententia illam paruipendere, & contemnere; & conſequenter nec dominus ſuæ famæ.

D. Auguſ. Secũdò, idem probatur auctoritate D. Auguſtini libro De bono Viduitatis, cap. 22. qui liber eſt in quarto Tomo, vbi vocat crudelem illum, qui famam negligit, & repræhendit illos, qui propriam famam parui faciunt; refertur 11. q. 3. can. non ſunt audiendi, & 12. q. 1. cap. nolo. Ex quibus colligere licet, hominem nõ eſſe dominum ſuæ famæ; ſi enim eſſet dominus,

minus, poſſet illam negligere, quod tamē negat D. Auguſtinus.

Tertiò probatur ratione, nam in homine videtur eadem ratio de fama propria, ac de vita; ſed homo non eſt dominus propriæ vitæ, ut de ſe patet, ergò neq; famæ.

Quartò probatur, nullus particularis homo eſt dominus bonorum communium; ſed fama eſt quoddam bonum commune, ergo. Probatur minor, nam vnuſquiſq; Ciuis eſt pars ſuæ Reipublicæ, ergò etiā fama illius eſt pars famæ Reipublicæ; ergò fama eſt bonum commune, quod pertinet ad Rempublicam, ergò non poteſt particularis illām paruipendere, ac contemnere.

Secundum autem Caietani, Infamare ſcilicèt ſe ipſum de ſe eſſe peccatum mortale, quod etiam ſenſit Valentia 2. 2. q. 73. diſp. 5. quæſt. 1. par. 2.

Primò, probatur ex ſcripturis, Iſaiæ 3. *Et peccatum ſuum quaſi ſodomæ prædicauerunt &c.* *Iſaia 3.* Pſal. 51. *Quid gloriaris in malitia &c.* *Pſal. 51.* Pſal. 93. *Vſquequo peccatores gloriabuntur &c.* *Pſal. 93.* Ex quibus ſatis conſtat, prohiberi gloriam, & iactantiam de peccatis, ac malis commiſsis; ergò etiam infamiam ſui ipſius: & cùm prohibitio ſit in re graui, intelligitur ſub peccato mortali; ergò, infamare ſe ipſum, cùm ſit prohibitum ex ſcripturis, erit peccatum grauiſſimum.

Secundò probatur, quia hoc ipſum deducitur ex illis locis Scripturæ ſacræ, quæ adduximus

mus pro primo dicto Caietani; nam ex quo ſacræ Scripturæ nobis commendant bonum nomen, ſatis apparet, ligari nos mortali peccato, ut obſeruemus, quidquid nobis ab illis commendatur, maximè in re graui, cuiuſmodi eſt fama propria.

D. Auguſ. Tertiò, probatur ex illo loco ſupra allegato ex D. Auguſtino, De bono Viduitatis, ubi D. Auguſtinus appellat crudelem illum, qui negligit propriam famam: Verbum autē illud, crudelem, denotat grauitatem peccati, ut benè adnotauit Salonius in 2.2. quæſt. 3. art. 3. ergò.

Quartò, quia ſi homo eſſet dominus ſuæ famæ, poſſet illam proijcere abſque peccato mortali; ſed nō poteſt, ergò; probatur minor, *Gloſſa.* ex Gloſſa in cap. Si Sacerdotibus, 15. q. 6. ubi dicitur peccare mortaliter; qui ſe ipſos infamant.

Vltimò probatur, Se ipſum occidere eſt peccatum mortale, & grauius, quia eſt cōtrà charitatem, & contrà iuſtitiam, ex S. Thoma 2.2. *S. Thom.* quæſt. 64. art. 5. ergò etiam infamare ſeipſum erit peccatū mortale, & grauius, nam eſt peccatum & contrà charitatem, & contrà iuſtitiam; contrà charitatem quidem, quia hanc deberet habere ſibi ipſi, conſeruando bonum nomen; contrà iuſtitiam verò, quia peccat contrà Rempublicam, nam ex quo infamat ſe ipſum, infamat etiam Rempublicam, & infert illi damnum.

S. Thom. S. Thomas tùm 2.2. quæſt. 64. art. 5. ad tertium;

tium; tùm quæſt. 73. art. 4. ad primũ. Adrian. in 4. quæſt. de reſtitution. circà finem. Canus par. 4. relect. de ſacram. Pæniten. Sotus tùm lib. 4. de iuſt. & iur. quæſt. 2. art. 3. tùm lib. 5. quæſt. 10. art. 2. tùm lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 1. quæſt. 3. Nauar. in Manu. c. 18. nu. 26. Leonardus Leſsius lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 4. dub. 11. Salonius in 2. 2. D. Thomæ q. 3. art. 3. & alij, qui duo dicunt. Primò, quemlibet eſſe verum dominum propriæ famæ. Secundò, infamare ſe ipſum, nõ eſſe ex ſuo genere peccatum mortale.

Notan. primò, certum eſſe ex fide, ſolum Deum eſſe verum Dominum vitæ, & mortis, ut patet ex ſacris Scripturis. *Deus eſt ſolus domin[9] vitæ, & mortis.*

1. Reg. 2. *Dominus mortificat, & viuificat &c.* *1. Reg. 2.*

Deuterono. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam &c.* *Deuter.*

Sapien. 16. *Tu Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem &c.* *Sapien.*

Iob. 1. *Dominus dedit, Dominus abſtulit &c.* *Iob.*

Neq; quod affertur ex Eccleſ. 15. *Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui*, quidquam officit huic veritati, nam Spiritus ſanctus illis verbis noluit ſignificare, dominium vitæ corporalis reliquiſſe homini; id enim falſiſsimum eſt, repugnans veritati catholicæ; ſed tãtum voluit ſignificare, Deum reliquiſſe hominem in manu conſilij ſui, id eſt liberum, ità ut in ſui poteſtate ſit elicere has, vel illas, & quaſcunque voluerit operationes, liberè, ut alibi oſtenditur: & colligitur ex contextu ipſo, ut patebit *Eccleſ.*

legen-

legenti. Quare ſtat fides catholica, Deũ Opt. Max. eſſe verum Dominum vitæ, & mortis.

Tẽporale bonũ triplex. Notan. ſecundò, bonũ temporale tripliciter diuidi, aliud enim eſt, vita hæc temporalis, aliud ſunt opes, aliud deniq; eſt fama; ſed fama præſtat opibus, vita vtriſque; licèt aliquãdo pro bono cõmuni fama vitæ anteponatur, ut legitur de Iuda Machabæo pri. Machab. 7. *1. Mach. 7.* qui vitam propriam famæ, ac legum paternarũ magnitudini poſtpoſuit: quæ omnia quiſque tenetur primò ſibi velle, natura duce, ità tamẽ, ut poſt bona ſpiritualia, quæ primò ſunt diligenda, de quibus nihil hoc loco, primum locum obtineat vita propria, tùm cætera bona temporalia. Quomodo autem hæc bona tàm ſpiritualia, quàm temporalia, ac quo ordine ſint expetenda, ad alium locum pertinet id explicare.

Homo eſt procurator & cuſtos ſuæ vitæ. Notan. tertiò, hominem huius temporalis vitæ non eſſe dominum, ſed procuratorem, & cuſtodem; & hinc eſt, vt, quia homo eſt cuſtos propriæ vitæ, non poſsit ſibi mortem afferre, ſed debeat, quantũ poſsit, opportunioribus medijs vitam procurare, eamq; ſibi conſeruare. Et quoniã media huiuſmodi duplicis generis ſunt, alia enim ſunt ſimpliciter neceſſaria, alia nõ ſic; ideò, ſi media primo modo ſint, erunt omninò procuranda; ſi verò ſecundo modo, non erit ſemper eadem culpa, illa non procurare, ſed aliquando nulla erit culpa, aliquando leuis: & hinc eſt, ut fama, & opes ità aliquando ordinentur ad vitam pro-

priam

priam tuendam, ut ſine his eſſe non poſsit; aliquando verò ſolū requirantur ad benè eſſe, aliquando neutro modo, ſed omninò ſuperflua ſint. legatur Salonius ubi ſupra.

Notan. tertiò, quoniam inter bona hæc tẽporalia, fama numeratur, non erit ab re, hoc loco, illius definitionem afferre, & occaſione huius etiam honorem definire; & prætereà ẽt afferre ea, in quibus tàm fama, quàm honor conſiſtant, & quo differant: ex his enim clariora fient, quæ de præſenti quæſtione dicẽda à nobis erunt.

Eſt autem fama, (ſi deſcribenda ſit in vniuerſali) vel communis quædam locutio ex veriſimilibus coniecturis conſurgens, ex Abb. in capitulo Veſtra, de cohabit. clerico. & mul. vel eſt multorum æſtimatio de vita, & moribus alterius, ex l. cognitionum, §. ęſtimatio, ff. de var. & extraord. cognit. & hæc fama ſic ſumpta, diuiditur in bonam, & malam famã; & quoniam de mala, quæ eſt bonæ famæ contraria, nihil eſt dicendum hoc loco, & prætereà ex his, quæ dicemus de bona fama, facilè intelligi poſſunt, quæ de mala dicenda eſſent, tantùm afferemus definitionem, ſeu potius deſcriptionem bonæ famæ, cuius variæ à varijs aſsignantur definitiones, quæ tamen in idem coincidũt, communior tamen videtur deſcriptio, quæ deducitur ex l. citat. cognitionum, vt bona fama ſit de aliquo homine illæſæ dignitatis ſtatus, legibus, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus. & habetur

Quid fama.

Quid bona fama.

L etiam

Gloſſa. etiam ex Gloſ. in cap. Veſtra, ſupra cit. facilior tamen deſcriptio videtur, quam alij habent, ut fama nihil ſit aliud, quàm bona quædam æſtimatio, quæ de homine habetur. De his deſcriptionibus, & ſimilibus, (quoniã hìc longum eſſet, & fortaſsis extrà rem explicare, ſatis enim fuiſſe videtur illas attuliſſe) legendus eſt Silueſt. verb. fama; Sotus tùm de teg. ſecr. mem. 1. quæſt. 3. tùm lib. 5. de iuſt. & iur. quæſt. 9. art. 1. Nauar. in Manu. cap. 18. nu. 19. Michael Salon. in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 62. art. 2. controuerſ. 12. Leonar. Leſsius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 11. dub. 2. Conſiſtit autem bona fama, Primò in duobus potiſsimũ, in opinione ſcilicet virtutis, & ſapientiæ, quæ duo inter mortales maximè commendari ſolent: Secũdariò tamẽ poteſt etiam conſiſtere in alijs, in opinione ſcilicet ingenij, nobilitatis, fortitudinis, & ſimilium, quæ, ut magnifiunt ab hominibus, ſic etiam illorum maximè augent famam. Et hæc de fama.

Quid honor. Notan. quartò, Honorem eodẽ modo variè à varijs definiri: Alij enim dicũt, honorẽ eſſe reuerentiam, quæ alicui defertur propter aliquam excellentiam: Alij, eſſe exhibitionẽ reuerentiæ, in teſtimonium excellentiæ alicuius maximæ virtutis; quæ omnes deſcriptiones *S. Thom.* deſumptæ ſunt à D. Thoma 2. 2. quæſt. 103. art. 1. ad ſecundum; qui prætereà aliam affert meliorem honoris deſcriptionem, ut honor ſit teſtificatio quædam alicuius excellentiæ. Quoniam autem huiuſmodi teſtificatio poteſt

conſi-

conſiderari, tùm reſpectu opinionis, qua alterius excellentiam teſtamur, tùm reſpectu excellẽtiæ ipſius; ideò hæc teſtificatio immediatè quidem reſpicit opinionem, mediatè verò ipſam excellentiam, quæ præcipuè conſiſtit in ſapientia, & virtute, hæc enim præſeferunt eminentiorem quandam excellentiam, licèt ſecũdariò reperiatur etiam in alijs perfectionibus, etiã à Deo datis. legatur Leſsius ſup.

Notandum quintò, ex dictis colligi poſſe differentiam præcipuam inter illa duo, Famã ſcilicèt, & Honorem, vt fama ſit opinio virtutis, & ſapientiæ alicuius, honor verò ſit ipsũ excellentiæ teſtimonium; illa conſiſtat in interna quadam opinione, hic verò in externa quadam ſignificatione noſtræ ęſtimationis de excellentia alicuius. Alias differentias, quæ minus præcipuæ ſunt inter illa duo, quis poterit legere apud prædictos DD. Vnde Leſſius, vbi ſupra, benè concludit, honorem eſſe excellentius quid fama, cùm honor in ſe includat vtrumque, famam ſcilicèt, & opinionẽ excellentiæ, & præterea ipſius eiuſdem excellentiæ teſtificationem, ut meritò Ariſtoteles libro 4. Ethic. c. 3. dixerit, honorem eſſe maximum quid inter bona externa.

Differẽtia inter famam, & honorem.

Ariſtotel.

Notan. vltimò, ex his concludi poſſe, honorem, & famam eſſe præmium, & mercedem virtutũ moralium, quas mortales propria induſtria, ac labore ſibi acquirunt; & pręterea omnium illorum habituũ, qui proprio ſtudio comparari ſolent, quorum mortales ſunt veri

Honor, & fama ſunt p̃mia virtutum.

domini; quemadmodum & cęterorum bonorum temporalium: Vnde patet differentia inter illa bona, & vitam, nam illa acquiruntur proprio labore, non ſic vita, & conſequenter huius mortales non habent dominium, habẽt autem aliorum, quæ poſt vitam ſunt, bonorũ temporalium. Et his poſitis, ſit

Quiſq; eſt dominus ſua fama. Prima Concluſio, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, Vnuſquiſque eſt dominus proprij honoris, ac famæ.

S. Auguſt. Probatur primò auctoritate SS. Patrum, præcipuè verò S. Auguſtini lib. 2. confeſs. c. 2. vbi deplorat concupiſcentiam ſuam, quam, cùm eſſet iuuenis, patiebatur: id quod feciſſe alios SS. Patres affirmat Sotus tùm lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 1. q. 3. tùm lib. 5. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 2. ſed id nõ fuiſſet licitum, niſi homo haberet dominium ſuæ famæ, & honoris, ergò.

Probatur ſecundò, quia, ut iam patet ex dictis, homo famam, & honorem ſibi propria induſtria, ac labore comparat, acquirit, ac auget, ſicut & alia bona temporalia, ergò eſt verus dominus, ſicut & aliorum bonorũ. Sequela probatur, quia propterea dicimus hominem non eſſe dominum vitæ, quia eam non poteſt ſibi comparare; ergò quia poteſt homo ſibi famam comparare, dicẽdus erit verus dominus ſuæ famæ.

Probatur tertiò, quia niſi quiſq; eſſet verus dominus ſuæ famæ, non poſſet propriæ famæ reſtitutionem cõdonare, nam hoc præſuppo-

nit

nit dominium in eo, qui condonare debet, ſed de facto homo poteſt condonare, & condonat, ut docet Adrian. tùm in 4. quæſt. de reſtitutione famæ, tùm in quodlib. 11. ergò minor patet experientia, & ex S. Thoma 2. 2. quæſt.73. art.4. ad primum. *S.Thom.*

Ex his ſequitur, ut docet Naua. c.18. à nu. 16. non teneri illum, quomodocunq; ſe infamauerit, ad reſtituendam ſibi famam, etiam ſi falsò ſe infamauerit; & ratio deducitur ex dictis, & fuſiùs infrà, quia ille nemini facit iniuriam, non alijs, vt ſuppono, non ſibi, quia nemo volens patitur iniuriam, ergò non tenetur ad aliquã reſtitutionem: & confirmatur, quia ſi in dicto caſu alicui fama eſſet reſtituenda, maximè ſibi, ut patet; ſed non ſibi, quia, cùm quiſq; ſit dominus ſuæ famæ, ut iam diximus, poterit ille illius ſibi reſtitutionem condonare, ſicut cuicunq; alteri. Quæ tamen omnia vera ſunt, niſi inde ſequeretur aliquod inconueniens, ut explicabimus Concluſione ſequenti.

Secunda Concluſio, Ex adiunctis non licèt aliquando ſe infamare. *Aliquãdo nõlicet ſe infamare.*

In hac Concluſione, quæ expreſsè eſt. D. Thomæ 2.2. q.73. ubi ſupra, conueniunt omnes; Imò ipſe etiam Greg. Valen. ſupra 2. 2. q.73. diſput.5. q.1. punc.2.

Probatur ſimul, & explicatur Concluſio poſita, nam ſi fama alicuius omninò illi ſit neceſſaria ad ſalutẽ ipſius, tùm animi, tùm corporis, aut etiam aliorum, quorum cura ad ip-

eſt aliud, quàm prodigalitas quædam, quæ ex ſuo genere eſt tantùm peccatum veniale, ut docet S. Thom. 2.2. q. 119. ergò. *S. Thom.*

Probatur ſecũdò, Se infamare ſimpliciter, & abſolutè, neque eſt peccatum contrà charitatem, neque contrà iuſtitiam, ut dicũt Sotus, & Leſsius locis ſupra citatis; ergò nullum eſt peccatum. Sequela de ſe patet, antecedens probatur, & primò non eſſe peccatum contrà iuſtitiam, quia, ex quo homo ſit dominus propriæ famæ, ut diximus in priori concluſione, poterit eam ſuo arbitratu à ſe diſtrahere, niſi tamen ſequatur aliquod inconueniens, ut diximus in ſecũda concluſione. Accedit, quod iuſtitia eſt ad alterum, non ad ſe, ex Ariſt. 5. Ethic. ergò ſe infamando non poteſt peccare contrà iuſtitiam. Secundò probatur, nõ eſſe peccatum contrà charitatem, quod erat altera pars minoris; probatur, inquam, quia charitas ſolùm reſpicit bona ſpiritualia de ſe, vel ſi dicamus, reſpicere temporalia, hæc reſpicit ſolùm in ordine ad ſpiritualia; ergò nõ reſpicit famam, ut talis eſt, niſi tamen hæc ordinaretur ad aliquam virtutem, ut docuit Sotus de teg. & deteg. ſecr. mem. 1. quæſt. 3. poſt tertiã concluſionem.

Vnde diluitur argumentum Gregorij de Valentia vbi ſupra, quo id probat eſſe contrà charitatem, infamare ſcilicèt ſe ipſum; potiùs dicendum illi erat, eſſe præter, non contrà charitatem, quod libenter darem, ex ratione iam aſsignata.

L 4 Quarta

Infamare ſe ipsũ põt eſſe peccatum mortale.

Quarta Concluſio, ex adiunctis ſe ipſum infamare, poteſt eſſe peccatum mortale.

Probatur, & explicatur Concluſio, nam ſi quis ſe infamando glorietur de illa infamia, & illa delectetur, ſine dubio grauiter peccabit. Item ſi ſe de atrociori delicto infamaret, v. g. de hæreſi, ſtupro &c. tunc crediderim ēt illum, ſic ſe infamando, peccaturum mortaliter, ut docuit Mich. Solonius ſupra poſt ſextã concluſionem. Item ſe infamare, poterit eſſe peccatum mortale, ratione ſcandali. Item ſi ſit periculum damni in tertiam aliquam perſonam. Item ſi ſit perſona aliqua publica, cuius infamia redundaret in Rempub., in his, & ſimilibus, ſe infamare, eſt peccatum mortale. Ex his poteſt confici argumentũ. Circumſtantia mala facit actionem malam, etiã ſi de ſe non eſſet mala, imò bona, ut accidit, ſi quis ex malo fine daret eleemoſinam, iam circumſtantia illa vitiat actionem, quæ de ſe eſt bona: ergò etiam, ſi circumſtantia aliqua mala accidat actioni illi, qua quis ſe infamat, poterit illam actionem vitiare, etiam ſi de ſe non eſſet talis.

Ex his patet, quomodo ſe infamare ſit peccatum mortale, non .n. eſt huiuſmodi, ut ſic, ſed ſolùm ex adiunctis; & per accidens.

Sed veniamus ad ſolutionem argumentorum. &

Ad primum, Pro primo dicto Caietani, Reſpondeo primò cum Gregorio de Valent. vbi ſupra, & alijs, Sacras ſcripturas ità nobis

com-

commendare bonum nomen, ut non liceat illud effundere, ſine iuſta cauſa, & conſequẽter tunc ſolùm eſſe peccatum mortale, quandò ſine iuſta cauſa, quis negligit bonum nomen; explicant autem hoc modo ſcripturas ſupradicti DD. quia verè ſunt in ea ſententia, ut exiſtiment eſſe peccatum mortale, infamare ſe ipſum: nos verò, licèt ſupradictam expoſitionem ex parte amplectamur, dicimus tamẽ ſacras Scripturas non loqui de caſu noſtro, tãtùm enim dicimus iuxtà tertiam concluſionem, prodigalitatem, ut ſic, & ex genere, non eſſe peccatũ mortale, quia vnuſquiſq; eſt dominus ſuæ famæ, ut diximus in priori concluſione. Vnde Scripturæ potiùs videntur loqui iuxtà noſtram ſecundam, & quartam concluſionem; & ſic concedimus eſſe mortale.

Reſpondeo ſecũdò, & melius, ſacras Scripturas commendare quidem nobis proprium honorem, famam, ac bonum nomẽ, tanquàm optimum quid, aut potiùs commẽdare nobis vſum bonum, & exercitium illorum: Et ad illam ſequelam, ergò non ſumus domini noſtri honoris, ac famæ, Reſpondeo negando illam, poteſt tamen ſtare, ut Deus cõmendet nobis, quod noſtrum eſt, ità tamen, ut hoc ipſum relinquere, ut ſic, non ſit peccatum mortale; neque enim Deus illa nobis commendat ſub præcepto aliquo, ut ad illud teneamur ſub peccato grauiori, cùm nullam in ſe contineat rationem bonitatis intrinſecã, aut malitiam, vt videre eſt in cæteris bonis externis, quæ licèt

cèt aliquando nobis commendentur, non tamen ſub aliquo peccato mortali.

Ad ſecundum, ex D. Auguſtino de bono viduitatis, Reſpondeo, D. Auguſtinum non loqui de fama ſecundū ſe, ſed in ordine ad proximum, quatenus ex eo, quòd quis ſe infamat, emergit infamia aliqua in proximum, aut etiā damnum, quo caſu non poteſt quis ſe infamare, iuxtà ea, quæ diximus in ſecunda concluſ. Ad illud ex cap. non ſunt audiendi, & ex cap. nolo; Reſpondeo cum Soto locis ſupra citatis loqui D. Auguſtinum de illis, qui cùm in facie Eccleſiæ præſeferrent ſpeciē quandam ſanctitatis, non curabant deinde de propria fama, id, quòd non licere, iam ſupra oſtenſum eſt, id enim erat in ſcandalum multorū; præſertim verò adoleſcentum; loquebatur enim ibi D. Auguſtinus de fœminis, quorum vita ſine honore, ac fama, poterat ſollecitare adoleſcentes, eosq; in peccata inducere, ac pertrahere. legantur Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 1. quæſt. 3. & Salon. in 2. 2. D. Tho. ſupra concluſ. 4.

Ad tertium, nego eandem eſſe rationē famæ, ac vitæ: ratio autem diſparitatis iam patet ex ſuperioribus. legatur Sotus loco paulò ante citato. Vtrum autem occidere ſe ipſum ſit peccatum contrà charitatem, & contrà iuſtitiam, alibi dicemus.

Fama eſt bonū cuiq; particulare. Ad quartum, nego minorem, famam ſcilicèt eſſe bonum commune; eſt enim bonum quoddam particulare, cuius quiſq; eſt domi-

nus: Non negamus tamē, aliquando famam eſſe bonum quoddam vniuerſale, quando ſcilicèt ità egeret fama Ciuis alicuius particularis Reſpublica, vt illius infamia in Reipublicæ infamiam veniret, quod tamen eſſet per accidens; per ſe autem, ut iam diximus, fama eſt bonum particulare cuiuſq; ciuis. Et hæc pro argumentis prioris dicti Caietani.

Ad primum autem, pro ſecundo dicto, & Caietanī, & Gregorij de Valentia, Reſpōdeo illa loca Scripturæ non facere contrà nos; nā concedimus infamiā de ſe ipſo, cū complacētia peccati, eſſe peccatū, vt diximus in quarta concluſione, ſed id eſſe per accidens, id eſt ratione adiuncti.

Ad ſecundum deſumptum ex alijs locis ſacræ Scripturæ, iam ſupra reſponſum eſt, neq; illa noſtræ officere ſententiæ.

Ad tertium, ex D. Auguſtino, Reſpondeo, appellari crudelem, qui negligit propriam famam, quia reuerà tenebatur ille ſuam famam ſeruare, & propter proximum; quod non eſt contrà nos, ut patet ex dictis; nam tantùm dicimus, infamare ſe ipſum, ut ſic, non eſſe peccatum mortale.

Ad quartū Reſpondeo, & ad probationem illius minoris, ex Gloſſa ibi, Gloſſam loqui de illis, qui ſe infamando multum damnum afferebant Chriſtianæ Reipublicæ, cùm eſſent perſonæ publicæ, & illæ Eccleſiaſticæ, quæ in gratiam malorum Principum ſubſcribebant hæreſibus, & erroribus, quod veriſsimum eſt,

ſed

ſed non contrà nos, vt patet ex dictis.

Ad vltimum, nego ſequelam, & ratio eſt, quia nõ eſt eadem ratio de vno, ac de altero, nam peccat quidem mortaliter, qui occidit ſe ipſum, quia facit contrà Ius naturale, & diuinũ, & aufert à ſe, quod ſuum non eſt, ut iam diximus; nõ ſic autem de illo, qui ſe infamat, nam iſte, ut patet ex dictis, neq; peccat cõtrà iuſtitiam, neq; contrà charitatem; quare argumentum non facit contrà nos.

Sequitur primò, ex Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. memb. 1. quæſt. 3. poſt quintam concluſ. poſſe quempiam aliquod ſibi falsò imponere crimen, abſq; eo, quòd intelligatur ille dicere mendacium pernicioſum, licèt non ſine mendacio officioſo; & conſequenter, ſic dicendo, non peccaturum, niſi venialiter, niſi tamen aliquod inde ſequeretur incõmodum, ex ijs, quæ iam ſupra aſsignauimus; nam ſi aliquid tale ſequeretur, fieri poſſet peccatũ illud mortale, quidquid dicat Caietanus in 2. 2. q. 73. art. 2. & ratio eſt, quia ille neq; peccat contrà charitatem, neq. contrà iuſtitiam, ut ſup. probauimus; ergò. legatur Nauarrus in Manua. c. 18. à nu. 26.

Sequitur ſecundò, neq; peccaturum mortaliter illum, qui ſibi crimen aliquod imponeret, ut Patris vitam ſaluaret, propter eandem rationem. Illud tamen in hoc, & ſimilibus caſibus aduertendum eſt ex Nauarro, & Soto vbi ſupra, ne, quod falſum quis ſibi imponit, aſſeratur adhibito iuramento, nam tunc, ratione

iura-

iuramenti, peccatum, quod eſſet veniale, fieret mortale: & hoc modo intelligi poteſt D. Auguſtinus lib.2. de Ciuit. Dei, c. 20. dicens, *Falſi teſtimonij reum eſſe illum, qui aduerſus ſe ipsũ falſum dicit.* videtur enim loqui ibi D. Auguſtinus de falſo, quod quis loquitur, adhibito iuramento, vel de falſo, vnde ſequitur aut iniuſtitia aliqua, aut damnum in tertiam aliquã perſonam, vel aliquod ex his incõmodis, quæ ſupra adduximus. *D. Auguſ.*

Ex dictis manifeſtè patet, vnumquẽq; eſſe verum dominum propriæ famæ, ſicut & cæterorum bonorum externorum, quorum dominium habet; quod erat à nobis probandum.

Vnde ad argumentum illud, cuius gratia fuit à nobis & propoſita, & explicata hæc quęſtio, Vtrũ quiſq; ſit verus dominus ſuæ famæ; iã patet reſpõſio: dicebatur enim in argumẽto, Pænitentem teneri ad ſigillum, reſpectu ſuorum peccatorum, quia aliàs ſe infamaret. Dicimus enim propterea pænitentem poſſe dicere, & manifeſtare ſua peccata, quia eſt dominus ſuæ famæ; vnde ex hoc pęnitens nullum committit peccatum, niſi tamen ex eo redundaret malum aliquod aut in confeſſorem, aut etiam in aliquam tertiam perſonã, ut iam ſupra diximus.

Sequitur ex Roſella ſupra §. 16. Richardo in 4. diſt.21. art.5. quæſt.3. Soto lib. dę teg. & deteg. ſecr. mem.3. quęſt.4. concluſ.4. Suario ſupra ſect.4. nu.2. & alijs, Si quis pænitens reuelaret pænitentiam ſibi à Confeſſario iniun- *Caſus.*

ctam,

ctam, non facere contrà ſigillum, ſed ſolùm contrà naturale ſecretum; quod tamē verum eſt, ſi ex reuelatione huiuſmodi redundaret aliquid malæ famæ, aut aliquid minus æſtimatione dignum in confeſſorem, aut aliquem alium; nam ſi nihil tale redundaret, ſed fortè pænitens dixerit pænitentiā ſibi à Confeſſore iniunctam, quia intelligebat, ſe nimis ex illa oneratum, vnde alium conſuluerit, ut poſsit illa exonerari, tunc pænitens non teneretur aliquo ſecreto; quidquid dicant Adrianus q. vlt. de confeſſ. dub. vlt. Paludan. in 4. d. 21. q. 3. nu. 61. & Nauar. in cap. Sacerdos, de pæniten. d. 6. nu. 115
Et hæc de priori dubitatione.

SECVNDA DVBITATIO, De Interprete.

Vtrum Interpres teneatur ad ſigillum.

SVpponēdum eſt, nos hìc per interpretem intelligere illum, quo medio pænitens confitetur Sacerdoti, cuius linguam ignorat; vnde immediatè dicitur interuenire in ipſa confeſsione, ex Toleto ſupra nu. 13. & alijs.

S. Thom. S. Thomas in 4. d. 21. q. 3. ar. 1. quæſtiun. 3. à quo deſumpſerunt Tabiena ubi ſupra §. 15. & Viguerius ſupra; & non diſſentiunt Abb. in cap. Omnis &c. de pæniten. & remiſſ. & Suarius

rius ubi ſupra ſect.4. nu.4. aſſerunt; Interpretem propriè nō ligari ſigillo, ſed ſolùm aliqua ex parte, quatenus ſcilicèt participat de claui in illa actione.

Sed de hac ſententia infrà dicemus.

Illuſtriſs. Caietanus ver. confeſsio, cōdit.1. Sotus in 4. d. 18. quæſt.4. art.5. concluſ.4. Vualdus ſupra de confeſſ. nu.24. negant ſimpliciter Interpretem teneri ſigillo ſacramentali, & affirmāt ſolùm poſſe ligari ſecreto naturali.

Poteſt autem probari horum ſententia, primò, quia in ea confeſsione interpres tenet ſe ex parte pænitentis, & ſic quemadmodū non tenetur pænitens ſigillo, ſicuti definitum eſt ſuperiori dubitatione, ſic neque interpres eodem tenebitur.

Probatur ſecundò, quia illa confeſsio per interpretem facta nullo modo eſt neceſſaria, quare neq; etiam poterit obligare ad ſigillum.

Scotus in 4. d.17. quæſt.1. circà finem; Richard. in 4. d.21. art.4. q.3. Roſella ſup. §.15. Silueſt. ubi ſupra q. 1. D. Antonin. ſupra §. 2. *S. Antoninus.* Medina ſupra q.46. Nauarrus in Manu. cap.8. nu.7. & in cap. Sacerdos, de pænit. d.6. nu.42. Coſmus Philiar. ſupra c.30. Illuſtriſs. Toletus ſupra nu.13. Rodriquez item ſupra tom. ſec. c.53. & videtur fuiſſe etiam Soti lib. de teg. & deteg. ſecr. mem.3. quæſt.4. aſſerūt interpretem teneri ſigillo ad illam confeſsionem, cuius ipſe interpres fuit, celandam.

Reſpondeo, omninò mihi videri certum, Interpretem teneri ſacro ſigillo confeſsionis, ad

ad ea peccata celanda,quorum ipſe interpres fuit in ſacramento pænitentiæ.

Probatur primò,quia interpres immediatè concurrit ad illam actionem forenſem, & ſacramẽtalem; ſed hæc actio requirit ſigillum, ergò ipſe tenebitur ſigillo. Confirmatur,quia omnes illi tenentur ad ſigillum,qui concurrũt ad ſacramentũ ipſum, vel in ipſo interueniũt, ut poſteà docebimus; ſed interpres concurrit eo modo, ergò.

Probatur ſecundò, quia omnes illi tenẽtur ad hoc ſigillum, ex quorum reuelatione fieret odioſa confeſsio; ſed fieret odioſa confeſsio, ſi interpres illam reuelaret, ergò: minor de ſe patet.

Probatur tertiò ex Roſella, & Silueſtro, ubi ſupra,q̃a interpres reputatur in hoc actu confeſsionis moraliter vna perſona cum Sacerdote; ſed Sacerdos tenetur ſigillo, ergò & interpres: & patet minor, nam Sacerdos per interpretem exercet actum Iudicis in illo foro pænitentiali; ergò.

Ad primum autem ſupra poſitum, Reſpondeo primò, poſſe dici, interpretem ſe tenere ex parte vtriuſque, & pęnitẽtis, & Sacerdotis; vnde ex ea parte,qua interpres ſe tenet ex parte abſoluentis, tenebitur ſigillo.

Reſpondeo ſecundò, etiam ſi interpres teneat ſe ex parte pænitentis, id tamen ſolùm intelligendum eſſe, ut interpres gerat vicem pænitẽtis in prolatione peccatorum,quæ fieri debet Cõfeſſario, cùm pænitens careat intelligentia

gentia linguæ Confeſſarij; non tamen ut ſubſtituatur iuri, ac priuilegio pænitentis, ut, quemadmodum pænitens non tenetur aliquo ſigillo in ordine ad propria peccata; ſic neque interpres: quare interpres ligabitur ſigillo, cùm in hoc ſequatur ipſum Sacerdotem.

Reſpondeo vltimò, interpretem ſe tenere ex parte Sacerdotis abſoluentis; & ratio eſt, quia Sacerdos per interpretem ſuum actum iuriſdictionis exercet in ſacramento pænitentiæ; cognoſcit enim totam cauſam per illum, & ideò ſequitur conditionem Confeſſarij, ut ſicuti Confeſſarius tenetur ſigillo in ordine ad peccata, quæ habet ex confeſsione, ſic etiam interpres eodem ligetur.

Ad ſecundum Reſpondeo, peti in argumẽto aliam difficultatem, quæ potius ad alium locum ſpectare videtur, *Vtrum ſcilicèt ſit neceſſaria confeſsio per interpretem*. de qua legatur Palud. in 4. d. 17. q. 2. Maior ibid. q. 1. Silueſt. ver. confeſsio primò, nu. 16. & alij infrà citandi.

Sed pro argumenti ſolutione ponamus, ꝙ nobis probabilius videtur cũ Io. Petro Gluſſano viro tùm nobilitate, tùm pietate, tùm doctrina maximè prædito, in ſuo libro Italicè cõſcripto, qui eſt de confeſsione, dialog. 3. Soto in 4. d. 18. q. 4. ar. 5. Viualdo de confeſſ. nu. 24. Leſsio lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 11. dub. 11. Toleto ſupra lib. 3. c. 6. nu. 3. Roſella ver. confeſſ. primò, §. octauo; huiuſmodi confeſsionẽ per interpretem nullo iure eſſe neceſſariam,

adhuc tamē dicimus, interpretem ligari ſigillo ad ea celanda, quorum ipſe interpres fuit; nam ad hoc ſufficit ex Coſmo Philiar. ubi ſup. ut peccata, quæ ſubijciuntur clauibus, audiantur, ſicuti in præſenti caſu eſt interpres, qui verè audit, & ſcit peccata pænitentis, ut ſubijciantur Sacerdoti. Id quod optimè cōfirmat Suarius ubi ſupr. nu. 5. à ſimili de peccatis venialibus, quæ, etiamſi non ſint materia neceſſaria ad confeſsionem, ſi tamen ſubijciantur confeſsioni, cadunt ſub ſigillum, ut ſuo loco oſtendemus. Sic, eſto cōfeſsio illa per interpretem non ſit neceſſaria, attamen ſi fiat, cadit ſub ſigillum, & ſic interpres, qui in ea interuenit, debet etiam celare, quæ in ea confeſsione dicuntur à pænitente, cuius ipſe interpres eſt.

Sotus videtur vari°. Sequitur primò, In hoc negotio de interprete, mihi videri Dominicum Sotum virum & pijſsimum, & doctiſsimū, & non benè concludere, & non ſibi conſtare.

Non benè concludere, quia nō ex eo, quòd confeſsio per interpretem non ſit neceſſaria, concludendum illi erat, interpretem non fracturū ſigillnm, ſi confeſsionem, cuius ipſe interpres fuit, reuelaret, ut ipſe deducit in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 5. nam, ut diximus, eſto, quòd confeſsio per interpretem non ſit neceſſaria, attamen ſi fiat, tunc illa cadit ſub ſigillum, vt ſupra diximus de peccatis venialibus.

Non ſibi conſtare patet, nam in 4. d. 18. q. 4. artic. 5. poſt quartam concluſ. apertè docet

Sotus

Sotus, interpretem ſolùm teneri, non ſigillo, ſed ſecreto naturali, habet enim hæc verba: *Per hoc reſpondetur ad ſigillum, quo tenetur interpres confeſsionis ſeruare, iam enim diximus, illud non eſſe ſacrum, ſicut in Sacerdote, quia illa confeſſio non eſt neceſſaria &c.*

En quomodo vult Sotus interpretem non teneri ſigillo, quod ſolùm eſt ſacrum. At verò in lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. concluſ. ſecũda idem Sotus habet hæc verba; *Quod* (& loquitur de ſecreto) *dum interpres violat, quacunq; id cauſa faciat, quamuis nõ incurrat pænas canonis, committit tamen ſacrilegium, quia, cùm illud ſit verum ſacramentum, violator eſt rei ſacræ &c.*

En quomodo vult Sotus ſecretum illud etiam reſpectu interpretis eſſe ſacrum; & conſequẽter etiam velle tenetur, Interpretem ligari ſigillo, non ſecreto ſolũ naturali, cùm ſigillũ, ut patet ex dictis, ſequatur rem ſacramentalẽ, tanquàm paſsio: Vnde non videtur ſibi conſtare.

Sequitur ſecundò, ſententiam D. Thomæ non eſſe improbandam, cùm velit ex ea parte, qua interpres participat de claui, teneri etiã ſigillo, licèt probabiliorẽ diximus ſententiam Scoti aſſerentis ſimpliciter, interpretem ligari ſigillo, propter rationem iam factam.

Reijcitur Viualdus.

Sequitur tertiò, fruſtrà inſudaſſe Viualdum de confeſſ. nu. 24. vt prædictas ſententias inter ſe diſcordantes de hoc ſigillo, reſpectu interpretis, concordaret, aſſerit enim Viualdus

eos DD., qui negant interpretem teneri ſigillo, eſſe intelligendos de ſigillo ſacramentali, non naturali; alios verò, qui affirmant teneri ſigillo, eſſe intelligendos de ſigillo naturali, non ſacramentali, (reuerà ſatis voluntaria videtur concordantia) malè, inquàm, conciliari; & primò quidem, ſi ſit ſermo de ſentẽtia D. Thomæ, & ſequacium illius; certum eſt, illam eſſe adeò claram, vt in aliam non poſsit trahi, vt patet illam conſideranti: Si verò loquamur de alijs, qui ſunt in ſecunda, & tertia ſententia, hi nullo modo poſſunt conciliari; nam qui ſunt in ſecunda, explicitè aſſerunt, interpretem teneri tantùm naturali ſecreto, non ſigillo; cùm tamen, qui ſunt in tertia, cõtrarium omninò aſſerãt, teneri ſcilicèt ſigillo ſacramentali: id quod maximè patet ex diuerſis illorum fundamentis, quæ ſupra adduximus. Accedit, neq; illos, qui ſunt in ſecunda, neq; qui ſunt in tertia ſẽtẽtia, negaturos vnquàm interpretem in ordine ad confeſsionem, cuius ipſe eſt interpres, teneri ſecreto naturali, id enim omnes fatentur; ſola autem difficultas inter prædictos DD. eſt, An etiam teneatur ſigillo. Quare nullo modo ſentẽtiæ illæ videntur poſſe cõciliari, ſaltem eo modo, quo Viualdus eas conciliat.

Obijcies, interpretem, reuelando confeſſionem, cuius ipſe interpres fuit, non puniri pæna inflicta à Canone, ergò non videtur frãgere ſigillum, ſi reuelet aliquid ex cõfeſsione illa: videtur argumentum Viualdi vt ſupra

nu.

nu. 24. ut probet interpretē non teneri ſigillo.

Reſpondeo, aliud requiri ad hoc, ut quis dicatur fractor ſigilli; aliud ad hoc, ut dicatur incurriſſe pænas à Canone; nam ad primū ſufficit ſolùm, ut quis audiat, & ſciat peccata ex confeſsione ſacramentali, eaq; reuelet. Ad ſecundum verò, præter id requiritur, vt ſit Sacerdos: quare cùm hæc ex diuerſis capitibus pendeant, non eſt inferendum vnum ex alio; igitur cùm in interprete primum reperiatur, non autem ſecundum, ideò ligatur ſigillo, non autem contrahit pænas: quid autē requiratur ad hoc, ut incurrantur pænæ inflictæ à Canone, in Sect. vltima dicemus, ubi etiam explicabimus, quas pænas incurrat Sacerdos, reuelando, & quas alij, non Sacerdotes. Vnde ſequitur falli Viualdū, cùm ex quo interpres nō contrahat pænas inflictas à Canone, inferat non ligari ſigillo; nam, ut oſtendimus, non benè vnum ex alio deducitur. Et hæc de interprete dicta ſint.

TERTIA DVBITATIO.

De eo, qui aut caſu, aut ex induſtria audit confeſsionem alterius.

Vtrum ille teneatur ad ſigillum.

Viguerius ſupra, & item Tabiena ſupra nu. 15. aſſerunt, tàm illū, qui caſu, quàm qui ex induſtria accedit, teneri ad celandum

ſub peccato mortali; non tamen propriè ſigillo ſacramētali, ſed ſecreto quodam, per participationem, ſacro.

Sotus in 4. d. 18. q. 14. art. 5. ait, ſi quis caſu audiat peccata confeſſa, quia fortè pænitens reciter alta voce, teneri illa ſub mortali peccato celare, ſecreto naturali, non ſacramentali; ſi verò ex induſtria audiat, teneri tūc ad ſigillum, & grauiter puniendum eſſe, ſi illa reuelet alijs, non tamē puniendum eſſe ijs pœnis, quæ infliguntur à Canone.

S. Antoni. Scotus in 4. d. 21. q. 2. Roſella ſupra §. 15. Angelus ſupra nu. 16. D. Antoninus ſupra §. 2. Medina ſupra quæſt. 46. Nauar. tùm in Manu. cap. 8. nu. 7. tùm in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 42. 43. & 44. Toletus ſupra nu. 13. Iacob. de Graff. ſupra nu. 37. Rodriq. ſupra tomo ſecundo, c. 53. Suarius ſupra ſect. 3. nu. 7. aſſerunt, ſic audientes confeſsionem ſimpliciter teneri ſigillo ſacramentali.

Reſpondeo, ſiue caſu, ſiue ex induſtria quis audiat alterius confeſsionem ſacramētalem, teneri ſigillo ad illam celandam.

Probat Suarius vbi ſupra, hanc conclnſionē ſect. 4. num. 7. de illo, qui ex induſtria audit, quia, inquit, ſic audiens facit iniuriam & ſacramento, & pænitenti; quare, cùm nulla alia ratione poſsit ille recompenſare talem iniuriam, niſi ſigillo, tenetur illud ſeruare.

Nō placet Suarius. Sed, vt verum fatear, hæc ratio non videtur ſufficiens, nam ratio ſigilli non videtur petenda ex aliqua recompenſatione iniuriæ, ut ipſe ponit,

ponit, ſed potiùs ex ipſa natura confeſsionis, in ordine tamen ad pænitentem, ut ſupra dictum eſt; id, quod maximè videtur dicendum in ſententia ipſius Suarij, qui ſect. 5. nu. 8. ubi ſupra, ponit, ſigillum eſſe fauorem ſacramenti pænitentiæ; ergò ille ſic audiens in tãtum tenebitur ad ſigillum, in quantum audiuit confeſsionē, quæ poſtulat ſigillum ex natura ſua. Accedit, quòd hæc ratio iniuriæ, quam ponit Suarius, videtur omninò extrinſeca ad ſigillũ, nam ſi audiendo alterius confeſsionem nullã quis cõmitteret iniuriam, ut patet de eo, qui caſu audit confeſsionem alterius, adhuc ille teneretur ſigillo: ergò, quòd aliquis faciat iniuriam ſacramento, aut pænitenti, aut non faciat, eſt extrinſecum ad rationem ſigilli; ergò aliunde petenda eſt ratio ſigilli, quia ſcilicèt quis audit confeſsionem ſacramentalem; id, quod etiam ipſe Suarius ibidem nu. 8. concedit, & nos infrà melius oſtendemus. Quare, quòd iſte ſic audiens faciat iniuriam aut ſacramento, aut pænitenti, eſt quidẽ ratio, quare ille peccet, ſic audiendo, & in illo augeatur ratio peccati, quod nõ reperitur in eo, qui caſu audit alterius confeſsionem; nõ autem eſt ratio ſaltem primò, & per ſe, cur ille teneatur ſigillo.

Probatur ergò noſtra Cõcluſio, primò, tàm de eo, qui caſu, quàm qui ex induſtria audit; quia verè ſic audientes alterius confeſsionem cognoſcunt peccata ex confeſsione ſacramẽtali; quod ſufficere ad obligationem ſigilli aſ-

M 4 ſerunt

ſerunt Toletus ſupra, & Suarius ſupra ſect.4. nu.8. & nos infrà dicemus. ergò.

Illud ſolùm notandum eſt hoc loco, inter illum, qui caſu audit confeſsionem alterius, & illum, qui ex induſtria, eam eſſe differentiam, ut qui audit ex induſtria, & poſteà dicit, quæ audiuit, non ſolùm peccet contrà ſigillum, ſed etiam iniuriam faciat ſacramento, quatenus ex induſtria audit, quæ ſacramento celantur; ex D. Antonino ſupra §.2. cùm tamen ille, qui caſu audit, nullum tale contrahat peccatum; niſi quòd, ſi dicat quod ex confeſsione audiuit, frangat ſigillum ſacramentale.

S. Antoni.

Probatur ſecundò, quia res ſemper tranſit cum ſuo onere, ex cap. litteris. & cap. paſtoralis. ubi ſupra; ergò cùm confeſsio in ſe contineat ſigillum, ad quemcunq; tranſeat, ſemper tranſit cum hoc ſigillo: ergo vel ille, qui audit confeſsionem alterius, audiat caſu, vel ex induſtria, quia audit confeſsionem, quæ habet in ſe ſigillum, ſemper remanet obligatus ad ſigillum illius.

Hinc colligit Suarius ſupra nu. 8. illam vniuerſalem propoſitionem, omnem ſcilicèt notitiam comparatam ex confeſsione, ut ſic, ſiue mediatè, ſiue immediatè, manere ſub ſigillo; quia, inquit ipſe, confeſsio ſemper tranſit cum ſuo onere, ut ſcilicèt debeat eſſe ſecreta, ac ſigillata.

Probari etiam poteſt noſtra Concluſio argumento Medinæ, vbi ſupra; quia omnes illi teneantur ad celandum ex quorum reuelatione

ne fieret moleſta confeſsio; ſed ſi ſupradicti ſic auditam confeſsionem reuelarent, redderent illam moleſtam, atq; odioſam: ergò tenentur etiam illi, de quibus hic eſt quæſtio, ad ſigillum. Verùm hæc ratio valeat quantum poſsit.

Ex dictis patet, quid ſit dicendum ad ſententiam Soti; dicimus enim, tam qui caſu; quàm qui ex induſtria audit ſacramentalem alterius confeſsionem, teneri eodem ſacro ſigillo, cùm tam ille, quàm iſte audiant confeſsionem ſacramentalem; vnde propriè prouenit obligatio ſigilli; ut iam dictum eſt. Quæ autem ſit differentia inter illũ, qui caſu audit, & qui ex induſtria, alterius cõfeſsionem, iam patet ex dictis.

Et hæc de tertia dubitatione.

QVARTA DVBITATIO.

De eo, qui ſe fingit Sacerdotem.

Vtrum teneatur ad ſigillum ſacramentale.

VIguerius, Tabiena, & alij, locis ſupra citatis, cohærenter aſſerunt, huiuſmodi fictum confeſſarium, ſi quando audiat confeſſionem alicuius, teneri quidem vinculo ſigilli, nõ ſimpliciter, ſed per participationem.

S. Antonin. ubi ſupra §. ſecũdo; Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 5. Adrianus quæſt. vlt. de *S. Antoni.*

confeſſ.

confeſſ. Viuald. ſupra nu. 10. Rodriq. in Sum. tomo ſecundo, cap. 53. Suarius ubi ſup. ſect. 22 nu. 3. aſſerunt, illum ſic fictum Confeſſarium teneri ſigillo confeſsionis ad celanda, ea, quæ audiuit.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia quamuis ex defectu auctoritatis confeſsio coram ficto Confeſſario ſit nulla, quia tamen ex parte pænitentis eſt vera confeſsio, ideò etiã eſt ſacramentalis, ergò etiam debet eſſe ſigillata; ex illo fundamento Nauarri in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 42. quòd res ſemper tranſit cum ſuo onere; ergò etiam Sacerdos ille fictus tenetur ad ſigillum, ſi quando audiat confeſsionem alicuius.

Illuſtriſs. Card. Toletus, ubi ſupra, aſſerit, huiuſmodi fictum Confeſſarium non teneri, niſi ſecreto naturali, ad celanda ea, quæ ex tali confeſsione habet.

Fundamentum huius ſententiæ eſt omninò contrarium, quia ſz. confeſsio illa, facta corã ficto Sacerdote, non eſt ſacramentalis: ergò neque poteſt habere ſigillum; ergõ neq; alios obligare ad ſigillum ſacramentale.

Pro ſolutione huius dubij, de quo magnas audiui excitatas lites in Academia noſtra Bononiæ, præcipuè verò inter Admodum R. D. Mag. Iulianũ Schilinum Brixien. virum mira quadam, atque excellenti doctrina ornatum, meiq; ſatis officioſum; & Admodùm R. P. M. Hieronymũ Alleum Bononien. religione præſtantem, ſingulari eloquentia præditum, omni

ni virtutum genere exornatum, meiq; familiariſsimum: hic conſultò ſubſcribebat ſe ſentẽtiæ Toleti; alter verò non minori conatu Suarij ſententiam amplectebatur: vtrique erant ſuæ rationes, vtrique ſuæ ſolutiones, ut mirabili quodam modo pertraheretur animus nũc ad vnam, nunc ad aliam amplectendam ſententiam.

Verùm, quid tandem ſentiendum ſit, nunc ſtatuimus pro viribus aperire. Pro qua re

Notan. eſt primò, ſolutionem huius dubitationis maximè pendere ex illa alia, qua quęritur, *Vtrum confeſsio facta coram ficto Confeſſario à vero pœnitente ſit ſacramentalis.*

Ideò de hac primo loco differendum erit; ad cuius rei intelligentiam maximè facere videtur, ut examinemus, quid tandem requiratur ad hoc, ut confeſsio dicatur ſacramentalis.

Notan. ſecundò, ad confeſsionẽ ſacramentalem nõ eſſe neceſſarium, vt ſubſequatur abſolutio in pænitẽtem; nam etiam ſi confeſſor non abſoluat pænitentem ex aliqua cauſa, nõ ideò ibi deſinit eſſe confeſsio ſacramentalis, ut docuit Medina ſup. q. 46. & ratio eſt, quia licèt non ſubſequatur abſolutio, quia tamen confeſsio fit coram Sacerdote habẽte claues, ideò non deſinit eſſe confeſsio ſacramẽtalis, ut poſteà videbitur: legantur S. Thom. in 4. d. 21. q. 3. art. 1. Caietanus ver. confeſsio. ſacrament. ſub fin. Nauar. in cap. Sacerdos, de pænit. d. 6. nu. 121. 122. Iacob. de Graff. ſup. nu. 3. & Suarius ſupra nu. 7. & 8. *S. Thom.*

Notan.

Notan. tertiò, neque ad confeſsionem ſacramentalem eſſe neceſſarium, ut fiat à pænitente cum ſpe veniæ, vt ſentire viſus eſt Silueſ. ver. confeſsio tertiò, quæſt.5. vbi ait, non eſſe confeſsionem, niſi quãdo fit, & aperitur peccatum Confeſſori cum ſpe veniæ; nam, ut ait Medina quęſt. illa 47. vbi ſupra, & Suarius itẽ vbi ſupra ſect. 2. nu. 7. & 8. etiam ſi pænitens non haberet illicò ſpem veniæ impetrandæ, aut etiam remiſsionis à Sacerdote obtinẽdæ, modò haberet intentionem obſeruandi præceptum Eccleſiæ de confitendo ſemel in anno, iuxtà cap. Omnis vtriuſq; ſexus. de pænit. & remiſs. eſſet confeſsio ſacramentalis, & reticenda ſigillo.

Duo requiruntur ad confeſsionem ſacramentalem.

Notan. quartò, & vltimò, quantum ego potui colligere ex varia Theologorum, & Summiſtarum doctrina, ad confeſsionem ſacramentalem, & conſequenter ad ſigillum duo requiri, ut patet ex dictis. Primum, ut fiat confeſſio coram habente auctoritatem. Secundum, ut fiat à pænitente in vindictam ſuæ culpæ, & animo percipiendi ſacramentũ. legendi ſunt Illuſtriſs. Caietanus in 2. 2. q. 70. art. 1. Sotus in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 5. Medina ſupra q. 47. Nauar. in Manua. c. 18. nu. 15. Vnde in aliqua confeſsione licèt ex parte pænitentis ſit animus percipiendi ſacramentum Pænitẽtiæ, & alia omnia, quæ penes pænitentem requiruntur, ſi tamẽ deficiat primũ, quod maximè requiritur, auctoritas ſcilicèt ex parte audientis, non erit confeſsio ſacramentalis, & conſequen-

ſequenter neq; ſigillum propriè, & formaliter loquendo: & contrà, ſi pænitenti non ſit animus percipiendi ſacramentum, ſed potius ſit animus contrarius, illudendi ſcilicèt Confeſſarium, neque ſit illi aliqua mens pænitendi, etiamſi ſit auctoritas in audiente, neque erit confeſsio ſacramentalis. Quare ad confeſſionem ſacramentalem tantùm illa duo vidētur neceſſaria, ut ſcilicèt fiat à pænitente animo percipiendi ſacramentum, & prætereà, quod maximè requiritur, ut fiat coram habēte iuriſdictionem.

Reſpondeo ad Dubitationē, Illum, qui ità ſe finxit Confeſſarium, ſolùm teneri ad celanda ea, quæ ex huiuſmodi audita confeſsione habuit, ſecreto naturali, non ſigillo ſacramentali.

Probatur, quia ad hoc, vt ſit ſigillum, requiritur, vt ſit confeſsio ſacramentalis; ſed illa, de qua hìc diſputatur, non eſt cōfeſsio ſacramentalis, ergò. Probatur minor, illa eſt cōfeſsio ſacramentalis, in qua ſunt illa duo, quæ ſupra poſuimus; ſed in caſu noſtro deficit auctoritas in abſoluente, quam diximus maximè requiri. ergò.

Ad fundamentum & Soti, & aliorum, qui ſunt in ſecunda ſententia, iam ex dictis patet reſponſio; non ſolùm enim requiritur ad hoc, vt ſit confeſsio ſacramentalis, ut fiat intentione faciendi accuſationē coram Deo, ſed prætereà etiam requiritur id, quod maximum eſt, auctoritas ſcilicèt in audiente confeſsionem;

vt

vt infrà fuſius dicemus.

Sequitur primò, huiuſmodi fictum confeſſarium violando ſecretum peccare quidem peccato ſacrilegij, quia ſic ſe fingendo maximam facit iniuriam ſacramẽto; ſed præterea contrà ſecretum naturale, ſi, quod audiuit, deinde dicat: & ratio eſt,quia, cùm quod ſic audiuit, non ſit ex confeſsione ſacramentali, violando ſecretum, non potuit peccare, niſi peccato contrà ſecretum naturale, ut iam ex dictis patet.

Sequitur ſecundò, non eſſe eandem rationem præſentis caſus, ac illius, in quo quis furtiuè, & ex induſtria audit verám alterius confeſsionem; nam ſi loquamur de hoc ſecundò, certum eſt illum ligari ſigillo, quia audit ex confeſsione, quæ eſt ſacramentalis; at verò in præſenti caſu,quia nulla intercedit confeſſio ſacramentalis, ideò nullum eſt ſigillum.

Sequitur tertiò, quàm malè loquantur homines, (& ego audiui) dum dicunt amico, cùm aliquid illius fidei committere volunt, hoc tibi dico ſub ſigillo confeſsionis, perinde quaſi ibi ſit cõfeſsio aliqua ſacramẽtalis, cùm tamen nulla ſit, ex qua ſolum oritur ſigillum, vt habent Abb. in c. omnis &c. de pænit. & remiſſ. Caietan. verbo confeſ. Sacrament. ſub fine. Sotus in 4. d. 18. q. 4. artic. 5. poſt quintam concluſionem. Nauarr. in c. Sacerdos de pænitent. d. 6. num. 39. Toletus ſupra nu. 16. Iacob. de Graff. ſup. nu. 21. Rodriq. ſupra c. 53. Imo, qui ſic accipiunt rem ab amico, faciunt

ciunt quandam irreuerentiā ſacramento Pœnitentiæ, cùm nihil ſit ſigillo celandum, quod non ſit ex confeſsionis ſacramento, ut docent Palud. in 4. d. 21. Tabiena ſupra nu. 4. Nauar. in c. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 40. & alij, quos ſupra citauimus: attamē ſi quis hoc modo aliquid ab amico acciperet, etiam ſi id acciperet præmiſſo ſigno Crucis, & alijs, quæ ad veram confeſsionem præmitti ſolent, adhuc ille ſolo teneretur ſecreto naturali, non ſigillo, propter rationem, quam ſupra aſsignauimus; & docet Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. m. 2. q. 7. ſub fine. Vtrum autem is, qui hoc modo ſecretum accipit ab amico, ſi adducatur à Iudice in teſtem, poſsit dicere ſine aliquo peccato, pertinet ad alium locum; legatur Abb. in cap. Omnis &c. de pænit. & remiſs. Angel. verb. teſtes. §. 33. Silueſt. tùm verb. confeſsio tertiò, §. decimo tertio. tùm verb. teſtes, §. 8. tùm ver. correctio. §. nono. Medina ubi ſupra q. 50. Nauar. tùm c. 18. nu. 40. tū c. 25. nu. 46. Tabiena ver. confeſsio, nu. 4. Iacob. de Graff. lib. 1. ſupra c. 23. Sayrus lib. ubi ſupra 1. c. 9. nu. 34. Reſolutiuè tamen dicimus, illum ordinariè non poſſe aliquid loqui, neq; debere denunciare, quod habet ex ſecretis, tum quia ad ſilentium tenetur ex Iure naturæ, tùm quia non tenetur quis dicere, aut denunciare, quæ probare non poteſt, 6. q. 2. cap. placuit, 2. q. 1. cap. ſi peccauerit; & 2. q. 7. cap. plerumque; Niſi tamen ad id preciperetur auctoritate Superiorum, propter bonum publicum, & alios

bonos

bonos fines; tunc enim poſſet dicere, neque enim fides debet eſſe vinculum iniquitatis, neque acceptatio ſecreti potuit præiudicare Superiori legitimè inquirenti; Abb. ubi ſuprà, qui tandem concludit, ſi ille à Iudice iuretur in teſtem, teneri factum fateri, licèt alij non improbabiliter contrarium aſſerant: legatur Tabiena ubi ſupra. Maior difficultas eſt, ſi talis præcipiatur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut dicat; Sotus quidem lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 1. negat, & aſſerit huiuſmodi excommunicationem nō tenere; Silueſter autem ver. correctio, ubi ſupra videtur aſſerere. Sed lis pertinet ad aliū locum, & quidquid ſit de hoc, illud ex dictis colligendum videtur, quo maximè differunt ſigillum ſacramentale, & ſecretum naturale; nam illud nullo vnquàm caſu, neq; etiam comminata excommunicatione, poteſt ab aliquo infringi, (excepto ipſo pænitente, ut iam diximus) cùm tamen ſecretum naturale aliquādo infringatur, ut patet ex dictis. legantur Medina, Sotus, & Silueſt. locis citatis.

Obiectio. Neque obijcias, quod nos ſupra poſuimus, ad confeſsionem ſacramentalem non eſſe neceſſarium, ut ſubſequatur abſolutio; ergò neq; in caſu iam poſito id erit neceſſarium: quare etiamſi non ſit iuriſdictio in abſoluente, & nō ſequatur abſolutio, non deſinet tamen ibi eſſe confeſsio ſacramentalis, & conſequenter ſigillum.

Reſpondeo, non eſſe eandem vtriuſq; rationem,

tionem; aliud enim eſt loqui de abſolutione, quæ ex aliquo impedimento non ſubſequitur, loquendo de impedimentis reſpectu pænitẽtis; aliud de abſolutione, quæ nullo modo poteſt ſubſiſtere, ſi loquamur de abſolutione illo priori modo, quam Scholaſtico termino poſſumus appellare priuatiuam, etiamſi non ſequatur, non tollit confeſsionem ſacramentalem; nam ſi auferantur illa impedimenta ex parte pænitẽtis, verè abſolutio habebit ſuum effectum: (ſuppono autem in pænitente animum recipiendi Sacramẽtum.) At verò ſi cõſideretur abſolutio, ſecundo modo, quã poſſumus vocare negatiuam, nũquàm potuit ſortiri ſuum effectũ, quia nullo modo poteſt ſubſiſtere, & hæc carentia abſolutionis eſt, quæ tollit omninò omnem rationem confeſsionis ſacramentalis; nam, ut poſtea dicemus, ad eam impertiendam requiritur in abſoluente iuriſdictio, qua nõ exiſtente, nullum eſt ſacramẽtum pænitentiæ. Vnde patet, quid ſit reſpondendum ad obiecta, dicendum enim eſt, ad confeſsionem ſacramentalem ſufficere, ut abſolutio poſsit ſubſequi; quod, quia non eſt in caſu noſtro, ideò nunquàm erit confeſsio ſacramentalis, ſed neq; ſigillum.

Ex dictis colligendum videtur, quàm malè agatur cum illo pænitente, qui accedit ad putatum Confeſſarium; nam reuerà, niſi ille habeat contritionem, nullo modo poterit iuſtificari, cùm ibi nullum ſit Sacramentum, neque poſsit eſſe ſacramentalis abſolutio. Dixi, ni- *Nota.*

ſi habeat contritionem, nam ſi hanc habeat tunc poterit quidem iuſtificari ex vi cõtritionis, ad quam tanquàm ad diſpoſitionem infallibiliter de lege ordinaria ſubſequitur gratia iuſtificans, ut alibi dicemus, ex communi Schola Theologorum, non tamen ex vi abſolutionis, quæ in non habente iuriſdictionem nullam poteſt habere vim conferendi gratiã. Et hæc de quarta dubitatione.

QVINTA DVBITATIO.

De laico, qui ex neceſsitate audit confeſsionem alicuius.

Vtrum ille teneatur ſigillo ſacramentali.

QVoniam tota ſolutio huius dubitationis pendet ex alia, An ſcilicèt ſolus Sacerdos ſit legitimus miniſter ſacramenti Pænitẽtiæ. Ideò hæc à nobis primo loco examinanda erit.

In hac autem quæſtione duo poſſunt quæri; Primò, An Papa poſsit diſpenſare, ut non Sacerdos poſsit audire confeſsionem ſacramẽtalem. Secundò, An ſaltem in neceſsitate poſsit Laicus audire ſacramentaliter. De his igitur duobus ſingillatim diſputabimus hoc loco.

Quod attinet igitur ad primum. Quæritur

An Papa poſſit diſpenſare, vt non Sacerdos audiat confeſſionem ſacramentalem.

QVæ præcipuè in hac quæſtione faciunt difficultatem, ſunt duo illa capita, quæ communiter afferri ſolent in hac materia, ac præterea auctoritas Cypriani.

Primò igitur facit difficultatem cap. Qui vult. de pænit. 33. q. 3. vbi ſic habetur, *Tanta itaque vis confeſsionis eſt, vt ſi deeſt Sacerdos, confiteantur proximo.* & cap. Fures, extrà de furt. vbi Papa præcipit, vt fur interfectus in ipſo facto, careat ſepultura; & ſubdit, *Si autē Præsbytero, vel Dyacono confeſſus fuerit, communione non priuetur &c.* ex quibus patet Papam poſſe diſpenſare, vt non Sacerdos audiat confeſſionem.

Secundò facit difficultatem, quæ habet S. Cyprianus libro tertio Epiſt. decima ſeptima, vbi cōcedere videtur in articulo mortis Diaconum poſſe abſoluere non præſente Sacerdote. Pro qno S. Cyprian.

Notandum eſt primò, Poteſtatem ſpiritualem, & eccleſiaſticam ex ſacris Scripturis, & Patribus metaphoricè appellari nomine Clauis: id quod colligitur ex illo Iſaiæ 22. vbi de Eliachim loquens ait, *Et dabo ſuper humerum eius clauem.* ad quem locum videtur reſpexiſ- Iſaias.

Apocal. ſe Ioannem Apocal. 3. *Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit &c.* Hanc autē poteſtatem eſſe ſpiritualem, aſſerit ſantiſs. Pater

D. Hieron. meus Hieronymus in eundem locum Iſaiæ; & multis explicat Illuſtriſs. Belarminus lib. 3. de pæniten. cap. 3. & Maldonatus in illa verba Matt. 16. & tibi dabo claues &c. & eandē auctoritatem putat idem S. Hieronymus exprimi ibidem Iſaiæ nono; & ſequitur idem Maldon. loco citato, *Et factus eſt principatus &c.*

S. Cypria. licèt S. Cyprianus libro ſecundo ad Quirinū interpretetur de Cruce Chriſti, quæ fuit & clauis, & principatus; principatus quidē quo mundum obtinuit; clauis, qua mundum aperuit. Ratio autem huius metaphoræ de ſe patet, & explicat Nauar. in cap. voluiſſent, de pæniten. §. ex ijs, diſt. 1. nu. 3. & Ioan. Maldonat. vbi ſup.; ſicut enim, qui habet claues aut domus, aut alterius loci, aperit, & claudit; ſic qui habet hanc poteſtatem ſpiritualem quodammodò aperit, & claudit, retinendo, & abſoluēdo, quod Chriſtus promiſit Petro in perſona omnium Sacerdotum, Tibi dabo claues regni cælorū &c. licèt ibi nomine clauis, poſſit intelligi quæcunq; alia poteſtas ſpiritualis, vt alibi oſtenditur.

Notan. ſecundò, nomen poteſtatis latius patere, quàm nomen clauis; nam primò, eſt poteſtas characteris in adminiſtrandis, ſuſcipiendisq; Sacramentis: ſecundò, eſt poteſtas adminiſtrandi quidem ſacramenta, ſed cum quadam iuriſdictione, quæ propriè pertinet

ad

ad ius quoddam Parochiale: tertiò, eſt poteſtas prædicandi, quæ propriè eſt Apoſtolorũ, & Epiſcoporum: quartò, eſt poteſtas, quæ reſpicit Iuriſdictionem in vtroq; foro, tàm ſcilicèt in foro pænitentiario, quàm in foro conteꝫtioſo, in quo reſpicit auctoritatem condendi leges, & infligẽdi pænas, ex Tabiena ver. clauis, §.tertio. Item eſt Ius exigendi bona temporalia: eſt & præterea Ius ordinandi miniſtros, & diſtribuendi beneficia. Ex quibus omnibus poteſtas clauis propriè illa eſt, quæ reſpicit forum internũ ad remiſsionem peccatorum, quomodo deſcribit Clauem Gloſſa Matt.16. ibiq; D. Hieronymus, Magiſter ſent. in 4. diſt. 18. & S.Thomas ibidem; & vltimo loco C.Triden. ſeſſ.14. cap.1. & Can.13. & 15. legatur Maldonat. ubi ſupra Matt.16. *Gloſſa. D.Hieron. S.Thom. Cõc. Trid.*

Notan. tertiò, non leuẽ eſſe controuerſiam inter Theologos de hac claui, Vtrum ſit idẽ formaliter, & eſſentialiter cum charactere, An verò ſic diſtinguatur ab illo. Qua in re videtur potiùs quęſtio de nomine, An vnitatem realem appellemus illã, quam Thomiſtæ vocare ſolent formalem. legantur Capreol.primo ſenten. diſt.8.quæſt.4. Soncin.7.metaphiſ. quæſt. 36. & Iandunus 6. metaphiſ. quæſt. 10. vt alios Thomiſtas omittam: An verò illam, quam Scotiſtæ realem. legatur Trombetta ſuper formalitatibus Scoti. Sed quoniam quæſtio hæc metaphiſica eſt, ideò hìc illã miſſam facimus; nunc tamen, vt probabilius videtur dicendũ ſimul cum Scotiſtis, Nauar. ver. clauis,

uis, §. tertio. & alijs, Vnitatem illam, quæ eſt inter clauem, & characterem, appellandã eſſe realem, ità vt illa duo, clauis ſcilicèt, & character, eandem quidem habeant realitatem, ſed tamen diſtinguantur eſſentialiter, ſeu formaliter: hæc enim duo hoc loco pro eodẽ accipimus, id quod probare poſſumus, tùm quia character formaliter non eſt poteſtas, licèt ſit fundamentum, & diſpoſitio neceſſaria ad illam; tùm quia poteſt character ſeparari, & de facto ſeparatur à poteſtate clauis, non tamen contrà, vt de ſe patet, nam primò datur poteſtas conſecrãdi, tùm datur poteſtas audiendi peccata; id quod ſufficit, vt duo, licèt poſsint eſſe idem realiter, diſtinguantur tamen formaliter.

Prima igitur Concluſio. Nullo modo Pontifex poteſt diſpenſare, vt, qui non habet characterem ſacerdotalem, poſsit ſacramentaliter abſoluere; id quod de fide eſt.

Hæc Concluſio eſt contrà hæreticos, & præcipuè, vt refert Marſilius in 4. quæſt. 12. cõtrà Vualdenſes, qui indifferẽter aſſerebant, poſſe quemlibet confiteri ſua peccata, cuicunq; voluerit, etiam ſi ille eſſet laicus; de qua hæreſi, & alijs, inter alios habent Illuſtriſs. Belarmin. libro 3. de ſacram. Pæniten. Suarius ſupra diſput. 23. ſect. 1. Canus p. 5. relect. de ſac. pænit. Ioan. Maldonat. ſupra Matt. 16.

Probatur autem noſtra Concluſio ex ſacra Scriptura Ioan. 20. vbi ſic dicitur, *Quæcunque* Io. 20.
alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo;

lo; & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo &c. quæ verba cõtinere poteſtatem remittendi, & retinẽdi peccata poſt baptiſmum à fidelibus commiſſa, datam à Chriſto Apoſtolis, eorũq; legitimis ſucceſſoribus, optimè declarat Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. his verbis, *Dominus autem ſacramentum Pænitentiæ inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflauit in diſcipulos ſuos dicens, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quo tàm inſigni facto, & verbis tàm perſpicuis poteſtatẽ remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum cõſenſus ſemper intellexit. **Cõc. Trid.**

& c. 6. inuehitur Conc. Trid. contrà illos hæreticos, quos ſupra ex Marſil. retulimus, his verbis: *Circà miniſtrum autem huius ſacramenti declarat ſancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos, & Saerdotes, clauium miniſterium pernicioſè extendunt, putantes verba illa Domini, Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo, & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcuè, contrà Inſtitutionem huius Sacramẽti ità fuiſſe dicta, vt quiuis poteſtatem habeat remittendi peccata.*

& can. 3. ſic repetit, *Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris, Accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in ſacramẽto Pænitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contrà Inſtitutionem huius ſacramẽti ad auctoritatem prædicandi Euangelium, anathema ſit.* ex quibus optimè patet, probari noſtram Concluſionem, hanc ſcilicèt auctoritatem abſoluendi, & retinendi peccata in Eccleſia Dei eſſe traditã à Chriſto, ex illis verbis Ioan. 20. & eſſe traditam ſolis Apoſtolis, & ſucceſſoribus, qui ſunt Sacerdotes. id quod multis ꝓbant, inter alios, Canus, Belarmin. & alij, quos ſupra citauimus, iiſdem in locis.

Secundò, probatur Concluſio ex ipſa traditione Eccleſiæ, & cõtinuo vſu ab ipſo Apoſtolorum tempore, qui id ſemper tenuit, vt ſolis Sacerdotibus huiuſmodi adminiſtratio pænitentiæ mandaretur, vt patet ex verbis Concil. ſupra adductis, ex can. 3. legantur Canus, Belarmin. Suarius, & alij locis ſupra citatis.

Conc. Flor. Tertiò, probatur Concluſio, tùm ex Conc. Florent. in lit. Vnion. ſub Eugenio Quarto, vbi decernitur, ſacramentum Pęnitẽtiæ ſoli, & omni Sacerdoti conuenire, tùm ex Concil. *Cõc. Trid.* Triden. locis citatis, & can. 10. vbi ſic habetur: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſoluendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutio-*

nis,

nis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum, Quæcunque ligaueritis ſuper terram &c. anathema ſit.

tùm ex cap. Firmiter; de ſum. Trinit. & fide cathol. vbi ſic habetur, *Et hoc vtique Sacramẽtum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus, ſecundum claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus, Ieſus Chriſtus.*

de pænit. diſt. 1. cap. Verbum Dei, quæſt. 3. ſic dicitur, *Certum eſt, quòd Eccleſiæ vtrumq; licet, (intellige tu, ligare, ſcilicèt, & ſoluere) hæreſi vtrumq; non licet, Ius enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus &c.*

Quartò, probatur Concluſio ex Patribus. Rabanus Matt. 16. in illa verba, Et quodcunque ligaueritis ſuper terram &c. ſic habet. *Hæc autem ligandi, atque ſoluendi poteſtas, quamuis ſoli Petro data videatur à Domino, tamẽ & cæteris Apoſtolis datur, nec non etiam nũc in Epiſcopis, & Præsbyteris omni Eccleſiæ; ſed ideò Petrus ſpecialiter claues regni cælorum &c.* *Rabanus.*

Tertullianus libro de pænitentia, ità ſcribit. *Tertullian.* *Præsbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere; hæc omnia exomologeſis, vt pænitentiam commendet, de periculi timore dominum honoret, vt in peccatorem ipſa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictatione æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expugnat.* His docet Tertullianus, Sacerdotes non docendo, ſed pænitentia peccata remittere.

&c.

& c. 9. ibidem, conſuetudinem antiquam cō-fitendi peccata coram Sacerdotibus genufle-xis laudat.

Fabianus. Fabianus Papa Epiſt. 2. Decret. col. 4. inquit, *In Baratrum labi illum, qui mortaliter peccat, niſi ei Sacerdotali dignitate ſubuentum fuerit.*

S. Ambroſ. D. Ambroſ. lib. 1. de pænit. c. 2. *Sed aiunt,* inquit, *ſe Domino deferre reuerentiam, cui ſolùm remittendorum criminum poteſtatem reſeruent, Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere: Nam cùm ipſe in Euangelio ſuo dixerit Dominus Ieſus, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; quis eſt, qui magis honorat, vtrum qui mandatis obedit, an qui reſiſtit? Eccleſia in vtroque ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget, & relaxet; Hæreſis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare, quod non reſoluat, non vult reſoluere, quod ligauit.* Hæc verba Ambroſij ſunt & contrà Caluiniſtas, & contrà Nouatianos, qui negabant, Sacerdotes per ſacramentum Pænitentiæ habere poteſtatem remittēdi peccata, quia id verteret in iniuriam Chriſti, cuius proprium erat remittere peccata: contra aſſerit Ambroſius illis verbis &c. id pertinere etiam ad Sacerdotes in Eccleſia Dei.

& lib. 2. cap. 2. ibidem, dum idem S. Ambroſ. loquitur de Iure ligandi, & ſoluendi, quod habent Sacerdotes, ait, *Conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotes tranſmiſſum eſt &c.* quid clarius?

S. Ba-

S. Baſilius in reg. breuioribus in 288. cùm inquireret, an cuilibet liceret confiteri ſacramentaliter, Reſpondit his verbis: *Neceſſariò ijs peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio miniſteriorum Dei &c.* quis autem neſciat hanc diſpenſationem ſolùm eſſe traditam Sacerdotibus in Eccleſia Dei. *S. Baſilius.*

Cyprianus ſermone 5. de lapſis, ità habet: *Quanto & fide maiores, & timore meliores ſunt, qui quamuis nullo ſacrificij, aut libelli ſcelere conſtricti, quoniam tamen de hoc, vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes, dolentes, & ſimpliciter confitentur &c.* ex quibus docet Cyprianus, eos, qui corde ſolùm lapſi ſunt, apud Sacerdotes dolenter debere confiteri. *S. Cyprian.*

Et paulo infra ibidem habet hæc verba. *Dum adhuc, qui deliquit, in ſeculo eſt, dum admitti eius confeſſio poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotem apud hominem grata eſt &c. confiteantur ſinguli peccata ſua &c.*

S. Chryſoſtomus libro tertio de ſacerdotio, ait, *Corporis lepram purgare, ſeu (verius dicam) haud purgare quidem, ſed purgatos probare Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat, neque neſcis quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio, & concertatione ſacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Certè verba Chryſoſtomi ſunt clara. *S. Chryſoſ.*

S. Hieronymus [illegible]em alludens. Matt. 16. ait, *legimus in Leuitico de leproſis, vbi iubentur* *S. Hierony.*

oſten-

Digitized by Google

oſtendere ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à ſacerdote immundi fiant, non quod ſacerdotes leproſos faciant, & immundos, ſed quod habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſunt diſcernere, qui mundus, quiue immundus ſit. quomodo ergo leproſum ſacerdos immundum facit, ſic & hic alligat, vel ſoluit Epiſcopus, vel Presbyter, non eos qui inſontes ſunt, vel innoxij, ſed pro officio ſuo cum peccatorum audierit varietates ſui, qui languidus, qui ſoluendus &c. Hæc Hieronymus; vbi loquitur contrà eos, qui exiſtimabāt Sacerdotes poſſe quemlibet pro ſua voluntate ligare, aut ſoluere: Non ſic, (inquit S. Hieronymus) ſed Sacerdotes debent ſoluere, qui ſoluendi ſunt, & ligare, qui ligandi. Vnde maximè allucinantur ij, qui temerè dixerunt Sanctiſs. Virum fauere illis verbis errori Hæreticorum, aſſerentium, Sacerdotes ligare, & ſoluere peccatores nihil eſſe aliud, quàm illos oſtendere ligatos, aut abſolutos. (impia ſententia.) Sed de hoc alibi dicitur.

S. Gregor. S. Gregorius homilia 26. in Euangel. in illa verba Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. ſic habet, *Illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſunt perducti, ecce non ſolum de ſemetipſis ſecuri ſunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem relaxationis accipiunt, principatumque ſuperni Iudicij ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent.*

Et paulo poſt. *Ecce qui Dei diſtrictum Iudicium metuunt animarum Iudices ſunt, & alios damnant, vel*

vel liberant &c. loquitur autem ibi D. Gregorius de Sacerdotibus, qui ſolùm habent hanc poteſtatem ſoluendi, & ligandi.

Ven. Bed. Luc. 3. *Verum dicunt Scribæ, quia nemo dimittere peccata niſi Deus poteſt, qui per eos quoq; dimittit, quibus dimittendi tribuit poteſtatem.*

Hanc eandem Concluſionem docēt D. Auguſtinus, tùm lib. 3. de baptiſ. contra Donatiſtas, cap 17. & 18. tùm tract. 2. in Pſal. 101. in ea verba, Vt audiret gemitus compeditorum; tùm deniq; lib. 20. de Ciuitate Dei, c. 9. Hilarius in Matt. c. 18. & alij, quos ſupradicti DD. citati afferunt. *D. Auguſ.* *D. Hilar.*

Ex quibus euidenter colligitur Patres in eã ſententiam veniſſe, vt Sacerdotes, & ſoli Sacerdotes ſint miniſtri veri, ac legitimi ſacramenti Pænitentiæ in hac Eccleſia Dei.

Vltimò, probatur Concluſio ratione, præcipuè verò deducitur ex ijs, quæ dicuntur in materia de Sacramentis in genere, quia nulla eſt poteſtas in Eccleſia, quæ poſsit mutare, quæ pertinent ad eſſentiam ſacramentorum: ad eſſentiam autem ſacramenti Pænitentiæ, vt infrà dicemus, pertinet, vt miniſter habeat prius poteſtatē in corpus Chriſti verũ, quàm in miſticum; id quod ex inſtitutione Chriſti ſatis euidenter colligitur, Nam Chriſtus Dominus prius dedit poteſtatem conſecrandi, deinde remittendi peccata; & docent Medina C. de confeſſ. quæſt. 21. Tabiena ſup. nu. 4. Viguer. de pænit. verſ. 16. Canus par. 5. relect. de pænit. Suarius ſuprà diſput. 24. ſect. 1. nu. 3.

&

& alij; ergò cùm fundamẽtum poteſtatis abſoluendi ſit facultas conſecrandi, & hæc ſolis Sacerdotibus conueniat, facultas etiã abſoluendi ſacrãmentaliter ad eoſdem pertinebit, & ſolùm; ergò nullo poteſt modo Papa in hoc diſpenſare, aut aliquid facere. Quod erat à nobis probandum.

Ex his cuiq; colligere licebit, Cõcluſionem eſſe de fide.

Sed iam veniamus ad ea, quæ faciebant difficultatem. Et primò,

Ad illud ex cap. Qui vult, de pænit. Reſpõdeo, in eo capite ſermonem tantùm eſſe de contritionẽ, quam quiſq; elicere tenetur, non præſente Sacerdote, vt colligitur ex verbis eiuſdem capitis, quibus dicitur, *Fit tamen dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis*. Illud enim deſideriũ Sacerdotis includit cõtritionem de peccatis cum voto Sacramenti. Vnde nihil licet colligere ex hoc contrà noſtrã Concluſionem.

Ad aliud verò ex cap. Fures &c. Reſpõdeo, ibi neq; eſſe ſermonem de confeſsione ſacramentali, ſed de pænitentia virtute; ità ut ſenſus illius capitis ſit, ſi talis fur, de quo ibi loquitur caput, oſtenderet ſigna contritionis, poſſet à Sacerdote, ſi ſit præſens, abſolui, eiq; Euchariſtiam exhiberi; quòd ſi nullus ſit præſens Sacerdos, ſed ſolùm adſit Diaconus, tũc poſſe quidem ab hoc communicari, nam id poſſe Diaconum, abſente Sacerdote, nulli dubium eſt; tenet inter alios Roſella ver. Diaconus;

nus; & Silueſt. eod. verb. quæſt. 2. non tamen abſolui ſacramentaliter, ex ijſdem ibidem. Huius autem ratio eſt iam aſsignata; quia in Diacono deſideratur fundamentum clauium, quo deficiente, nunquã poterit eſſe abſolutio ſacramentalis.

Ad alterum, quod faciebat difficultatẽ ex Cypriano, Reſpondeo, ibi D. Cyprianum nõ loqui de abſolutione ſacramẽtali, ſed de publica quadam reconciliatione, quæ, ſi debeat eſſe vtilis, & mæritoria, ſupponit confeſsionẽ ſacramentalem, iam factam. legatur Suarius diſput. 24. vbi ſupra, ver. Septimò.

Quò ad ſecundum.

An ſaltem, ſtante neceſsitate, poſſit laicus ſacramentaliter abſoluere.

CVm iam conſtet, non poſſe non Sacerdotem abſoluere ſacramentaliter, neq; etiam ex diſpenſatione Papæ, meritò ſecundo loco quæritur, Vtrum id ſaltem poſsit laicus, & quicunq; non Sacerdos, ſtante periculo aliquo, v. g. mortis.

Magiſter ſentent. in 4. d. 17. cap. 3. aſſerit, quando inſtat præceptum confeſsionis, fideles teneri confiteri laico, abſente Sacerdote; & videntur fauere S. Thomas in 4. d. 17. q. 3. art. 3. quæſtiun. 2. ad primum; Auctor. de ver. & falſ. pæniten. apud S. Auguſtinum tomo 4. *D.Thom.*

pertingere ad ſacramentum, ergò nullo modo pōt eſſe ſacramentalis: non poſſe autē pertingere ad ſacramentum, patet, quia ibi nullo modo poteſt eſſe ſacramētum, quia, quamuis miniſter non ſit de eſſentia ſacramenti, quatenus ſacramentum dicit compoſitum ex materia, & forma, dicitur tamen in hoc ſacramento maximè de eſſentia, quia ad cōſtituendam hanc eſſentiam eſt neceſſarius talis miniſter, vt iam diximus, vbi etiam oſtendimus, talem miniſtrū debere eſſe ſacerdotē, eumq; habere claues, ex Scripturis, Patribus, & traditione Eccleſiæ. Vnde ſequitur, vt, quia in confeſsione facta laico, aut non Sacerdoti, deeſt legitimus miniſter, neq; ſit ſacramentum, neq; confeſsio ſacramentalis, quod erat à nobis probandum.

Secunda pars Concluſionis, quòd ſcilicèt non ſit neceſſaria huiuſmodi confeſsio facta laico non Sacerdoti, eſt quidem contrà eos, quos citant Angelus, & Viualdus, vbi ſupra; eſt tamen vera, & docent Angelus, & Viuald. ibidem; & Sotus tùm in 4. d. 18. q. 4. art. 14. tùm de teg. & deteg. ſecr. memb. 3. quæſt 4. poſt quartam concluſ.

Probatur autem primò, quia in primis nullum de hac cōfeſsione ſic facienda extat præceptum; ergò. Sequela de ſe patet, ſicuti etiā antecedens: nam ſi quod præceptum reperitur de confeſsione, quemadmodum ſupra diximus reperiri ex fide Ioan. 20. illud eſt de confeſsione facienda Sacerdotibus, quibus

O Chri-

Chriſtus ſolùm dedit poteſtatem ligandi, & ſoluendi, non alijs, vt iam dictum eſt; ergò de nulla alia confeſsione, niſi de hac Io. 20. extat præceptum; ergò nulla alia, niſi quæ fit Sacerdotibus, eſt neceſſaria confeſsio.

Io. 20.

Secundò probatur, quia præceptum confeſſionis dupplici ex capite obligat, vel ratione iuſtificationis neceſſariæ, vel ratione auctoritatis, qua Sacerdotes conſtituti ſunt Iudices: hìc autem non poteſt eſſe prima neceſsitas, quia ex communi ſententia, niſi quis ſit contritus, non iuſtificabitur per confeſsionem factam laico; nec ſecũda, quia laici nullam habent auctoritatẽ, Chriſtus enim, vt iam oſtendimus, ad ſolos dixit Sacerdotes, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.

Confirmatur, quia Eccleſia in illa ſua decr. Omnis vtriuſq; &c. ſolùm loquitur de Sacerdotibus: ergò.

Tertia pars Concluſionis, quòd ſcilicet neque ſit talis confeſsio congrua; eſt Angeli ver. confeſsio tertiò. §. primo.

Probatur, & explicatur, quia, quamquã hæc confeſsio poſſet eſſe in aliquo caſu licita, vel ex occaſione verecundiæ in pænitente, vt docuit Angel. vbi ſupra, vel ex alijs capitibus, vt dicam, tamen, quia confeſsio per modum confeſsionis refertur ad remedium animæ, quod, quia hìc ſperari non poteſt, ideò diximus nec videri congruam. Dixi, non videri congruam per modum confeſsionis, nam per modum conſilij, certum eſt, non ſolùm licere,

Confeſsio facta laico per modũ conſilij põt eſſe cõgrua

ſed

ſed etiam multum conferre,vt habet Angelus vbi ſupra; Iacob. de Graff. lib. 1. caſ. cõſcien. cap.26. n.23. Suarius ubi ſupra q.85. diſput.6. ſect.2. nu.2. & colligitur ex cap. quem pænitet diſt. prima.

Neque dicas cum Scoto in 4. d.14. quæſt.4. hanc confeſsionem factam laico, nullo modo licere, neq; etiam per modum conſilij; ex eo, quia nunquàm licet ſeipſum infamare. *Obiectio.*

Reſpondetur enim, id omninò falſum eſſe, nam ſi huiuſmodi confeſsio fiat ob finem aliquem honeſtum, & non ſine alicuius vtilitatis ſpe, vt habent Angelus, Iacob. de Graff. vbi ſupra; & Illuſtriſs. Tolletus lib.3. ſup. cap.13. nu.2. nunquàm cenſetur poſſe inde infamiam oriri, ut tradit Medina quæſt. illa 28. ubi ſupr. tùm quia id innui videtur, de pęnit. diſt.6. cap. ſupra alleg. Qui vult &c. vbi ſic habetur; *Fit tamen dignus venia, ex deſiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis.* tùm quia, vt iam diximus, quilibet eſt dominus ſuæ famæ, citrà tamen ſcandalum; tùm denique quia, ſi peccatum eſt iam emendatum, nulla poteſt eſſe infamia.

Notan. tamen eſt, ſi ex huiuſmodi confeſſione facta laico, periculum aliquod eſſet, ne peccata confeſſa reuelarētur, tunc tutius eſſe, vt aduertit Nauar. c.1. de pænit. diſt.6. nu.72. & melius pænitenti, actum contritionis elicere, ac Deo confiteri; id quod fortè voluit Scotus loco iam citato.

Neque adducas D. Chryſoſtomum homi.2. *Obiectio. S. Chryſo.*

in Pſalm. vbi ait, *Non dico, vt confitearis ſeruo tuo, qui exprobret*.

Nam dico, ibi D. Chryſoſtomum loqui de confeſsione publica, vt docet Illuſtriſs. Belarminus lib. de pænit. tertio, cap. 15. Vnde nihil contrà nos.

Ad primum autem, quod obijciebatur ex Iacobo, Reſpondeo primò, Iacobum ibi non loqui de confeſsione ſacramentali, ſed de cõfeſsione, qua quis alteri extrà ſacramentum reconciliatur; vel (ut aſſerit Medina ubi ſup.) Apoſtolus loquitur de cõfeſsione humiliante, non ſacramentali.

Reſpondeo ſecũdò cũ Suario ſupra diſput. 24. ſect. 2. quòd licèt intelligerentur illa verba Iacobi de confeſsione ſacramentali, nihil tamen ſequeretur cõtrà id, quod iam poſuimus, ſenſus .n. Iacobi eſſet, non ſolũ Deo, ſed etiã hominibus debere pænitẽtes cõfiteri peccata ſua; hominibus ſcilicèt, qui audiendi confeſſionẽ habent facultatem; id quod Iacobus ibi tanquàm aliquid neceſſarium, & omnibus notum ſupponebat.

Ad ſecundum Reſpondeo, vtrumq; in ſuo genere eſſe neceſſarium, ut enim docet Illuſtriſs. Belarminus lib. 1. de pænit. cap. 16. Vis ſacramentalis Pænitentiæ præcipuè quidem reſidet in clauibus, quarum vi Sacerdos abſoluit, adhuc tamen reſidet in actibus etiam pęnitentis, in quibus ità eſt hæc vis, ut illam habeant, prout ſaltem implicitè referuntur ad abſolutionem ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. di

Cõc. Trid.

id quod præcipuè verum eſt in ſententia eorũ, qui totam hanc vim ponunt in ſola abſolutione, ut inter alios docent Ferrarien. lib. 4. contrà Gen. cap. 32. Vegha in C. Triden. lib. 13. cap. 15. & Belarmin. lib. 2. de ſacram. in genere, cap. 11. Quare ad argumentum in forma, nego antecedens, etiam in ſententia D. Thomæ 3. p. q. 86. ar. 6. ubi reuocat, quod iam ſenſerat in 4. d. 18. quæſt. 1. art. 3. ſacramentũ enim Pænitẽtiæ magis ſupponere videtur pro forma, quàm pro actibus pænitentis, ut alibi dicemus ex ſententia Scoti, Gabriel. Okan. quidquid dicat Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 14. quæſtiun. 1. art. 1. *S. Thom.*

Ex dictis patet, falſum eſſe Magiſt. ſentent. ſupra citatum, nam vel inſtet præceptum de confeſsione facienda, vel non inſtet, nunquã illa confeſsio, ſi fiat laico, erit ſacramentalis, conſequenter nec neceſſaria, propter rationẽ, quam ſupra adduximus, ex defectu miniſtri, qui non eſt Sacerdos. *Mag. ſent. reijcitur.*

Sequitur primò, Sacerdotem, & ſolùm Sacerdotem, eſſe verum, & legitimum miniſtrũ huius ſacramenti Pænitentiæ, neq; vllo modo laicum poſſe eadem ratione tale ſacramẽtum miniſtrare, id quod de fide eſt, ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 10. & habetur ex cap. Verbum Dei, de pæniten. diſt. 1. quorum verba ſupra adduximus. *Cõc. Trid.*

Sequitur ſecundò, teneri illum pænitẽtem, qui laico ſit confeſſus, iterũ ſubijcere ſua peccata clauibus, ſi periculum mortis euadat, &

data occaſione, ut docent D. Antonin. ſupra cap. 1. & Iacob. de Graff. ubi ſupra; & ratio eſt, quia cùm confeſsio illa non ſit ſacramentalis, non tollit obligationem, qua tenetur pęnitens ſubijcere ſua peccata clauibus ſuo tempore, iuxtà cap. Omnis vtriuſq; ſexus &c. de pæniten. & remiſſ.

De diuerſa ratione ſacramẽti pęnitẽtiæ, & aliorũ ſacramentorũ, quò ad miniſtrũ.

Sequitur ultimò, nõ eandem eſſe rationem, quò ad miniſtrum, in hoc ſacramento Pænitẽtiæ, quæ eſt in ſacramento Confirmationis, ac Baptiſmi: ratio autem diuerſæ rationis eſt, & de Confirmatione quidem, quia in hoc ſacramento miniſter ordinarius eſt Epiſcopus, ut oſtenditur in materia de cõfirmatione, & habetur ex Conc. Floren. ſub Eugenio Quarto; & Trid. ſeſſ. 7. de confir. can. 3. & cõmuniter tùm Theologi in 4. d. 3. tùm Canoniſtæ in cap. Quanto de conſuet. & ex Gloſſa in cap. Quoniam, de ſenten. excom. in 6. tùm Summiſtæ, ver. Confirmatio. Et quoniam Epiſcopus, quẽ diximus ordinarium miniſtrum ſacramenti Confirmationis, deſiderari poteſt in aliquo loco, ideò ſuppleri debuit per alium Sacerdotem ab Epiſcopo, ità tamen cõmittente Papa, ex cap. Peruenit, 95. d. & docent D. Tho. 3. p. q. 72. art. 11. ad primũ. D. Antonin. 3. p. tit. 14. §. 6. Nauar. in man. c. 22. nu. 8. vbi benè ponderauit verba Conc. Trid. aſſerentis, dum de miniſtro confirmationis loquitur, ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum; ordinarium, inquit Nauarrus, quia non negat Concilium poſſe delegari alium, qui non ſit Epiſcopus;

Miniſter Confirmationis.

Gloſſa.

S. Thom.

S. Antoni.

&

& Couarru. lib. 1. variar. reſolut. cap. 10. nu. 7. non ſic autem in ſacramento Pænitẽtiæ, cuius miniſter ne in aliquo quidem loco deſiderari ſolet, & ideò nõ fuit in cauſa, vt alius à Sacerdote ſubſtitui poſſet; quamquàm potiſsima huius differentiæ ratio potiùs videatur petenda ex Inſtitutione Chriſti, ut innuit Suarius ubi ſup. nu. 9. quia ſcilicèt Chriſtus Dominus ſic inſtituit ſacramentum Pænitentiæ, ut ſolus Sacerdos eſſet miniſter illius; & hæc quò ad differentiam inter ſacramentũ Pænitentiæ, & ſacramentũ Cõfirmationis. De baptiſmo verò, id eſt, quò ad differentiam inter miniſtrũ Pænitentiæ, & miniſtrum Baptiſmi, non magna eſt difficultas; quia enim Baptiſmus eſt ſacramentum maioris cuiuſdam neceſsitatis, ideò oportuit, ut à multis conferri poſſet, etiã ſi non eſſent Sacerdotes; quod quia non eſt in ſacramento pænitentiæ, quod per contritionem ſuppleri poteſt, pręcipuè verò non exiſtentę Sacerdote, ideò nõ opus fuit, ut ab alio, quàm à Sacerdote ſuppleri poſſet, ut docuit Viguerius ubi ſupra verſic. 16. Quare non licèt arguere ab vno ſacramento ad aliud, in ratione miniſtri.

Miniſter Baptiſmi.

Explicatis igitur his duobus punctis, iam veniendum eſt ad principalem dubitationẽ, ſcilicèt.

An laicus teneatur ſigillo, ſi quando ex neceßitate audiat alicuius confeßionẽ:

Viguerius ſupra; Sotus tùm in 4. d. 18. q.4. art.5. poſt 5. concluſ. tùm lib. de teg.& deteg. ſecr. mem.3. quæſt.4. Tabiena ſupra num.15. dicunt, laicum ſic audientem teneri non ſimpliciter ſigillo confeſsionis, ſed quaſi ſigillo per participationem, ad ea celanda, quæ ſic audiuit; quem modum loquendi crediderim deſumptum ex D. Thoma in 4. d.21. q.3. ar.1. quæſtiunc. tertia.

S. Antoni. Panormitanus, & Hoſtien. in cap. Omnis, de pænit. & remiſſ. Silueſt. ver. confeſſ. tertio quæſt.5. S.Antonin. ſupra §. ſecundo. Armilla ſupra nu. 6. Nauar. tùm in man. cap.8. num.7. tùm in cap.Sacerdos, de pęnit. diſt.6. nu.123. Viualdus ſupra nu. 10. Iacob. de Graff. ſupra nu.21. & 36. & Roſella ſupra §.decimoquarto cum alijs, dicunt laicum,ſic audientem, teneri ſigillo confeſsionis.

Poteſt autem probari primò, quia laicus in neceſsitate aſſumitur loco Sacerdotis; ſed Sacerdos tenetur ſigillo, ergò & laicus.

Secundò, quia laicus,ſic audiens, audit cõfeſsionem, quæ eſt ſacramentalis, ergò obligatur ſigillo, quod ſequitur confeſsionem ſacramentalem. probatur antecedens, quia ex parte pęnitentis ſunt omnia requiſita ad confeſsionem ſacramentalem. ergò

Illuſtriſs. Toletus ſupra nu.13. aſſerit, nullo modo laicum, qui ſic audit confeſsionem, teneri ſigillo confeſsionis, ſed ſolùm ſecreto naturali.

Reſpondeo ad dubitationem, laicum ſic

au-

Digitized by Google

audientem, etiam ex neceſsitate, confeſsionem alterius, non teneri ſigillo ſacramentali, ſed ſolùm ſecreto naturali.

Probatur concluſio ex dictis, nam cùm ibi non poſsit eſſe confeſsio ſacramentalis, cùm in miniſtro non ſit poteſtas clauium, quam diximus maximè requiri in hoc ſacramento, fit neceſſariò, ut neq; ſit ſigillũ, quod ſolùm fluere ex confeſsione ſacramentali ſupra probauimus. Vnde meritò colligere poſſumus, ut, quia laicus, ſic audiens, non poteſt coarctari ad tacendũ vi ſigilli, neceſſarium ſit, vt coarctetur vi ſecreti naturalis, quo quiſque ligatur, ad ea celanda, quæ ab alio ſub ſecreto accepit, iuxtà ea; quæ ſupra diximus.

Sequitur primò, laicum, etiam ſi nõ teneatur ſigillo ſacramentali, teneri tamẽ maximo ſecreto naturali; (loquimur autẽ in caſu, quo, laicus aſſumitur loco Sacerdotis) neque pro aliqua cauſa debere illud infringere, etiam adhibito iuramento; &, vt benè ait Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. poſt 4. concluſionem, potiùs tenetur mortem ſubire, quàm ſecretum illud naturale aliquo modo violare.

Sequitur ſecundò, huiuſmodi laicum aſſumptum à pænitẽte loco Sacerdotis, etiam ſi audiat delictum aliquod ex confeſsione illius, non poſſe tamẽ à Iudice compelli ad illud iudicialiter manifeſtandum, neque in eo Iudicẽ poſſe fundare inquiſitionem aliquam; & ratio eſt, quia delictum illud, ſic auditum, non pertinet *Nota.*

tinet ad forum externum alicuius Iudicis, vnde non poteſt de illo aliquo modo inquiſitio fieri à Iudice etiam Eccleſiaſtico.

Reijcitur Armilla. Sequitur tertiò, non ſatis cohærenter locutum eſſe Armillam ubi ſupra, aſſerendo, ſi laicus audiat aliquem in articulo mortis, licèt non intercedat ibi confeſsio ſacramentalis, attamen eadem ratione teneri illum ad celãda ea, quæ audiuit ex confeſsione, ſicut teneretur, ſi eſſet Confeſſor; nam, cùm iam concedat Armilla, ibi non intercedere confeſsionem ſacramentalem, quod verum eſſe, iam conſtat ex dictis, non erat in cauſa, ut deinde concederet, laicum illum ſic audientem ligarĩ ſigillo, quo ligaretur, ſi eſſet Sacerdos: nam certum eſt, Sacerdotem ligari ſigillo, non tamen laicum, id quod etiam ipſe tenetur concedere, cùm iam poſuerit tanquàm fundamẽtum, ibi ſolùm eſſe ſigillum, ubi eſt confeſsio ſacramentalis, igitur concedat etiam neceſſe eſt, neq; ibi eſſe ſigillum, cùm nulla ſit confeſſio ſacramentalis; quare in hoc non videtur conſequenter loqui Armilla.

Sequitur vltimò, ſententiá priorem D.Thomæ eſſe ſatis probabilem, nam reuerà hoc ſecretum, quo ligatur laicus ſic audiens, videtur maximè participare naturam ſigilli, ut patet ex dictis, cũ nulla ratione videatur tolli poſſe, ac ſi eſſet ſigillum ſacramentale.

Ad primum autem, pro ſecunda ſententia, Reſpondeo, etiamſi laicus aſſumatur loco Sacerdotis, non tamen eſſe Sacerdotem, & propterea

ptereà non poſſe ligari ſigillo, ut conſtat ex dictis.

Ad ſecundum Reſpondeo, negando antecedens; & ad probationem Reſpondeo, licèt ſint omnia requiſita ex parte pænitentis in ea confeſsione, quæ fit laico, quia tamen nō ſunt quæ requiruntur ex parte abſoluentis, & conſequenter ad confeſsionem ſacramentalem, deſideratur enim poteſtas clauium; ideò ibi neque eſt confeſsio ſacramentalis, & neq; ſigillum.

Et hæc de hac quinta dubitatione.

SEXTA DVBITATIO.

De eo, cui à Confeſſario reuelata eſt confeſsio.

Vtrum ille teneatur celare ſigillo.

DIfficultas eſt de eo, qui ex audita ſacramentali confeſsione aliquid reuelat, ſiue iuſtè, v. g. conſilij cauſa, & habita facultate à pænitente; ſiue iniuſtè, nullo ſcilicèt titulo, nulla habita facultate, ſed ſolùm vel malo animo, vel etiam non aduertente.

Vt autem dubitationem hanc facilius expediamus, illam in duo capita diuidemus; & in priori quidem diſputabimus, Quid de eo, cui reuelata eſt confeſsio, conſilij petendi gratia, tùm de eo, cui quoquomodò, vel etiam iniuſtè

iuſte, reuelata eſt, quo ſecreto teneantur, an ſacramentali, an naturali, ad ea reticenda, quæ ſic habuerunt à Confeſſario.

Quò ad primum igitur,

An is, cui ex conſilio petendo confeßio à Confeſſario dicitur, teneatur ad tacendum ſigillo, an ſecreto.

SVnt qui dicunt, illum, cui conſilij gratia, detectum eſt peccatum à Confeſſario, teneri quidem ad celandum, ita ut, ſi reuelet, peccet mortaliter, non tamen explicant, quo vinculo ſecreti teneantur, an ſigilli ſacramentalis, an ſecreti naturalis; ità videntur loqui Tabiena ubi ſupra §. quarto. & Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. poſt quartam concluſionem.

Alij dicunt illum ſic audientem teneri ſigillo confeſsionis ad ſilentium; ità Roſella ſupr. nu. 14. Angelus ſupra §. 6. Silueſt. ubi ſup. q. 1. Nauar. tùm in manu. cap. 8. nu. 7. tùm in cap. Sacerdos, de pęnit. diſt. 6. nu. 43. Sacerdotale p. p. de confeſſ. Iacob. de Graff. ſupra num. 3. Rodriq. tomo ſecundo ubi ſupra cap. 53. Suarius ſupra ſect. 3. nu. 6. & alij.

Poteſt autem probari hæc ſentētia, ex Suario, quando Confeſſarius petit conſilium ab aliquo de peccato, tunc ex conſiliario, & cōfeſſario, fit moraliter vnus quodam modò miniſter illius confeſsionis; ergò, ſicut Con-

feſſarius tenetur ſigillo, ità etiam eodem tenebitur Conſiliarius.

Secundò poteſt probari ex Nauarro, quia obligatio ſeruandi ſigillum primariò non cadit in aliquam perſonam, ſed in cõfeſsionem ipſam; ſicut Ius rei pignoratæ cadit in rem ipſam, ut alibi diximus, vnde ad quemcunq; deueniat res illa, ſemper dicitur deuenire cũ ſuo onere, ex cap. ex litt. de pignor. cap. paſtoralis, de decimis. Sic in hoc ſigillo, quod, quia ſequitur confeſsionem, ad quemcunq; deueniat, ſemper deuenit cum obligatione, & onere ſigilli.

Neq; dicas, ex quo detur facultas Confeſſario, cauſa conſilij petendi, aperiendi peccatum, illi auferri obligationem ſigilli; (ſupponimus autem hic dari huiuſmodi facultatem Confeſſario, ut deinde reſpondeamus motiuo Suarij.)

Nam reſpondet Suarius ubi ſupra, facultatem dicendi datam Confeſſario à pænitente, non eſſe, ut res eximatur à ſuo onere, & obligatione, quam in ſe habet, & conſequenter neq; à ſigillo, ſed ſolùm, ut illa eadem notitia peccati extendatur ad tertiam perſonam, quæ conſulenda ſit; vnde quia res, quæ extenditur habet annexum ſigillũ, propterea tranſit etiã cum ſigillo, quo remanet ligatus Conſiliarius, ad quem tranſit res; & ſic exiſtimat Suarius, ubi ſupra, ſe ſufficienter probaſſe Conſiliariũ ligari ſigillo ſacramentali.

Alij tertiò aſſerũt, Conſiliarium teneri quidem

dem ad celandum, ſed ſecreto naturali, non ſacramentali; ità Medina ſupra q.46.

Reſpondeo primò ad dubitationem, illum, cui conſilij cauſa à Confeſſore reuelata eſt cõfeſsio, teneri ad ſecretum, ut, ſi illud frangat, peccet mortaliter.

Hanc concluſionem concedunt omnes, & nos ſectione vltima probabimus. Satis tamẽ ſit, nunc dicere, Conſiliarium peccaturũ mortaliter, ſi reuelet ea, quæ ſibi dicta ſint ex occaſione conſilij, quia facit contrà fidelitatem, quam ipſe ex lege naturæ tenetur ſeruare Confeſſario, maximè in re graui.

Reſpondeo ſecundò, Conſiliarium in dicto caſu non teneri ſigillo, ſed ſolùm ſecreto naturali.

Cõſiliari⁹ ſolũ tenetur ſecreto naturali.

Probatur, & explicatur, quia quamuis illa cognitio, quam Conſiliarius habet de peccato, dependeat à cõfeſsione, & ad illam dicat ordinem, vt aſſerit Suarius, per ſe tamẽ, & immediatè non eſt ex confeſsione ſacramentali; ſed omninò ab extrinſeco, & extrà illam: id quod maximè dicendum eſt, quando (ut ponit Suarius) adeſſet licentia pænitentis, tunc enim (quidquid ipſe dicat) omninò tolleretur obligatio ſigilli in Conſiliario, ut etiã paulò poſt fuſiùs oſtendemus; ſi tamẽ nulla ſit talis licentia, adhuc vera eſt noſtra Concluſio, propter ratione iam factã: Vnde poteſt conſici hoc argumentum, quia ibi tãtùm eſt ratio ſigilli ſacramentalis, ubi interuenit confeſsio ſacramentalis, ut iam ſupra oſtẽſum eſt; ſed

in

in caſu noſtro Conſiliarij, non interuenit aliqua confeſsio ſacramentalis, quin potiùs res extrahitur extrà illam, ut innuimus: ergò non poterit Conſiliarius ſigillo ligari ad illa, quæ habuit ex conſilio dando.

Secundò probatur, quia peto ego, vel Confeſſor petendo conſilium de peccato habito ex confeſsione, detegit illud ſimul cum pænitente, vel non; ſi primum (ſuppono autẽ hìc nullam ad id eſſe factã licentiam à pænitẽte) tunc ſine dubio Cõfeſſarius infringit quidem ſigillum, ſed Conſiliarius tenetur ſolùm ad id celandum ſecreto naturali, non minus, quàm ſi idem Confeſſarius alteri illud idem dixiſſet vel malo animo, vel non aduertens, nam tunc ille non tenetur, niſi ſecreto naturali; & ratio eſt, quia Conſiliarius non ſcit illa ex cõfeſsione ſacramentali, per ſe, & immediatè, quod tamen requiri ad ſigillum, patet ex dictis: Si verò ſecundum dicatur, id eſt, ſi Confeſſarius petendo conſilium, nõ detegat perſonam aliquam, ſed purum peccatum, quod fieri debere infrà oſtendemus: Iam Conſiliarius neq; ligatur ſigillo, quia peccata, ut ſic, poſſunt dici, neq; cadunt ſub ſigillum, niſi quatenus ex illis dignoſci poſsit, qui peccauit, ut ſuo loco dicemus, & id quidẽ non reſpectu cuiuſcunq;, & quomodocunq;, ſed illius tãtùm, qui audit ex confeſsione ſacramentali immediatè.

Ad primum autem, pro ſecunda ſententia, Reſpondeo; Conſiliarium poſſe quidẽ appellari aliquo modo miniſtrum confeſsionis, non

tamen

tamen intrinſecum, & eſſentialem, ſed extrinſecum, & per accidens; vnde non ligatur ſigillo, quod ſolum ligat perſonas, quæ per ſe, aut interueniunt in ipſa confeſsione, aut illam audiunt, vt ſic. & nos diximus ſupra.

Ad ſecundum reſpondeo, ſigillum cadere quidem in rem ipſam, ſed non per ſe, ſed in ordine ad perſonam, aut confeſſarij, aut etiã illius, qui immediatè aliquid ex confeſsione audit, ut iam diximus. At verò in caſu noſtro, cùm Confeſſarius non reuelet aliquid, quatenus ex confeſsione, ſed perinde, ac ſi eſſet extrà confeſsionem, & conſiliarius illud idem recipiat, non tanquàm quid ex confeſsione, ſed extrà illam, ideò res non tranſit cum ſuo onere, ſed mutat ſtatum, & qualitatẽ; id quod non accidit in re pignorata, quæ, quoniam ſemper retinet eũdem ſtatum, propterea etiã remanet cum eodem onere: vnde cõſiliarius non poterit ligari ſigillo, quia res, quæ ad illũ deuenit, non eſt amplius cum ſigillo.

Ad replicam ex Suario Reſpondeo, ut iam diximus illam notitiam, quam cõſiliarius habet de aliquo peccato à Confeſſario ex licẽtia pænitentis, (ſupponimus enim licentiam iam datam à pænitente ipſi Confeſſario, ut perſiſtamus in caſu, de quo Suarius,) extrahi extrà limites ſigilli ſacramẽtalis; vnde ſicut res ipſa non eſt amplius ſub ſigillo, ità neque notitia eiuſdem rei, quæ tranſit ad illum, cui fit reuelatio, erit amplius ſub ſacramentali ſigillo.

malè Suarius. Vnde ſequitur, malè Suarium (ni fallor) aſſerere

rere licentiam pænitentis nõ tollere hanc obligationem ſigilli, ſed ſolùm iniuriam ex parte Sacerdotis, quia certum videtur, ſi huiuſmodi licentia pęnitẽtis tollat hanc iniuriam ex parte Sacerdotis, ut ſcilicèt poſsit loqui, abſque eo, quòd aut ſacramentum, aut pænitentẽ offendat, tollere etiam cuicunq; alteri, qui audit, & ſcit ex dicto eiuſdem Sacerdotis, ut nihil faciat contrà ſigillum; ſi ipſe deinde cum alijs loquatur de eo, quod cõſilij cauſa habuit à Confeſſario.

Neque arguas de illo, qui ex animo humili confitetur ſua peccata ſacramentaliter quidẽ, ſed publicè coram pluribus. *Obiectio.*

Concedimus .n. eos omnes, qui ſic audiunt confeſsionem publicã, arceri ſigillo; & ratio eſt, quia illè ſic confitens nõ intendit eximere (vt ſupponimus) illos, qui ſic audiũt, à ſigillo; & prætereà, quià illi primò, & immediatè audiunt cõfeſsionem illam publicam, ſed ſacramentalem, vnde ligari debent ſigillo, contrà Viualdum ſupra nu. 38. ubi contrarium, tamquàm quid ſingularẽ, ſed ſine fundamento, affirmat. At verò in caſu noſtro, ex quo pænitens dat facultatem, ut ſupra, etiam intelligitur illum, cui Sacerdos reuelat, liberari ab huiuſmodi obligatione ſigilli. quare in illis non eſt eadem ratio. *malè Vi-ualdus.*

Neque ſecundò arguas, eandem videri rationem Conſiliarij, ac illius, de quo ſupra, qui ſcilicèt aut caſu, aut ex induſtria audit alterius confeſsionem. *Obiectio.*

P Nam

Nam damus quidem illum, qui hoc ſecũdo modo audit, teneri ſigillo, quia verè audit aliquid, quod primò, & per ſe eſt ex ſacramentali confeſsione: non ſic autem Conſiliarius, quia, ut iam oſtendimus, non audit aliquid, quod primò, & per ſe ſit ex ſacramentali confeſsione.

Sequitur primò, Confeſſarium, ſi illi pænitens dederit facultatem, ut petat conſilium de peccato confeſſo, ipſe verè adeat aliquem, & ex licentia habita reuelet peccatum ſimul, & perſonam, non teneri niſi ſolo ſecreto naturali ad peccatum reticẽdum; rationem iam innuimus ſupra, quia facultas pænitentis non ſolùm eſt, (vt ait Suarius ubi ſupra) ut peccati notitia extendatur ad Cõſiliarium, ſed etiã vt præterea tollatur Confeſſario obligatio ſigilli, ità ut inde res relinquatur ſuæ naturæ; & ſicut res ex natura ſua, nullo addito ſacramento, ſolùm erat ſub ſecreto naturali, ſic & quod reuelatum eſt Conſiliario à Confeſſore de licentia pænitẽtis, relinquitur ſuæ naturæ, & conſequenter ſub ſolo ſecreto naturali; nã, vt iam conſtat ex dictis, ex licentia pænitẽtis fit, ut materia, quæ antea ſolùm erat materia confeſsionis, non amplius talis ſit, vnde remaneat in ſua natura, & conſequenter ſolùm ſub naturali ſecreto: quare, ſi deinde Cõſiliarius loquatur de eo, quod habuit à Confeſſario, ut daret conſiliũ, frangeret ſolùm ſecretũ naturale, non autem ſigillum.

Sequitur ſecundò, quòd ſi pęnitens non derit

derit Confeſſario talem licentiam, reuelandi ſcilicèt peccatum, & perſonam, vel ſi dederit reuelandi peccatum, (quod de ſe poſſe Confeſſarium abſq; alia licentia à pænitente aſſerit Sotus de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. q. 4.) non tamen perſonam; Confeſſarium nõ poſſe talis licẽtiæ limites tranſgredi, aliàs peccaret peccato grauiſsimo. legantur Angelus verb. confeſsio vltimo, §. ſeptimo; Silueſt. ſup. q. 5. Iacob. de Graff. ſupra nu. 19. nunquàm tamẽ ſi reuelet Conſiliarius, frangeret ſigillũ, propter rationem ſupra factam.

Nota de Cõſiliario.

Sequitur tertiò, illum, cui conſilij cauſa reuelatur confeſsio, ſi ab aliquo interrogaretur, num ſciuerit hoc, aut illud peccatum ratione conſilij dandi, teneri omninò affirmare, ſe nihil ſcire, ut docet; Roſella ſupra §. 14. cũ alijs; ità tamen, ut ſolùm ad id obligetur ex naturali ſecreto, & non aliunde, quidquid dicat Roſella ibidem.

Diuerſa ratio Conſiliarij, & Superioris, quò ad ſecretum.

Sequitur quartò, non eſſe eandem rationẽ Prælati Superioris, ad quem pro peccato reſeruato Confeſſarius accedit, ut ab eo auctoritatem abſoluendi accipiat; & Conſiliarij, quem conſilij cauſa Confeſſarius adit: nam Superior Prælatus tenetur ſigillo ſeruare, quæ illi à Confeſſario dicũtur pro abſolutione obtinenda, ut docuit Canus p. 5. relect. de pænit. non ſic Conſiliarius; & de Conſiliario quidẽ iam patet ex dictis, quare non teneatur, niſi ſecreto naturali; de Superiore verò, quòd ſz. teneátur ſigillo, poteſt probari, quia morali-

ter loquendo Superior intelligitur vna perſona cum Confeſſario, in ordine ad impertiendam abſolutionē pænitenti. Cùm ergò Confeſſarius teneatur ſigillo, eodem etiam tenebitur Superior Prælatus. Prætereà, quia hic intelligitur interuenire in ipſa confeſsione ſacramentali, ergò ligabitur ſigillo, ut conſtat ex ſupradictis.

Caſus. Sequitur quintò, ex his ſolui poſſe, quid ſit dicendum de illo, qui reperit libellum, in quo ſint deſcripta peccata alicuius; dicimus enim illum teneri ad celandum, quæ ſcripta peccata reperit, non ſigillo ſacramentali, ſed ſecretò naturali, ex Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. poſt quartam concluſ. & ratio eſt, quia etſi peccata illa deſcripta fuerint, aut ſint futura materia remota confeſsionis, quia tamen nō ſciuntur primò, & immediatè ex confeſsione ſacramētali, ſed omninò ab extrinſeco, ideò qui ſic reperit libellum illum, non videtur poſſe ligari, niſi ſolùm naturali ſecreto ad ea, quæ deſcripta reperit, celanda, non ſecus, ac ſi quis peccatum alterius ſciret aliter, quàm per confeſsionem; quidquid dicat Rodriq. ſupra tom. 2. cap. 53. & Vinaldus ſupra nu. 10. Vnde ſequitur, grauiter quidem illum peccaturum, ſi deinde cum alijs loquatur de illis, quæ ſic deſcripta reperit in libello; ex Soto ubi ſupra.

Et ex his patet reſponſio ad aliam difficultatem.

An

An is, cui iniuſtè reuelata eſt confeſſio à Confeſſario, vel ab aliquo alio, qui confeſſionẽ audierit, teneatur ſecreto naturali, an ſacramentali, ad celandum.

ILluſtriſs. quidem Toletus ſupra nu. 13, Iacobus de Graff. nu. 37. & Suarius ubi ſup. tùm ſect. 4. nu. 6. tùm ſect. 5. nu. 8. & alijs, quos ſupra citauimus, dicunt, illum, qui ſic ſcit, teneri ad ſecretum ſigillo confeſsionis.

Poteſt autem probari iiſdem argumentis, quibus in ſuperiori puncto probata eſt ſentẽtia contraria.

Et prætereà primò, quia ille, qui ſic audit, audit verè aliquid ex cõfeſsione, ergò tenetur ſigillo. Sequela de ſe patet ex ſupradictis.

Secundò probatur, quia, ut iam ſupra dictum eſt, res tranſit cũ ſuo onere; ergò, cùm confeſsio tranſeat ad illum, de quo ſupra, ſine dubio debet tranſire cum ſigillo; ergò ille tenebitur ſigillo. Sequela iam ex dictis patet.

Medina verò ubi ſupra, adhuc conſequẽter dicit, illum, ut ſic, non teneri ſigillo ad celandum, ſed ſolo ſecreto naturali, quo qniſq;, natura duce, ſeruare tenetur habita ab alio.

Reſpondeò ad Dubitationem, eum, cui iniuſto titulo reuelatur aliquid ex confeſsione, non teneri ad illud celandum, niſi ſecreto naturali.

Probatur, quia, ut iam diximus de priori puncto, ex cuius ſolutione pendet ſolutio præſentis, illa cognitio, quam habet is,cui iniuſtè facta eſt reuelatio, non eſt per ſe,& immediatè ex confeſsione ſacramentali, ſed omninò extrà ſacramentum; ergò non poteſt obligare, niſi ad ſecretum naturale, non ad ſacramentale, quod ſolùm pendet ex confeſsione ſacramentali, vt toties diximus.

Ad primum, negatur antecedens, vt iam patet ex dictis.

Ad ſecũdum, iam patet reſponſio ex dictis ad priorem punctum.

Sequitur ex omnibus, quæ diximus in hac quęſtione, non ſolùm Sacerdotes Cõfeſſarios, ad quos tamen primò, & per ſe ſpectat ſigillũ, cùm ad ipſos propriè pertineat onus abſoluẽdi, & ligandi, ſed etiam alias perſonas poſſe ligari ſigillo ſacramentali.

Secũdò ſequitur, quæ nam ſint illæ perſonæ, quæ poſt Sacerdotes ligẽtur ſigillo, & quæ nõ; Et ſic expedita remanet tota hæc Sect. tertia.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA,
DE MATERIA SIGILLI, circa quam.

QVAESTIO PRIMA.
An, & quomodo peccata cadant ſub ſigillum.

SVperiori ſectione determinatũ eſt circà perſonas; nunc operæ prætium eſt, vt determinẽmus circà res, ut ſic totam materiam ſigilli, quæ & perſonas, & res complectitur, explicatam habeamus. Et quoniam peccata ſunt materia, circa quã verſatur ſigillum; ideò de illis hìc agẽdum eſt, An, & quomodo veniant ſub ſigillum ſacramentale.

Quod autem facit difficultatẽ in hac quæſtione, ſunt duo illa capita iam ſupra allata, ex cap. Sacerdos, de pæniten. diſt. 6. & ex cap. Omnis vtriuſq; ſexus &c. de pænit. & remiſſ. vbi Papa ſic loquitur, ut velle videatur, ſolùm peccata in confeſſione detecta cadere ſub ſigillum. Verba cap. ſupra retulimus.

Communis ſententia eſt, non ſolùm peccata, ſed etiam alia à peccatis cadere ſub ſigillum; ità S. Antonin. ſupra §. tertiò. Roſel. ſupra §. decimo tertio. Nauar. in cap. Sacerdos, *S. Antoni.*

de pæniten. diſt.6. nu.50. & in man. c.8. nu.3. Sotus in 4. diſt.18. quæſt.4. art.5. concl.2. & 3. Medina ſupra quæſt.47. Tabiena ſup. §. ſexto. Armilla nu.9. Viuald. nu.10. Iacob. de Graff. nu.27. Iacob. Caſtel. ver. ſigillum. & alij communiter.

Vnica Concluſio, Omnia illa ſunt celanda, per quorum detectionem aut dignoſceretur peccator, aut peccatum in ordine ad peccatorem, aut redderetur exoſa, aut moleſta confeſsio.

Dixi primò, Vniuerſaliter omnia illa eſſe celanda &c. vt vnico verbo compræhẽderem, & quæ directè, & quæ indirectè caderent ſub ſigillum. Pro quo.

Notan. eſt, Illa directè dici cadere ſub ſigillum, quæ produnt directè peccatorem, cuiuſmodi ſolent eſſe peccata, ex D. Thoma 4.d. 21. q. 2. ar.1. D. Antonin. ſupra §. tertio. Tabiena nu.6. Alia, verò, quæ non ſunt quidem peccata, ſunt tamẽ talia, ut poſsint innoteſcere aut peccatorem, aut peccatũ in ordine ad peccatorem, dicuntur cadere indirectè ſub ſigillum, ut docet Sotus in 4.d.18. quæſt.4. ar.5. concluſ.3. & nos infrà dicemus.

D.Thom. *S.Antoni.*

Quę cadãt directè, & quæ indirectè ſub ſigillum.

Dixi ſecundò, Peccatum in ordine ad peccatorem &c. vt comprehenderem peccata nõ ſolùm mortalia, ſed etiã venialia; & prætereà etiam circumſtãtias illorum, ut poſteà oſtendemus.

Dixi tertiò, ex quorum detectione &c. nam non omnia, quæ dicuntur in confeſsione, per

ſe

ſe reddunt confeſsionem odioſam; & conſequenter neq; omnia, quæ dicuntur in confeſſione, cadunt ſub ſigillum, ut ſunt narrationes quædam, aut alia huiuſmodi, quæ aliquando interſeri ſolent in ipſa confeſsione à pœnitentibus; quæ ſine dubio omninò fugienda ſunt: Vnde, ut non ordinantur ad abſolutionem ſacramentalem, ſic neque vlli ſubſunt ſigillo ſacramentali; licèt ſint & hæc maximè celanda, tùm propter ſcandalum, quod poſſet inijci in mentes hominum, ſaltèm idiotarum, exiſtimantiũ, quæ ſic dicuntur, pertinere per ſe ad confeſsionem, ac propterea frangi ſigillum; tùm propter pronitatem, quæ eſt ad dicendũ audita ex confeſsione, ut adnotarunt Roſella ſupra num. 13. S. Antonin. § tertio. Tabiena §. ſexto. Sotus de teg. & deteg. ſecr. memb. 3. quæſt. 4. & alij.

Probatur igitur Cõcluſio, Finis ſigilli is eſt, vt & commune bonum ſacramenti Pænitẽtiæ conſeruetur, ac in particulari, ut anima pænitentis benè cõſolatur; (neq; .n. homines amarent confeſsionem, neque animæ pænitentis benè conſuli poſſet, ſi periculum aliquod morale eſſet, ut peccata reuelarentur) ſed is nullo modo haberi poteſt, niſi omnia, quæ dicũtur in confeſsione, per quæ aut peccatum, aut peccator dignoſceretur, ſub ſigillum caderent. ergò.

Confirmatur, quia ſi quid habitum ex confeſsione non eſſet celãdum hoc ſigillo, ſequeretur, ſaltem reſpectu illius, poſſe reddi aut odio-

de pæniten. diſt.6. nu.50. & in man. c.8. nu.5. Sotus in 4.diſt.18. quæſt.4. art.5. concl.2. & 3. Medina ſupra quæſt.47. Tabiena ſup. §. ſexto. Armilla nu.9. Viuald. nu.10. Iacob. de Graff. nu.27. Iacob. Caſtel. ver. ſigillum. & alij communiter.

Vnica Concluſio, Omnia illa ſunt celanda, per quorum detectionem aut dignoſceretur peccator, aut peccatum in ordine ad peccatorem, aut redderetur exoſa, aut moleſta confeſsio.

Dixi primò, Vniuerſaliter omnia illa eſſe celanda &c. vt vnico verbo compræhēderem, & quæ directè, & quæ indirectè caderent ſub ſigillum. Pro quo.

Notan. eſt, Illa directè dici cadere ſub ſigillum, quæ produnt directè peccatorem, cuiuſmodi ſolent eſſe peccata, ex D. Thoma 4. d. 21. q. 2. ar.1. D. Antonin. ſupra §. tertio. Tabiena nu.6. Alia, verò, quæ non ſunt quidem peccata, ſunt tamē talia, ut poſsint innoteſcere aut peccatorem, aut peccatū in ordine ad peccatorem, dicuntur cadere indirectè ſub ſigillum, ut docet Sotus in 4.d.18. quæſt.4. ar.5. concluſ.3. & nos infrà dicemus.

D. Thom. *S. Antoni.* *Quę cadāt directè, & quæ indirectè ſub ſigillum.*

Dixi ſecundò, Peccatum in ordine ad peccatorem &c. vt comprehenderem peccata nō ſolùm mortalia, ſed etiā venialia; & prætereà etiam circumſtātias illorum, ut poſteà oſtendemus.

Dixi tertiò, ex quorum detectione &c. nam non omnia, quæ dicuntur in confeſsione, per

ſe reddunt confeſsionem odioſam, & conſequenter neq; omnia, quæ dicuntur in confeſſione, cadunt ſub ſigillum, ut ſunt narrationes quædam, aut alia huiuſmodi, quæ aliquando interſeri ſolent in ipſa confeſsione à pænitentibus; quæ ſine dubio omninò fugienda ſunt: Vnde, ut non ordinantur ad abſolutionem ſacramentalem, ſic neque vlli ſubſunt ſigillo ſacramentali; licèt ſint & hæc maximè celanda, tùm propter ſcandalum, quod poſſet inijci in mentes hominum, ſaltèm idiotarum, exiſtimantiū, quæ ſic dicuntur, pertinere per ſe ad confeſsionem, ac propterea frangi ſigillum, tùm propter pronitatem, quæ eſt ad dicendū audita ex confeſsione, ut adnotarunt Roſella ſupra num. 13. S. Antonin. § tertio. Tabiena §. ſexto. Sotus de reg. & deteg. ſecr. memb. 3. quæſt. 4. & alij.

Probatur igitur Cōcluſio, Finis ſigilli is eſt, vt & commune bonum ſacramenti Pænitētiæ conſeruetur, ac in particulari, ut animæ pænitentis benè cōſolatur; (neq; n. homines amarent confeſsionem, neque animæ pænitentis benè conſuli poſſet, ſi periculum aliquod morale eſſet, ut peccata reuelarentur) ſed is nullo modo haberi poteſt, niſi omnia, quæ dicūtur in confeſsione, per quæ aut peccatum, aut peccator dignoſceretur, ſub ſigillum caderent. ergò.

Confirmatur, quia ſi quid habitum ex confeſsione non eſſet celādum hoc ſigillo, ſequeretur, ſaltem reſpectu illius, poſſe reddi aut odio-

odioſam, aut minus amabilem confeſsionem, quod repugnat communi bono pænitentiæ, quæ nulli debet eſſe odioſa, ſed amabilis; ergò omnia ſunt ſigillo celanda.

Ex his patet, quid ſit dicendũ ad id, quod obijciebatur ex illis duobus capitibus; vel.n. in illis eſt tantùm ſermo de ijs, quæ directè, & per ſe cadunt ſub ſigillum, cuiuſmodi dicimus eſſe peccata; vel, quòd verius eſt, in illis ſermonem eſſe de illis, quæ etiam indirectè cadunt ſub ſigillum, id quod maximè colligitur ex illis verbis cap. Omnis vtriuſq; &c. de pæniten. & remiſs. ſcilicèt, *Caueat autem omninò, ne aut verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem &c.* ex quibus clarè colligitur, etiam ſub hoc ſigillo comprehendi ea, quæ indirectè manifeſtant, & produnt, aut peccatorem, aut peccatum in ordine ad peccatorem. legatur Nauarrus in cap. Sacerdos. de pæniten. diſt.6. nu.52. & 53.

Vt autem melius examinentur, atq; intelligantur, quæ ſint, quæ directè, & quæ indirectè veniant ſub hoc ſigillum, veniendum erit ad quæſtiones in particulari, in quibus hæc omnia explicabuntur pro viribus.

QVAEST.

QVAESTIO SECVNDA.

Quæ ſint, quæ per ſe, & directè cadant ſub ſigillum ſacramentale.

QVoniam iam ſupra poſuimus ea, quæ veniunt ſub ſigillum, eſſe duplicis generis; alia ſcilicèt directè, alia indirectè; deſcendendum nunc eſt ad particularia, quæ ſcilicèt ſit illa materia directa, & quomodo veniat ſub ſigillũ; tùm quæ ſit materia indirecta, & quomodo etiam cadat ſub ſigillum.

Petitur autem difficultas in hoc dubio ex cap. Omnis vtriuſq; &c. de pœniten. & remiſs. vbi ſic dicitur, *Qui peccatum in pœnitentiali Iudicio præſumpſerit reuelare, non ſolùm à Sacerdotali officio decernimus deponendum, ſed &c.* & ex cap. Sacerdos, de pœniten. d.6. vbi ſic legitur; *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata ſua, alicui recitet, &c.* ex quibus videtur colligi, peccata, ut ſic per ſe, cadere ſub ſigillũ; nam in ijs capitibus ſolùm fit mentio de peccatis, nihil autem dicitur de peccatore. ergò.

Panormitan. in cap. Omnis, de pœniten. & remiſſ. ait, peccata, ut ſic, cadere ſub ſigillũ.

Probat autem Panormitanus ex cap. alleg. ubi tantùm mentio fit de peccatis, nulla facta mentione peccatoris; ergò illa, ut ſic, cadunt ſub ſigillum. Sequela de ſe patet, nam

illa

illa tantùm debent cadere ſub ſigillum, de quibus loquuntur illa capita, in quibus continetur præceptum Eccleſiaſticum; ſed illa capita tantùm loquuntur de peccatis, vt patet illa conſideranti; ergò.

Secundò, poteſt probari hæc ſentẽtia, quia ſcientia Cõfeſſarij itâ fertur in peccatũ, ſicut in peccatorem, vtrumque enim Confeſſarius optimè nouit, ſed peccator per ſe cadit ſub ſigillum, ergò etiam peccatum, ut ſic, cadet ſub idem ſigillum.

Scotus in 4. d. 21. quæſt. 2. Angelus ſupra §. 23. Roſella §. 13. Silueſt. quæſt. 2. Illuſtriſs. Caietanus verb. confeſs. ſacrament. Tabiena nu. 6. Sotus tùm in 4. d. 18. quæſt. 4. ar. 5. & de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. & alij, cõmuniter aſſerunt, peccata cadere quidem ſub ſigillum, non tamen, ut ſic, ſed in ordine ad peccatorem, quatenus ſcilicèt denotant, aut denotare poſſunt peccatorem.

Vnica Concluſio; Per ſe, & directè cadunt ſub ſigillum peccata, ſecũdum genus, ſpecies, & ſuas circũſtantias, quatenus referuntur ad peccatorem, & reddunt, aut poſſunt reddere confeſsionem moleſtam, & exoſam, aut certè minus integram.

Dixi primò, peccata; nam peccata mortalia neq; in genere, neq; in ſpecie poſſunt reuelari, ex Nauarro in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 68. Silueſt. ſup. nu. 6. Armilla nu. 10. Soto tùm in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 5. poſt concl. tertiam; tùm lib. de teg. & deteg. ſec. mem. 3. quæſt.

quæſt.4. concluſ.3. Viual. ſup. nu.20. Iacob. de Graſſ. num.31. & Iacob. Caſtell. ver. ſigillum. Venialia autẽ, quamuis in ſpecie non poſsint reuelari, neq; extra confeſsionẽ dici ſine fractione ſigilli, ut docẽt ſupradicti DD. ibidem; In genere tamen, ſi dicantur extra confeſsionem, nullum eſt periculum, vt frangatur ſigillum, cùm, ut ſic, non cadãt ſub illud, ut docẽt Nauar. in cap. Sacerdos, de pænit. diſt.*6.* nu. *60. 68. 72.* & *73.* quidquid in contrarium videatur docere Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem.3. quæſt.4. poſt tertiam concluſ. & ratio eſt, quia, ut minimùm, ſacramentum confeſſionis requirit peccatum veniale, tanquã materiam ſufficientem, & laudabilem, ex Nauar. in man. c.2. nu.11. & decernitur in Cõc.Trid. ſeſſ.14. c.5. & can.7. & præterea, quia nemo hominum eſt, qui diù careat peccato veniali, de pæniten. diſt.3. cap. de quotidianis. quod quomodo ſit intelligendum, legatur Barthol. Medina in p.2. D.Tho. q.119. art.8. Accedit, quia id non reddit confeſsionem moleſtam, ergò, qui ſic diceret, non reuelaret, neq; frangeret ſigillum, ut docet Nauarrus in c. Sacerdos, de pænit. d.*6.* nu.*60.* **Cõc. Trid.**

Dixi ſecundò, ſecundum genus &c. nam ſi quis Confeſſor diceret in vniuerſali, Iſtè mihi confeſſus eſt ſua peccata, exprimendo etiam perſonam pænitentis, aut ſi diceret, Scio ego conſcientiam, aut peccata Petri, v.g. nullo tamen addito ad genus peccati, non diceretur fractor ſigilli; cuius rei rationem reddit

Ioan.

Digitized by Google

Ioan. Medina C. de pæniten. ſup. q.47. quia, inquit, ſic Confeſſarius dicendo, neq, aliquẽ infamat, neq; confeſsionem reddit odioſam, ac moleſtam, nemo enim hominũ eſt, qui non

1. Ioan. 1. peccet, 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus, & in nobis veritas non eſt, ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus Deus, vt remittat nobis peccata &c.*

vbi ſermo eſt de peccatis propriè, ijſq; actualibus, & non perinde quaſi Apoſtolus illa verba dixerit (ut nonnulli falsò interpretati sũt)

Cõc. Mile- Conc. Carthag. D. Auguſ. 3. Reg. 8. 2. Paral. 8. Eccleſ. ex humili corde, vt explicant Concil. Mileuit. cap. 6. 7. & 8. & Concil. Carthag. can. 81. 82. & 83. & D. Pater Auguſt. de perfectione Iuſtorum, propè fin. (cet. 3. Reg. 8. 2. Paral. 6. *Non eſt homo, qui non pec-* Eccleſ. 7. *Non eſt iuſtus homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*

Prouer. 20. Prouerb. 20. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum.*

Pſal. 13. Pſal. 13. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.*

Pſal. 115. Pſal. 115. *Omnis homo mendax.*

Pſal. 142. Pſal. 142. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

Iacob. 3. Iacobi 3. *In multis offendimus Deum.*

Luca 18. Lucæ 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.*

Prouer. 20 demùm Prouerb. 24. *Septies in die cadit iuſtus,*

S. Auguſt. licèt D. Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. Dei c. 31. explicet hunc locũ nõ tàm de peccatis, quàm de tribulationibus, quæ in hac vita humilem faciunt hominem. Vnde meritò idem S. Au-

guſt.

guſt. lib. 2. de peccat. mor. & remiſſ. cap. 20. *Hominem iuſtum veraciter dicere, Dimitte nobis debita noſtra.* Quare cùm certum ſit ex ſacris Scripturis, neminem eſſe, qui non peccet, & præterea omnibus notum ſit, nõ ex alia ratione moueri homines ad Pænitentiæ ſacramentum, niſi ut peccata ſua confiteantur, quæ poſt Baptiſmum commiſerint, ut habẽt Epiphan. hæreſi 59. & S. Auguſt. Epiſt. 23. ad Bonifac. vnde ſacramẽtum Confeſsionis dictum ſit ſecunda tabula poſt naufragium, ex D. P. Hieronymo in cap. tertium Iſaiæ; & in Epiſtola ad Demetriadem de virginit. ſeruan.; S. Ambroſ. ad virgin. lapſam, c. 8. Tertull. in libro de pæniten. & vltimo loco Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. Ideò, qui ita ſolùm diceret, Iſte mihi cõfeſſus eſt ſua peccata, nihil præterea addendo, non frangeret ſigillum; & docent Silueſt. ver. ubi ſup. nu. 6. Angelus §. 13. Armilla nu. 10. S. Antonin. §. 3. Sotus tùm in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 5. concluſ. 3. tùm de teg. & deteg. ſecr. vbi ſupr. Nauarrus in cap. Sacerdos, de pæniten. nu. 68. Toletus nu. 5. & Medina ubi ſupra, cum alijs communiter.

S. Auguſt.
S. Epipha.
S. Auguſt.
D. Hieron.
S. Ambroſ.
Tertull.
Cõc. Trid.
S. Antoni.

Dixi tertiò, quatenus referuntur ad peccatorem; nam, ut diximus, ad id tendit ſigillum, ne peccator dignoſcatur, & ne confeſsio reddatur moleſta; quæ duo, ſi ceſſent, dum quis diceret peccatum auditū ex confeſsione propriè, & formaliter, non diceretur frangere ſigillum, neq; enim peccata, ut ſic, cadunt ſub illud; quidquid dicat Panormitan. loco ſupra

citato,

citato, contrà quem multa habent Sotus in 4. d.21. q.2. Tabiena ſup. nu.9. Sotùs lib.de teg. & deteg. ſecr. mem.3. quæſt.4. & Iacob. Caſt. ver. ſigillum. noſq; infrà dicemus.

Probatur igitur primò noſtra Cũcluſio,quia illa directè debent pertinere ad hoc ſigillum, quæ directè pertinent ad ſacramẽtalem confeſsionem, ut habet Silueſt. verb. confeſſ. q.2. ſed huiuſmodi ſunt peccata, & circumſtantiæ peccatorum, modo explicato ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. præcipuè verò can.7. ergò peccata, & circumſtantiæ, ut dicunt ordinem ad peccatorem, directè pertinent ad ſigillum.

Cõc. Trid.

Secundò probatur, In tantum aliqua dicũtur cadere ſub ſigillum directè, in quantũ directè poſſunt manifeſtare peccatorẽ; ſed huiuſmodi ſunt peccata, & circumſtantiæ illorũ, ergò illa ſunt, quæ directè cadunt ſub ſigillũ.

Tertiò probatur, Quæ primò, & per ſe reddunt, aut poſſunt reddere confeſsionem aut moleſtam, aut non integram, ſunt quæ directè debent cadere ſub ſigillum; ſed huiuſmodi ſunt peccata, & illorum circumſtantiæ, ergò illa cadunt directè ſub ſigillum.

Ad id, quod obijciebatur ex cap. ſupra allegatis, Reſpondeo, in illis ſermonem eſſe de peccato nõ ſimpliciter,& ut ſic, ſed ut aut ſaltẽ implicitè denotat peccatorẽ, vt docẽt Nauarr. in cap. Sacerdos,de pænit. diſt.6. nu.79. & Iacob.Caſtell.ſupra; aut aptum eſt reddere confeſsionem aut moleſtam, aut minus amabilẽ. legendus eſt Sotus in 4.d. 18. q. 4. art.5. concluſ.3.

Ad

Ad primum ex Panormit. Reſpondeo, in illis capitibus, quæ pro ſe citat, licèt explicitè nihil dicatur de peccatore, implicitè tamẽ id totum, quod dicitur de peccatis, referri ad peccatorem; id quod deducitur ex antecedẽtibus, & conſequentibus illorum capitum: vnde ex illis nihil contrà nos.

Ad ſecundum Reſpondeo ex Tabiena ver. confeſſ. celatio, §. nono. propriè neq; perſonam, neq; peccatum, ut ſic cadere ſub ſigillũ, ſed ut vnũ refertur ad aliud, id eſt, vt peccatũ refertur ad perſonam, quæ pænitens eſt; & inter alios docuit Sotus de teg. & deteg. ſecre. mem. 3. q. 4. & Iac. Caſtell. ſupra.

Sequitur primò, illum Confeſſariũ eſſe fractorem ſigilli, qui diceret, Iſte mihi confeſſus eſt peccata magna, & multa; ex Roſella verb. confeſſ. celatio. §. tertio. & Angelo ibid. §. 23. & Iacob. Caſtell. ſup. Item vt ex ijſdem colligitur & ex Hoſtien. in Sum. de pęnit. & remiſ. nu. 52. ſi quis diceret, Iſtius confeſsio nunquã mihi ſatisfacit; vel, iſte ſemper aliquid grauis affert; vel aliquid ſimile. Item, ſi quis Confeſſor publicam pænitẽtiam pro peccato aliquo occulto imponeret, ut tradit Nauarrus tùm in man. cap. 8. nu. 10. tùm in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 63. & Viual. ſupra nu. 11. qui eo caſu eſſet deponendus per Nauarrũ lib. 5. conſil. 13. nu. 3. niſi tamen pænitens ipſe illam pænitentiam publicam acceptaſſet; ex eodẽ Nauar. ibidem nu. 3. & ſequitur Suarius ſupra diſput. 33. ſect. 7. nu. 3. Item ſi confeſſor pro- *diuerſi modi loquẽdi, quibus cõfeſſor frangit ſigillũ.*

pter peccatum occultum, non tamen abſolutũ illi eidem denegaret publicè communionem, ex D. Auguſtino hom. 50. de pæniten. & refertur 2. q. 1. cap. multi; & ſequitur Silueſt. ſupra q. 16. Tabiena nu. 18. Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 1. quæſt. 2. Nauar. in manu. c. 8. nu. 17. Suario vbi ſupra ſect. 6. nu. 3. & Iacob. Caſtell. ſupra. Et deniq; ſi quis Superior diceret de aliquo ſuo ſubdito, ſibi tunc ſolùm confeſſum eſſe, modo quodam, quo indicaret id eueniſſe, quia fortaſſe ſubditus ille haberet caſum aliquem reſeruatum, ut ab alio, prætérquàm à Superiore illo, non poſſet abſolui; ut docet Suarius ſupra ſect. 3. nu. 9. hi, inquiunt omnes, frangerent ſigillum, ſic loquendo; & ratio eſt, quam tradit Nauarrus in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 59. quia, ſic dicendo, ſignificatur, eum, qui confeſſus eſt, habere peccatum aliquod mortale: quod, cùm ſimul indicet pænitentem, frangit ſigillum.

S. Auguſt.

Sequitur ſecundò, eos Confeſſarios reuelare confeſsionẽ, & frangere ſigillum, qui cùm duos, aut tres ſacramentaliter audierint, affirmant de aliquo vno in particulari, illum aut non peccaſſe mortaliter, aut eſſe caſtum, aut aliquid ſimile, ut ſic dicendo innuant audientibus, alios duos aut habuiſſe peccata mortalia, aut non eſſe caſtos; ità docent Nauarrus tùm in manu. c. 8. nu. 9. tùm cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 54. Medina quæſt. 47. Sotus de teg. & deteg. ſecre. memb. 3. quæſt. 4. poſt tertiam concluſ. Iacob. de Graff. nu. 31. Sua-

rius

rius ubi ſupra diſputat. 33. ſect. 3. num. 9.

Sequitur tertiò, ex eodem Soto, & Iacobo de Graff. ibidem, non eſſe prohibitum Confeſſarijs, aliquando poſſe laudare pænitentem coram alijs, modò tamen laudatio illius, ut iam diximus, non indicet peccatum in alio, ut ſi v. g. quis Confeſſor confeſſus ſit tres, aut quatuor homines, Confeſſarius poterit quidẽ vnum laudare, ſcilicèt eſſe virum bonum, bonæ conſcientiæ, ac in ſe Dei timorem habere, & alia ſimilia dicere.

In quo tamen, illud notandum eſt, ex Soto, vbi ſupra, ne, quod dicit Confeſſarius de vno, dicat cum aliqua relatione ad alios, quos etiã ex confeſsione audierit, optimè notos ijs, quibus cum Confeſſor loquitur, ne inde aliqua poſsit oriri ſuſpicio de alijs, vt, quod de vno dicat, de alio videatur negare; hoc .n. eſſet, peccatum alterius manifeſtare, & frangere ſigillum.

Sequitur vltimò, confeſſarium, ſi diceret de aliquo, ſe onerari minutiſsimis ſcrupulis ex illius confeſsione, nõ dici reuelatorem cõfeſsionis, propter rationem ſuprà allatã, quia certum eſt, vt minimùm, ſacramẽtum Confeſsionis petere ſaltèm materiam venialem; ut habent Nauarrus tùm in manu. cap. 8. num. 12. tùm in cap. Sacerdos, de pænit. d. 6. num. 72. & Viualdus ſupra nu. 32.

Et hæc de ſecunda quæſtione, ex qua ſatis patet quomodo prædicta cadant ſub ſigillũ.

QVAEST. TERTIA.

Vtrum peccata publica poſſint dici à Confeſſario extrà confeſſionem.

DIximus de peccatis in genere, quæ occulta ſunt, & ſolùm nota Confeſſario ex cauſa confeſsionis, illa in ordine ad pœnitentem, id eſt, quatenus poſſunt manifeſtare pœnitentem, omninò cadere ſub ſigillum: nunc examinandũ videtur, vtrum idem ſit ſentiendum de peccatis publicis, quæ quis ſupponit confeſsioni, Vtrum, inquàm, peccata illa, vt publica, cadant ſub ſigillum.

Medina C.de confeſſ. tract.2.quæſt.47. quã toties citauimus, aſſerit, licitum eſſe Confeſſario etiã in particulari dicere de aliquo peccatore publico, v. g. de aliqua meretrice, ſibi eſſe confeſſam ſuum meretricium peccatum.

Poteſt autem hæc ſententia probari, primò, quia illa tantùm peccata cadunt ſub ſigillum, quæ redundant in malum pœnitentis; ſed ſic dicere de meretrice, non redundat in malum illius, ſed potiùs in laudem, ergò.

Secundò probatur, quia ideò Confeſſor tenetur ad ſigillum, ne aliquid ſciatur de pœnitente, quod anteà neſciretur; ſed de meretrice v. g. nihil denuò diceret Cõfeſſarius, quod antea non ſcirent omnes, cùm peccatum ſit publicum, & notorium. ergò.

Tertiò

Tertiò probatur; quia ideò confeſsio debet eſſe ſigillata, ne ſit alicui oneroſa; ſed ſic loquendo Confeſſor de peccatore publico, non reddit confeſsionem oneroſam, ergò.

Illuſtriſs. Caietanus ver. confeſſor. Sotus in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 5. poſt tertiam concluſ. & de teg. & deteg. ſec. mem. 3. quæſt. 4. concl. 3. Nauarrus in man. c. 8. nu. 10. & in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 62. Coſm. Philiar. ſupra c. 30. Viualdus nu. 23. Suarius ſupr. ſect. 3. nu. 6. negant id licere Confeſſarijs. accedit Iacob. Caſtell. ver. ſigillum.

Vnica Cõcluſio: Peccata quantumuis publica, & notoria, non poſſe dici à Confeſſario, vt audita in confeſsione, alijs extrà confeſsionem; & ſi dicat, frangere ſigillum.

Dixi, vt audita in confeſsione, quia aliàs ut publica, & notoria, poſſent dici, modò tamen notitia confeſsionis nullam adderet maiorem certitudinem, aut explicaret aliquã peculiarẽ circumſtãtiam; quàm anteà ex ſe peccata illa publica haberent.

Probatur Concluſio; Primò, quia ſigillum fertur in ea omnia peccata, quæ ſunt materia confeſsionis, modo iam explicato; ergò etiã fertur in peccata publica. Probatur ſequela, quia peccata etiam publica, ut ſic, ſunt materia confeſsionis, ergò non poteſt Confeſſarius loqui de illis, extrà confeſsionem, aliàs frangeret ſigillum.

Probatur ſecundò, quia, dum Confeſſarius dicit, meretricem ſibi eſſe confeſſam ſuum

meretricium peccatum, dicit aliquid, quod verè cognouerat ex confeſsione, ergò de illa, ut ſic, non poteſt loqui extrà confeſsionem; nam, ut ait Nauarrus ubi ſupra, etiamſi omnes ſciant mulierem illam meretricē eſſe, non tamen ſciunt eſſe confeſſam; & ideò, quia ſequeretur (ut inquit Coſmus Philiar. vbi ſupra) quòd Confeſſarius loqueretur de ijs, quæ habuit ex confeſsione; ideò ab eo omninò abſtinendum eſt,ut Cōfeſſarius loquatur de peccatis publicis, vt tamen auditis ex cōfeſsione, ne ſigillum frangat.

Notan. autē eſt, peccata publica poſſe dupliciter conſiderari; vno modo, ut publica, confeſſa tamen; altero verò, ut publica, ſed non confeſſa. Si igitur primo modo conſiderentur illa peccata publica, omninò falſus eſt Medina, nam ſic Confeſſarius reuelaret aliquid. quod verè habuit ex confeſsione, & cōſequenter frangeret ſigillum. Neque refert, quod Medina affert, id ſcilicèt vertere in laudem pænitentis, aut non ſciri aliquid, quòd anteà non ſciretur, aut non fieri odioſam cōfeſsionem, ex quo peccatum publicum dicatur confeſſum; nam hæc omnia ſunt per accidens; per ſe enim, & propriè loquendo, huiuſmodi manifeſtatio, quæ fit à Confeſſario, peccati publici, apta eſſet illa omnia facere, ſcilicèt, infamari pænitentem, ſciri aliquid, quod anteà neſciretur, tùm deniquè reddi moleſtam confeſsionem; à quibus omninò cauendum eſt Confeſſario. Si verò ſecundò

Falſus Medina.

Obiectio.

modo

modo conſiderentur illa peccata publica, verus eſſet Medina; neq; nos id negamus; certũ enim eſt Confeſſarium poſſe loqui de illis, quæ audiuit ex confeſsione, modò eadē extra confeſsionem ſciuerit; neque enim (ut alibi diximus) Confeſſarius, ex quo audiat confeſsionē, amittit ſuum ius, ut poſsit loqui de illis, quæ extra eā audiuit, & ſcit. Etiā ſi, & id cautē ſit faciendum, ne ſaltem apud Idiotas aliqua ſuſpicio poſsit oriri confeſsionis reuelatæ: legātur Tabiena ſupra nu. 11. & Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. Quare ſi Cōfeſſarius loquatur de meretricio v. g. peccato, ut publicum peccatum eſt, non dicetur fractor ſigilli; licèt (vt etiam Medina ibidem aduertit) tutius ſit nihil de illis loqui, ad euitādum ſcandalum, & omnem ſuſpicionem, vt iam diximus ex alijs ſupra. *varius Medina.*

Ex his patet reſponſio ad omnia tria argumenta, in contrarium ex Medina allata.

Et ad primum, Reſpondeo ad maiorem, id eſſe per accidens, cùm tamen per ſe, quod dicitur à Confeſſario extra confeſsionem, etiam ſi ſit publicum, aptum eſſet parere malum aliquod in pænitentem, cumq; infamare; ut de ſe patet.

Ad ſecundum, eodem modo Reſpondeo, eſſe ſcilicèt per accidens, ut peccatum cōfeſſum à meretrice ſciatur ab alijs, cùm ſit notorium; per ſe tamē Confeſſarius, ſic dicendo, manifeſtaret illud, conſequenter frangeret ſigillum, ut iam innuimus.

Ad tertium Reſpondeo, eadem ratione, id non reddere confeſsionem exoſam in præſenti caſu, eſſe per accidens, cùm tamen ex ſe aptum ſit reddere. Et prætereà dico, etiamſi peccatum illud ſit publicum, atqui ſi diceretur à Confeſſario, ſine dubio grauaretur ex eo pænitens, quod cauendum eſſe, iam patet ex dictis.

Sed quid faciendum eſt Confeſſario, ſi quãdo de huiuſmodi peccatis publicis interrogaretur; num ſcilicèt abſoluerit meretricem, aut publicum uſurarium?

S. Antoni. Reſpondeo, Confeſſarium in tali negotio, aut teneri reſpõdere, (id quod tutius cenſeo) ſe functurum eſſe officio ſuo, vt docent S. Antonin. ſup. §. tertio; Sotus de teg. & deteg. ſec. mem. 3. quæſt. 4. concluſ. 3. Coſm. Philiar. ſup. cap. 30. Iacob. de Graff. nu. 33. aut petendam eſſe licentiam ab huiuſmodi peccatoribus, ut poſsit dicere extrà cõfeſsionem, ſi opus ſit, ſibi confeſſos eſſe ſua peccata publica, quæ pariebant ſcandalum, idq; in ædificationem illorum, ut tradit Nauarrus in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 62. & 63. ubi multa tradit, ut oſtendat, quomodo ſe gerere debeant Cõfeſſarij in ordine ad peccatores publicos, & notorios.

Et hæc de præſenti quæſtione.

QVAE-

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum peccatum in indiuiduo, ſecluſa tamen perſona pœnitentis, poßit dici à Confeſſario extrà confeßionem, ſine fractione ſigilli.

IAm ex ſuperioribus patet, peccatum, ut ſic, non cadere ſub ſigillum, & conſequenter poſſe dici à Confeſſario extrà confeſsionem, modò tamen inde aut non dignoſcatur perſona peccatoris, aut non reddatur moleſta confeſsio. Videndum hoc loco eſt, vtrum eodē modo peccatum in indiuiduo cadat ſub ſigillum, Vtrum ſcilicèt poſsit Confeſſarius dicere, Audiui in confeſsione hanc blaſphemiam, hoc homicidium, & cætera.

Panormitanus in illo cap. Omnis vtriuſque ſexus &c. de pænit. & rem. nu. 8. viſus eſt omninò negare, id licere.

Poteſt autem probari hæc ſententia, primò ex cap. Sacerdos, de pęniten. diſt.6. & ex cap. Omnis &c. vbi manifeſtè prohibetur Confeſſario, ne omninò dicat peccatum auditum ex confeſsione; ergò.

Secundò probatur, nam Cōfeſſarius debet oīnò effugere, ne ſuſpicionē aliquam inijciat cōfeſsionis reuelatæ; ſed ſi de peccatis in particulari loqueretur, inijceret aliquā ſuſpicionē con-

confeſsionis; cùm enim peccata in particulari vix poſsint ſciri, niſi per confeſsionẽ, facilè eſſet, inde adduci quempiam in ſuſpicionem aliquã de pænitente, qui ea cõmiſerit. ergò.

Tertiò probatur, quia ſaltèm, qui ſic audiret Confeſſarium loqui de peccatis in particulari, ſcandalizarẽtur; vnde ipſi poſſent retrahi à confeſsione: à quo omninò abſtinendum eſt.

Hoſtien. in d. cap. Omnis &c. de pænit. & remiſs. S. Antonin. ſupra; Sotus in 4. d. 18. q. quarta, art. 6. & de teg. & deteg. ſecr. ubi ſup. Tabiena §. nono. Nauar. in man. cap. 8. nu. 12. & 14. & in cap. Sacerdos, de pęnit. d. 6. nu. 76. Viual. nu. 33. Toletus num. 4. Iacob. de Graff. nu. 19. Iacob. Caſtell. verb. ſigillum. Suarius ſupra ſect. 3. nu. 8. aſſerunt, ſimpliciter loquẽdo, Confeſſarium poſſe ſic loqui de illis peccatis in particulari.

S. Antoni.

Vnica Concluſio: Peccatum etiam in particulari poſſe dici à Confeſſario extrà confeſſionem, ità tamen, vt nullo modo, neq; directè, neq; indirectè, neq; per ſe, neq; per accidens, poſsit ex illius manifeſtatione dignoſci peccator, aut confeſsio moleſta reddi, aut aliquod oriri ſcandalum.

Probatur primò, ex facto, quod habetur ex c. officijs, de pænit. & remiſſ. vbi dicitur, quidam Confeſſarius reuelaſſe Papæ quoddam peccatũ, quod habuerat ex confeſsione; quod tamen factum minimè Papa aut laudaſſet, aut approbaſſet; nam licitè id fieri à Confeſſario

potuiſ-

potuiſſet, maximè pro conſilio petendo, vt ſuprà probauimus, & docet Sotus de teg. & de teg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. & in 4. d. 18. q. 4. art. 6. concluſ. 1. &, meo iudicio, meritò, ac iuſto conſilio potuit factum illud collaudari, ac permitti, non ea ratione; quia, (vt ait Sotus in 4. d. 18. quæſt. 4. ar. 6.) id factum ſit de licentia pænitentis, hoc enim non ità eſſe, ſupra à nobis oſtenſum eſt; ſed quia, etiã ſi peccatum ſit reuelatum, nullo tamen aliquo modo dignoſci poterat peccator, id quod licitum eſſe, paſsim docet Romana Curia in quotidianis expeditionibus caſuum ad animam pertinentium, & nos ſupra poſuimus.

Secundò, probatur Concluſio, nam peccata, ut toties diximus, in tantum ſunt celandã à Confeſſore, in quantum aut peccator detegeretur, aut redderetur odioſa confeſsio, aut etiam oriretur aliquod ſcandalum; ſed poteſt dari caſus, in quo nihil horum accidat; ergò, ſaltem tunc, cùm nihil eorum ſequeretur, poterunt dici à Confeſſario: quòd autem dari poſsit huiuſmodi caſus, iam de ſe patet ex quotidiano vſu Pænitentiariæ, & omnes concedunt.

Confirmatur, quia iam probatum eſt, peccata, ut ſic, non eſſe ſub ſigillo, ſed ſolùm, ut poſſunt indicare peccatorem, aut reddere cõfeſsionem moleſtam, aut minus amabilem. Ergò, ſi nihil tale timẽdum ſit, non erit quòd peccatum non poſsit dici à Confeſſario, ceſſante .n. cauſa, ceſſat effectus, arg. cap. cũ ceſſante, de appel.

Notan.

Notan. tamen eſt, quòd maximè aduertit Nauar. in cap. Sacerdos de pænit. d. 6. nu. 75. raro de his peccatis, ut ſic, ſermonem habendum eſſe à viro grauiſsimo, & doctiſsimo, rarius à viro graui, rariſsimè à viro leui; quoniã ex communi ſententia vix vnquàm accidit, Confeſſarios loqui ſic de peccatis auditis ex confeſsione, quin maximum ſit periculum, ne aut dignoſcatur peccator, aut non reddi poſſit grauis confeſsio, aut certè nõ aliquod oriatur ſcandalum apud ſimpliciores homines; id quod experientia expertus ſum, nam cùm aliquando in noſtra aſſueta Academia Bononienſi lis eſſet inter R. P. Euſebium de Capitaneis, & P. Andream de Villis, Viros cõfeſſarios in ea Vrbe, integerrimæ vitæ, maximæ integritatis, ac bonarũ ſciẽtiarum ſectatores, de vno aliquo peccato, An contineretur ſub reſeruatis ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Archiepiſcopo Bononien. tunc Alphonſo Paleotto, tùm nobilitate, tùm ſanctitate pręſtantiſsimo Viro, cuius anima ſit in benedictione; & lis huiuſmodi eſſet, præſentibus alijs Academicis etiam laicis, hi in ſuſpicionẽ aliquã venerint, & ſcãdalum paſsi ſint, fortè vnus ex illis erat in eo peccato, de quo erat diſputatio, vnde illum erubiſſe animaduerti: id quod maximè ęgrè tuli, neq; vnquàm de huiuſmodi peccatis ſaltèm corã laicis, dixi, eſſe amplius diſputandũ. id quod etiã aduertit Iacob. de Graff. ſup. nu. 35. vnde fortè motus eſt Panormitanus, ut dixerit, nullo modo poſſe Confeſ-

ſarium loqui de his peccatis, quia ſcilicet res facillima ſit, inde aliquod incōmodum poſſe oriri, ut notauit Iacob. Caſtell. ſupra. Quare conſilium Viualdi ſupra nu. 33. valdè videtur commendandum, melius eſſe in his omnino tacere. legatur Sotus de teg. & deteg. ſecret. mem. 3. quæſt. 4.

Neque tamen inde colligendum erit, damnandum eſſe frequētem, & bonum vſum, quo Confeſſarij ſolent adire illos, à quibus conſilium petant, quò ad ea, quæ habuerunt in cōfeſsione, imò & id fieri aliquādo neceſſe eſſe, habetur ex cap. Omnis vtriuſq; &c. de pænit. & remiſſ. §. Caueant autem. & docent inter alios Sotus de teg. & deteg. ſecr. mem. tertio, q. quarta; & Iacobus de Graff. nu. 19. & Suar. ſupra ſect. 4. nu. 8. ſed id ſolùm dicimus, hoc ipſum, maximè adhibito conſilio, faciendum eſſe à Confeſſarijs, ut etiam aduerterunt Sanctus Antonin. §. tertio; Nauar. in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 83. & Coſm. Philiar. ſupra c. 30. vbi inter alia docent, quò ad rationem petendi conſilij, neque id debere Cōfeſſarios facere, ſine conſenſu præſtito à pænitente, ità ut ſi pænitens noluerit, ut Confeſſarius alium adeat, ad conſilium petendum, non debeat vlla ratione id facere, etiam ſi nulla eſſet exprimenda perſona, id quod colligitur ex cap. ſupra allegato Omnis vtriuſq; &c. & ibi Hoſtien. ſed tunc pęnitentem eſſe relinquendum, & ad alium Confeſſarium peritiorem, ſi voluerit, transmittendum, ut tradunt

S. Antoni.

Sotus

Sotus in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 6. & lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. poſt quintam concluſ. & Iacob. de Graff. nu. 20.

Ex his patet ſolutio ad oppoſita ex Panormitano.

Ad primum enim dicendum eſt, ibi prohiberi, ne peccatum dicatur, quando ſequitur aliquod ex ſupradictis incommodis; quod ſi nullum ſequitur, nihil prohibet, quo minus nō poſsit dici peccatum, ut ſic.

Ad ſecundum, ad ſummum probare, quod nos ſupra conceſsimus, id magna cautela faciendum eſſe, propter probabile periculum, ne confeſsio reueletur.

Ad tertium Reſpondeo, ſi quid tale ſequeretur, non poſſe Cōfeſſarium ſic loqui de peccato in particulari; ſed id non eſt contra nos, nam ſupponimus in caſu noſtro, nihil tale ſequi, neq; vllum aliud inconueniens.

Sequitur primò, quam malè faciant ij Confeſſarij, qui exiſtentes in eadem eccleſia, itā ut benè vnus alterum poſsit inſpicere, attamē vnus à loco ſurgens alterum adeat pro cōſilio, inſpicientibus alijs, & ille, à quo cōſilium petitur, benè agnoſcat, & videat pænitentem, pro quo conſilium petitur, nam hoc ipſum eſt manifeſtare peccatum, & peccatorem; itā habent D. Antonin. ſup. §. tertio. Coſm. Philiar. ſupra c. 30. Iacobus de Graff. nu. 19. Toletus num. 4. Iacob. Caſtel. ſupra; & Suarius ſupra ſect. 3. nu. 8.

Sequitur ſecundò, meritò repræhendi ab Ho-

Hoſtien. ubi ſupra, quoſdam Confeſſarios, qui ioci cauſa conferebant inter ſe ſe de confeſſionibus auditis, ut facile eſſet alicui illorum in alicuius perſonæ cognitione venire; quod cùm ſit reuelare ipſam confeſsionem, omninò fugiendum eſt; & docent Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. & Nauar. in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 59. & Iacobus Caſtell. ſupra.

Sequitur tertiò, ex eodem Nauarro ibidem, ſed nu. 58. malè illos Confeſſarios facere, qui cùm ſint in eadem familia, ac domo, vnus alteri dicit, ſe hominem abſoluiſſe à peccato v. g. vſuræ, qui benè dignoſcebatur ab eo, cui id dicebatur, quia fortè iam ſibi aliàs idem peccatum confeſſus erat, id enim eſſet reuelare ipſam cõfeſsionem, cùm inde facilè dignoſci poſſet peccator, & propterea ab eo ominò abſtinendum eſt. Dixi, ſi inde dignoſcatur peccator, nam aliàs non eſſet reuelare confeſsionem, ex Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4.

Sequitur vltimò, cauendum eſſe Confeſſario, ne dicat, In hac, vel illa Villa, Caſtro, aut Ciuitate &c. in quibus audiui confeſsionem, ſunt hæc, aut illa peccata; quoniam, licèt ſic dicendo neq; directè, neq; indirectè denotentur peccatores in particulari, vnde neque videatur reddi exoſa confeſsio, quia tamen ex hoc poſſent ſcandalizari ſimpliciores aliqui, exiſtimãtes hoc ipſum eſſe reuelare confeſsionem, ideò ab hoc loquendi genere abſtinendum

D. Anton. dum eſt; ità docent D. Antonin. §. tertio. Medina ſupra quæſt.47. Nauarrus cap. Sacerdos, de pænit. d.6. nu.59. Viuald. nu.26. quidquid dicat Iacob. de Graff. num.35. non diceretur tamen fregiſſe ſigillum, ſi illo modo Confeſſarius loqueretur, ut docet D. Antoninus ibidẽ; quod dico contrà Suarium ſupra ſect. 3. nu. 8. qui videtur in eam ſentẽtiam venire, vt huiuſmodi Confeſſarius, ſi illo modo loqueretur, frangeret ſigillum; nullo tamen fundamento: peccabit tamen grauiter Confeſſarius ille, nõ ſolùm peccato contrà præceptum de nõ ſcandalizando proximum, Matt. 18. vt ait Nauar. tùm in Manuali cap.8. nu. 16. tùm in cap. Sacerdos, de pænit. diſt.6. nu.54. ſed etiam contrà præceptum de non infamando proximũ; nam id cederet in infamiã illius loci, de quo diceret, ſe hoc, aut peccatum illud audiuiſſe ſacramentaliter.

mali Suarius.

Matt. 18.

Conſilium pro Concionatoribus. Vnde videntur admonẽdi Concionatores, vt in ſuis concionibus ſint valdè occulati, cùm de peccatis auditis ex confeſsione loquãtur, vt, ſi velint repræhendere peccatum aliquod, quod audierint ex cõfeſsione, nullo modo dicant, ſe illud in hoc, aut illo loco audiuiſſe ſacramentaliter; quòd ſi periculum ſit in repręhendendis peccatis, ne quis audientium ſuſpicetur Concionatorem inuehi contrà peccatum, quod ipſe iam illi confeſſus eſſet, tunc abſtineat Concionator, ne quid tale dicat; periculum enim maximum eſſet, ne diuerterentur homines à confeſsionibus; quod maximè

mè aduertendum eſt, vbi non ſit maxima frequentia audientium, ut accidere ſolet in Villis, & aduertit Iacobus de Graff. ſupra nu. 35. Et hæc dicta ſint de hac quarta Quæſtione.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Confeſſarius dicatur frangere ſigillum, ſi cum pænitente loquatur extrà confeſsionē de peccatis ab ipſo habitis ex confeſsione, ex aliquo bono fine.

IAm dictum, explicatumq; eſt, peccata dici poſſe à Confeſſario extrà confeſsionem, ſi tamen inde aut nulla ſuſpicio perſonæ, quæ peccauit, oriri poſsit, aut nullum aliquod ſcādalum ex iam aſsignatis ſequatur. Reſtat, ut videamus, An eodē modo dicere poſsit peccatum, & de illo loqui cum ipſo pænitente, etiam extrà confeſsionem, in bonum ipſius, cum pænitente ſcilicèt, à quo peccatum Confeſſarius ex confeſsione habuit.

Supponimus autem hic vnum, ſcilicèt, quod id faciat Confeſſor, nulla habita facultate ab ipſo pænitente, nam ſi hanc velimus ſupponere, iam tolleretur omnis difficultas, diximus enim, de licentia pænitentis poſſe à confeſſario dici peccata ſacramentaliter audita ab eodem.

R Pri-

Prima ſententia eſt aſſerentium, poſſe Confeſſorem ità loqui cum pænitente, neq; proptereà frangere ſigillum; ità S. Antonin. ſuprà §. primò; Medina q.47. vbi ait, Confeſſarium non poſſe quidem id facere, ſi tamen faciat, non dici prodere, aut reuelare confeſsionem.

S. Antoni.

Secunda ſententia eſt aſſerentium, id eſſe contrà ſigillum; ità Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. memb.3. quæſt. 4. poſt quintam concluſ. & in 4.d.18. quæſt.1.art.6. Toletus ſup. nu.12. Iacob. de Graff. nu.26. & alij.

Vnica Concluſio: Mihi videtur in ſupradictò caſu à Confeſſario frangi ſigillum confeſſionis.

Probatur Primò Concluſio, quia dum Confeſſarius colloquitur cum pænitente, extrà cõfeſsionem, de auditis ab ipſo ſacramẽtaliter, iam amplius non dicitur celare cõfeſsionem; ergò dicitur fractor ſigilli; ſufficit enim, ut Confeſſarius dicatur fractor ſigilli, ut loquatur extrà confeſsionem de illis, quæ ſolùm habuit ex confeſsione, abſq; licentia pænitentis.

Neque refert, quòd Confeſſarius colloquatur cum eodem pænitente, qui ſibi illa eadem confeſſus eſt.

Obiectio.

Nam id omninò eſt per accidens, ad hoc, ut Confeſſarius dicatur, aut non dicatur fractor ſigilli, per ſe enim tantùm requiritur, ut ille verè, & propriè dicatur frangere ſigillum, vt loquatur extrà confeſsionem de ijs, quæ ex confeſsione ſolùm habuit, ut iam diximus. Quòd verò deinde is, cũ quo extrà confeſsio-

nem

nem loquitur Confeſſarius de peccatis, ſit idē pænitens, aut ſit alius cum pænitente, eſt impertinens ad rem noſtram, & ad rationem ſigilli.

Secundò probatur concluſio, quia ille Confeſſor dicitur frangere ſigillum, qui, ſic loquēdo de peccatis extrà confeſsionem, redderet illam odioſam, ac moleſtam: ſed poteſt eſſe, vt etiam, ſi Confeſſor colloquatur cum eodem pænitente de peccatis ab illo ſacramentaliter auditis, etiam in bonum ipſius, redderet tamen cōfeſsionem moleſtam pænitenti, ergò; minor probatur experientia.

Nam memini me audiuiſſe à R. P. Leone de Lorandis, ex Academicis noſtris, viro ſummæ religionis, atq; integritatis, ac in caſibus ad animam pertinentibus ſatis verſato, ſe agnouiſſe hominem, qui, cùm à Confeſſario nō ſatis prudenter repræhenderetur extrà confeſſionem de neſcio quo peccato, quod ſolùm ab ipſo ex confeſsionis cauſa cognouerat, tantū à confeſsionibus abalienauerat animum, vt nomen ipſum confeſsionis, & confeſſariorum abhorreret, ut multi eſſent anni, quibus iam non eſſet confeſſus, vnde ipſe multum iuſudauerit, ut tantum peccatorem ad bonam viam reduceret, ſicuti ſe tandem reduxiſſe dixit. (opus tanto viro dignum) Cùm igitur ex eo poſsit reddi etiam moleſta confeſsio peṇitenti ipſi, tenetur celare, & niſi celarit, frangit ſigillum, etiam ſi cum eodē penitente loquatur; quod erat à nobis probandū in minori allata.

Obiectio. Neq; dicas, poſſe eſſe, ut pænitens id totū, quod fit, & dicitur à Confeſſario, accipiat in bonam partem.

Nam ſi id accideret, (quod non negamus) id tamen eſſet per accidens; cùm tamẽ per ſe ex eo ſemper poſſet inſequi malum aliquod non videatur negandum; vnde ex hoc morali periculo Confeſſarius debet abſtinere ab hoc genere loquendi.

Nota. Imò etiam ſi Confeſſarius emendam ex admonitione facta extrà confeſsionem pænitẽti ſperaret, non tamen propterea debere vnquã id facere; nam Confeſſarius non debet vti medijs illicitis ad bona etiam facienda, ex D. *D. Paulus.* Paulo ad Rom. 3. quemadmodum huiuſmodi medijs illicitis vteretur, ſi ſic Confeſſarius loqueretur cum pænitente de auditis ab ipſo, confeſsionis cauſa, ut illum ad pænitentiam reduceret, nam id eſſet reuelare confeſsionẽ, quod ſemper illicitum eſt; quidquid dicant *S. Antoni.* S. Antonin. ubi ſupra, & Nauarrus in cap. Sacerdos, de pænit. d. 6. nu. 74.

Non benè Medina. Sequitur primò, non ſibi conſtare Medinã C. de pænit. ubi ſupra, aſſerentem huiuſmodi Confeſſarium, ex quo reddat confeſsionem odioſam pænitenti, cum quo extrà confeſsionem loquitur, ut ſupra; peccare quidem ità colloquendo, non tamen facere contra ſigillũ; non videtur, inquam, ſibi conſtare; nam Medina prius poſuerat, Confeſſarium eatenus ligari ſigillo, quatenus loquendo de peccatis ex confeſsione habitis, faceret confeſsionẽ one-

rosam,

roſam, ac moleſtã, ut ipſe habet q. 45. ubi ſup. ergò, ſi id ſufficit, vt quis dicatur fractor ſigilli, quare non etiã debuiſſet concedere in præſenti caſu, in quo concedit poſſe fieri confeſsionem moleſtam pænitenti: ergò, ſi conſequenter loqui deberet Medina, debuiſſet ẽt concedere, Confeſſarium illum, ſic loquendo peccaturum contrà ſigillum, ut patet, quia offendit pænitentem, reddendo illi confeſsionem minus amabilem.

Sequitur ſecundò, ex Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. ſub finẽ; Iacobo de Graff. nu. 26. Rodriq. c. 55. de confeſſ. Toleto vbi ſupra; Suario ſupra ſect. 5. nu. 3. quid ſit dicendum, ſi quãdo accideret, ut confeſsio iam facta nulla eſſet ex aliquo accidẽte, quia fortè Cõfeſſarius miſerit manum in meſſem aliená, abſoluendo à caſu, à quo non poterat, (quod Deus auertat) & Confeſſarius rediens ad ſanitatem, vellet admonere pænitentem de errore commiſſo in confeſsione iam facta; quomodo, inquam, Confeſſarius in eo caſu ſe gerere debeat; dicimus enim Confeſſarium teneri aut adire pænitentem, aut, quantum poſſit, quærere, ut in illum offendat ex itinere, & reperto, rogare illum humaniſsimis verbis, ſi tamen id poſsit ſine ſcãdalo, ac ſine ſuſpicione cõfeſsionis iam factæ, vt ſuis iterum ſe ſubmittat clauibus, in bonum ipſius; quo facto, ſi id pænitens libenter acceptet; poterit tunc Confeſſarius ſacramentaliter aperire illi, ac dicere, quidquid occurrit dicendum, pro bo-

Caſus.

no ſpirituali illius: quòd ſi non acceptet, ac noluerit audire, Confeſſarius tunc debet deſiſtere à negotio incępto; & ratio eſt, quia id ſit quoddam genus reuelationis ſigilli, poſſet .n. peccator negare Confeſſario, ſe aliquid tale commiſiſſe, & dixiſſe ſacramentaliter; vnde Confeſſarius ex optimo conſilio tunc deſiſtere debebit ab omni negotio, ac omninò tacere, ne in errorem incidat maiorem, & ſe Deo cõmendet, coram quo excuſabitur; ſed in poſterum cautius agat.

Caſus. Sequitur tertiò, quid ſit dicendum, ſi Confeſſor viderit pænitentem non ea adimplere, quæ ex confeſsione ſibi iniūcta illi erant adimplenda; & licèt alij dixerint, poſſe tunc cõfeſſarium monere pęnitētem, ut promiſſa adimpleat, attamen tutius videtur dicendum, omninò tacendum eſſe confeſſario; & ratio eſt, quia aliàs poſſet reddere pænitenti cõfeſsionem moleſtam: oret igitur confeſſarius pro pænitente, ut Deus det illi bonam mentem, ut adimpleat, quæ ex confeſsione promiſerat.

Sequitur quartò, ex Greg. de Valen. in 2.2. diſput.3.quæſt.10. pun.3. Confeſſarium poſſe, & teneri corripere pænitētem, idq; ex officio, & in actu confeſsionis, nullo tamen modo extrà illam, ut iam diximus.

Nota. Sequitur vltimò, ex Iacobo de Graff. vbi ſupra, quomodo ſe gerere debeant ſubditi, ſi quando audiant Superiores; qui auditis confeſsionibus illorum, vias omnes tentent, ut id ipſum, quod habuerunt ex confeſsione, ha-

beant

beant etiam ab ipſis extrà illã, ut deinde aſſumant occaſionem inuehi contrà illos; dicimus enim, ſi quando ſubditi interrogarentur à ſuis Superioribus, (id quod planè plorandũ eſſet) poſſe omninò negare, etiam medio iuramento, ſe aliquid tale aut ſcire, aut etiã ſacramentaliter dixiſſe, iuxtà ea, quæ ſupra docuimus, & tradit Sotus in 4. d. 18. quæſt. 4. ar. 6. & de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4.

Atque hæc dicta ſufficiant de hac quinta Quæſtione.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum peccata futura, vt ſic, veniant ſub ſigillum ſacramentale.

DIctum eſt in ſuperioribus de peccatis actualibus, vtrum, & quomodo illa pertineant ad ſigillum; dicendum nunc eſt, vtrũ eadem ſit ratio de peccatis futuris, vtrum illa, vt ſic cadant ſub ſigillum.

Prima ſententia eſt eorum, qui dicunt peccata, ut futura, nõ cadere ſub aliquod ſigillũ, ità Adrianus quæſt. vlt. de confeſſ. Silueſt. ver. confeſsio tertiò. quęſt. 5. qui in hanc ſententiã citat Innocen. & Abbat. in cap. Omnis vtriuſque &c. & Hoſtien. ibidem; Angelus ver. confeſsio octauò; num. 7. Viual. de confeſ. ſigillo, art. 16.

Poteſt autem̃ probari primò hæc ſententia,

quia materia confeſsionis non eſt niſi peccatũ cõmiſſum, ergò non ut cõmittendum. ergò.

Probatur ſecundò, quia huiuſmodi confeſſio, non eſt ſacramentalis, ergo peccata quæ huiuſmodi confeſsioni ſubijciuntur, non cadunt ſub ſigillum, ſequela de ſe patet, & iam explicata eſt in ſuperioribus. Antecedẽs probatur, quia confeſsio tunc eſt ſacramentalis, quando eſt cum vero dolore, & contritione, includendo propoſitum de non peccando de cætero ſaltem implicitè, vt dicemus in tractatu de Pænitentia virtute, cuiuſmodi non eſt confeſsio illa, de qua ſupra, ergo.

Tertiò probatur, quia Sacramentum Pænitentiæ non poteſt ſubſiſtere ſine forma, ſicut & entia phiſica non ſunt in rerum natura ſine propria forma, ſed forma Sacramenti Pænitentiæ eſt abſolutio, ergò ſine illa non poteſt ſubſiſtere; ſed in præſenti caſu nulla eſt abſolutio, quia peccatum futurum eſt, ergò non eſt propoſitum deſiſtendi ab illo: ergò.

Secunda ſententia eſt aliorum, peccata cadere quidem ſub ſecretum, non tamen ſacramentale, ità Alenſis 4. p. quæſt. 78. num. 2. art. 2. Abbas in cap. Omnis &c. de pæniten. & remiſ.

Tertia ſententia eſt dicẽtium peccata, etiã ut futura, cadere ſub ſigillum; ità D. Thomas in 4. d. 21. quæſt. 3. art. 1. quæſtiun. 1. S. Bonauentura 2. p. art. 2. quæſt. 1. Scotus, & Palud. ibidem; Hoſtien. in Sum. de pænit. §. in quo Medina C. de confeſ. q. 47. Coſmus Philiar.

S. Thom. *S. Bonaue.*

ſupra

ſupra c.30. Nauarrus in cap. Sacerdos, de pæniten. diſt.6. nu. 116. Sotus in 4.d. 18. quæſt.4. art.5. ad ſecundũ; & lib. de teg.& deteg. ſecr. mem.3. quæſt.4. poſt ſecundã concluſ. Conar. lib.4. decret. de ſponſ. 2.p.c.8.nu. 10. Iacobus de Graff. ſupr. nu.8. Suarius ſupra ſect.3. nu.4. Rodriq. in Sum. tom.2. cap. 53. Caietan. ver. confeſ. ſacram. & alij.

Vnica Concluſio: Mihi videtur omninò dicendum; omnia peccata, etiam futura, quæ tamen explicentur in ſacramentali confeſsione. cadere ſub ſigillum. *Peccata & futura, cadũt ſub ſigillum.*

Probatur primò, quia aliàs redderetur exoſa confeſsio, ſi peccata, ut etiam futura, explicata in ſacramentali confeſsione, non cõmitterẽtur ſacro ſigillo; quemadmodum diximus de peccatis actualibus; nam quò ad hoc, videtur eadem ratio illorum.

Secundò probatur, quia ſi in huiuſmodi peccatis non eſſet confeſsio celanda, nullus de illis confiteretur; quomodo igitur poſſet remedium adhiberi ad illa peccata? quomodo poterit iſtis præcaueri? nam non videtur negandum, aliquando à confeſſarijs dimoueri poſſe peccatores ab huiuſmodi peccatis futuris, & occaſione confeſsionis faciendæ; & admonet Tabiena ſup. num.3. Sotus in 4.d. 18. quæſt.4. art.5. ad ſecundum; & de teg. & deteg. ſecr. vbi ſupra, & habetur ex cap.quod quidam,de pænit. & remiſs.

Tertiò, probatur Concluſio, eatenus videtur peccatum committendum in confeſsione

expli-

explicandum, quatenus, etſi opere non ſit cõſumatum, eſt tamen voluntate, id quod ſufficere ad rationem peccati contrahendã, omnes conſentiunt, vt alibi oſtendemus; ergò, ut ſic peccatum, ut futurum, erit confeſsioni demandandum, ergò etiam ut ſic, erit à confeſſario celandum, ſicut & peccatum opere conſumatum, nam in hoc videtur æqua illorũ ratio; ſed peccatum opere conſumatum eſt ſigillo ſacramentali celandum, ergò etiã peccatum futurum, mente perfectum, erit eodẽ ſigillo celandum.

Vltimò probatur Concluſio, Impænitẽtia, ut ſic, non tollit rationem confeſsionis ſacramẽtalis, ut docet Sotus de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. concluſ. 2. ergò neq; tollet rationem ſigilli: hanc ſequelam iam ſupra probauimus; ſed ſi quis confiteatur ſe hoc, aut illud velle perpetrari peccatũ, ſolùm ponit obicem abſolutioni, ergò non tollitur ratio confeſsionis ſacramentalis, ergò neq; ſigillum; ergò illa peccata, quæ, ut perpetranda, quis confitetur ſacramentaliter, cadunt ſub ſigillũ, ut melius explicabimus infra.

Ad primum autẽ, pro priori ſententia Reſpondeo, negando antecedens, ut iam diximus.

Ad ſecundum, negatur etiam antecedens, nam ad confeſsionem ſacramentalem ſufficit ut fiat coram Iudice, qui ex Inſtitutione Chriſti poſsit abſoluere; & item, ut fiat intentione ſaltèm ſuſcipiendi ſacramentum pænitentiæ,

vt

vt ſupra iam dictum eſt ex Soto, & alijs. Vnde etiamſi iſte, qui ſic cõfitetur peccatum à ſe cõmittendum, non habeat propoſitum emendæ, cùm tamen habeat animum ſuſcipiendi hoc ſacramentum, quod fieri poſſe aſſerit Sotus, ubi ſupra, & Rodriq. de confeſ. ſup. c. 57. nu. 6. ſufficit, ut confeſsio, quam ille ſic facit, dicatur confeſsio ſacramentalis, ſicuti dicitur de Baptiſmo, qui etſi fictè ſuſcipiatur, ſuſcipitur tamen ſacramentum, de conſecrat. diſt. 4. cap. tunc valere; ſic & confeſsio, licèt informis ex aliquo capite, erit tamen ſacramentalis, & reticenda ſub ſigillo; quod etiam voluit Iacob. Caſtel. ſupra. In quo tamen illud notandum eſt, ex Soto in 4. d. 18. quæſt. 3. art. 5. Rodriq. ubi ſupra c. 28. nu. 6. & habuerunt ex D. Thoma in 4. d. 17. quæſt. 9. art. 1. prædictã cofeſsionẽm, cùm fuerit informis, & ſine fructu, eſſe à pænitẽte reiterandam, ut etiã ſupra innuimus. *S. Thom.*

Ad tertium, reſpondent Sotus ubi ſupra, & Nauarrus in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 123. etiamſi non ſequatur abſolutio, attamen confeſsionem eſſe ſacramentalem, quia per ſolam mutationem propoſiti in pænitente abſque alia confeſsione, poſſet ille ab eodem confeſſario abſolui; & ità licèt actu nõ ſequatur abſolutio, quia tamen poteſt ſequi, ideò confeſsio illa erit ſacramentalis, & conſequẽter peccata, quæ ibi dicentur, erunt ſub ſigillo ſacramentali. Reſpondeo ſecundò, & patet ex dictis, ad confeſsionem ſacramentalem ſuffi-

ſufficere, ut fiat coram Iudice habente auctoritatem, & ſit in pænitente voluntas ſe ſubijciendi clauibus, licèt non ſit dolor. Quare cùm in caſu vtrumq; ponamus, licèt deficeret dolor, & propoſitum cauendi de futuro, adhuc confeſsio eſſet ſacramentalis, & reticẽda ſub ſigillo ſacramentali.

Sequitur primò, Iam ex dictis conſtare, peccata etiam, ut perpetranda, confeſſa tamen, & quorum nullum pænitens habeat dolorem, adhuc tamen, quia dicuntur in ſacramentali confeſsione, habere hoc onus, ut cadant ſub ſigillum; neque ex aliqua cauſa, aut præcepto etiam Pontificio, poſſe à confeſſario reuelari, ut optimè tradunt Sotus ubi ſupra, Nauarrus in cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. nu. 42. Rodriq. ſupra c. 53. de ſecret. nu. 4. & alij, quos ſupra citauimus.

Sequitur ſecundò, ſi quis diceret in confeſſione, ſe velle occidere v. g. Epiſcopum, confeſſarium non ſolùm non facere contrà charitatem factum illud tacendo, ſed omninò ex charitate teneri illud celare. Probatur, quia charitas ex Soto in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 5. ad ſecundum. & Tabiena nu. 3. non expoſcit, ut peccato, quod homo neſcit, remedium adhibeat: neſcit autem confeſſarius, quia ſolùm id ſcit ex confeſsione, iuxtà illud D. Bernardi, D. Bernar. *Nihil minus ſcio, quàm quæ per confeſsionem ſcio*. Quod, quomodo ſit intelligendum, iam ſupra explicauimus. Teneri autẽ ex charitate illud tacere, patet, quia quiſq; tenetur conſulere

bono

bono ſpirituali proximi, ſicuti ſuo proprio; conſulit autem, dum facinus committendum, ex confeſsione ſolùm notum, tegit, ac celat.

Illud tamen hoc loco notandum eſt, ex Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. concluſ. 2. Nauarro cap. 8. nu. 7. hunc confeſſarium, ſi quando habeat præſentem caſum, debere conari, quantum poſsit, ut pænitentem à tali mente dimoneat, & ſi poſsit ſine ſuſpicione aliqua iam auditæ confeſsionis, admoneat Epiſcopum, vel alium quemcunque occidendum, ut ſibi caueat; quod ſi non poſsit ſine aliqua ſuſpicione alicuius ſcandali, tutius erit Confeſſario tacere, ne ſe in aliquem inuoluat laqueum; quidquid in contrarium ex falſo fundamēto dicat Viualdus ſupra nu. 16. & 18.

Sequitur tertiò, peccata illa, quæ explicantur in confeſsione ficta, animo ſcilicèt illudēdi, nocendi confeſſario, eumq; ad peccatum pertrahendi, & ob alios malos fines, non eſſe celanda aliquo ſecreto, aut diuino, aut naturali; quidquid dicat Medina ſupra quæſt. 47. vbi aſſerit, confeſsionem ficto animo factam eſſe etiam celandam, nam ſi huiuſmodi fictio non ſit cum animo percipiendi ſacramentum, nullo modo poteſt cōſiſtere cum confeſsione ſacramentali, ut ſupra diximus. Vnde neque ea, quæ in illa confeſsione ſic facta exprimuntur, cadent ſub aliquo ſigillo, ut docuerūt Abbas in cap. Omnis &c. de pæniten. & remiſſ. Caietanus in 2. 2. quæſt. 70. art. 1. Silueſter ſu- *male Medina.*

pra

pra quæſt. 4. Angelus ver. confeſsio vltimò, §. ſeptimo. Sotus de teg. & deteg. ſecr. ubi ſupr. Viuald de ſigillo confeſs. num. 14. niſi tamen Medina per confeſsionem fictam intelligeret illam, quæ eſt ſolùm ſine abſolutione, ſit tamē animo ſuſcipiendi ſacramentum, & hanc voluerit eſſe celandam ſecreto naturali, non ſigillo; quòd ſi id intellexerit Medina, adhuc falſus eſt, vt patet ex dictis; illa enim confeſſio, ſic facta, adhuc cadit ſub ſigillum, nedùm ſub ſecretum. Vnde patet differentia, quæ eſt inter confeſsionem, quæ fit de peccato futuro, & illam, quæ fit fictè, ac malo animo; nam illa, quia ſacramentalis, cadit ſub ſigillum, nō ſic altera, quæ, quoniā nō ſacramentalis, conſequenter nec cadet ſub ſigillum; quam differentiā non aduertit Viualdus ubi ſupra, vnde in hac re deceptus eſt.

Sequitur vltimò, benè potuiſſe repræhendi Cardinalem illum à Papa, de quo Sotus, & Vi-ualdus locis citatis, qui cùm audiſſet ex confeſsione conſpirationem factam in Papam, illam non manifeſtaſſet, id quod Cardinalis ille confeſſarius potuiſſet facere; quia, cùm nō fuiſſet confeſsio illa ſacramentalis, quæ ſolùm tenderet in malum, ad pertrahendum ſcilicèt Cardinalem Confeſſarium in eundem errorē conſpirationis machinatæ in Papam, potuiſſet illam reuelare.

Obiectio. Neq; dicas, Cardinalem confeſſarium non debuiſſe illam reuelare, quia tenebatur ſecreto naturali rem occultare, ſicut quiſq; tenetur

eodem

eodem ſecreto ſeruare, quæ ab amico dicuntur, ut ſupra dictum eſt.

Nam, licèt in alijs ſecretum naturale obliget ad celandum, in ijs tamen, quæ tendunt ad bonum commune, quemadmodum eſt cõſeruatio vitæ Principum, maximè ſpiritualiũ, non ad id obligat ſecretum naturale, ut benè dixit Suarius nu. 15. vnde in præſenti caſu nullo modo poteſt excuſari Sacerdos ille Cardinalis. In quo licet animaduertere, quod etiã ſupra adnotauimus, præcipuam differentiam inter ſigillum, & ſecretum naturale, quòd ſigillum ſacramentale nullo caſu, neq; etiam pro ſaluando Mundo, poteſt infringi, niſi de licẽtia pænitentis, in cuius gratiam eſt inſtitutũ; non ſic ſecretum naturale, quod licèt aliquando obliget, aliquando tamẽ non obligat, præcipuè verò, quando delictum tendit in ruinam boni communis, ut iam dictum eſt.

Quare, cùm confeſsio illa non fuerit ſacramentalis; fuit enim facta animo pertrahendi Cardinalem confeſſarium ad peccatum, iure optimo non erat ſub obligatione alicuius ſecreti, aut naturalis, aut ſacramentalis, & ſic Cardinalis ille tenebatur factum manifeſtare, ac denunciare Pontifici, à quo iuſto conſilio potuit ille repræhendi.

Atq; hæc dicta ſint, quò ad ea, quæ directè diximus cadere ſub ſigillum confeſsionis.

QVAEST.

QVAESTIO SEPTIMA.

De illis, quæ cadunt ſub ſigillum indirectè.

POſuimus ſupra non ſolùm quæ directè, ſed etiam quæ indirectè, aut perſonam peccantem, aut peccatum in ordine ad perſonã indicant, cadere ſub ſigillum. Et cùm ſuperioribus quæſtionibus dictũ, diſputatumq; ſit de ijs, quæ directè ſub ſigillum cadunt, nunc inquirẽdum eſt de ijs, quæ indirectè ſub idem veniunt.

Vnica Concluſio: Illa cadunt indirectè ſub ſigillum ſacramentale, quæ aliquo modo peccatum poſſunt indicare, cum ordine ad perſonam, quæ peccauit.

Probatur Concluſio, quia ea omnia ſunt ſigillo celanda, quæ quoquomodò poſſunt reddere confeſsionem odioſam; ſed quæ indirectè poſſunt indicare peccatum in ordine ad peccatorem, ſunt huiuſmodi, ergò. Minor patebit ex dicendis.

Sequitur primò, Confeſſarios debere eſſe cautos, ne, ex quò peccata alicuius i[illegible] ſione ſacramentali audiant, i[illegible] alijs inſpicientibus [illegible] reri poſsit impo[illegible] cati alicuius [illegible] bet Iacob[illegible]

Google

mutatio diceretur indirecta quędã confeſsionis reuelatio, vnde confeſſarius frangeret ſigillum.

Sequitur ſecundò, & Superiores debere eſſe cautos, ut in exhortationibus, quas habent ad ſuos ſubditos, maximè verò quãdo ij non ſunt in bono numero, nihil dicãt, quod poſsit auocare ſubditos à confeſsionibus, aut ab illarum integritate; ut etiam aduertit Iacob. de Graff. nũ. 35. ſi enim huiuſmodi exhortationes non fiant, penſatis penſandis, aliquãdo ſaltèm indirectè poſſent prodere perſonam aliquam ex aliquo metu, aut timore incuſſo, à quo tamen maxime abſtinendum eſt, maximè verò, quãdo Superior ille nunc vnum, nũc alium ex ſubditis ſacramentaliter audierit, nam tũc poſſet Superior aliquid ex confeſsione auditum indirectè reuelare, & ſic frangere ſigillum ſacramentale.

Sequitur tertiò, cautos debere eſſe Confeſſarios, ne, ſi quando grauiores pœnas infligãt pœnitenti pro peccatis auditis ex cõfeſsione, velint ab illo ſtatim [illegible]ſolui, maximè ſi non ſint ſui iuris, id e[illegible] rectè, indi[illegible]is ex peccato gra[illegible] flictas[illegible], præ[illegible] onfeſs[illegible] a[illegible] ere h[illegible] e Na[illegible] cus[illegible] ea, ela[illegible] em, ri[illegible], in[illegible] e-

mutatio diceretur indirecta quędã confeſsionis reuelatio, vnde confeſſarius frangeret ſigillum.

Sequitur ſecundò, & Superiores debere eſſe cautos, ut in exhortationibus, quas habent ad ſuos ſubditos, maximè verò quãdo ij non ſunt in bono numero, nihil dicãt, quod poſsit auocare ſubditos à confeſsionibus, aut ab illarum integritate; ut etiam aduertit Iacob. de Graff. nu. 35. ſi enim huiuſmodi exhortationes non fiant, penſatis penſandis, aliquãdo ſaltem indirectè poſſent prodere perſonam aliquam ex aliquo metu, aut timore incuſſo, à quo tamen maxime abſtinendum eſt, maximè verò, quãdo Superior ille nunc vnum, nũc alium ex ſubditis ſacramentaliter audierit, nam tũnc poſſet Superior aliquid ex confeſsione auditum indirectè reuelare, & ſic frangere ſigillum ſacramentale.

Sequitur tertiò, cautos debere eſſe Confeſſarios, ne, ſi quando grauiores pœnas infligãt pœnitenti pro peccatis auditis ex cõfeſsione, velint ab illo ſtatim perſolui, maximè ſi non ſint ſui iuris, id enim indirectè indicaret alijs ex peccato grauiori eſſe inflictas illas pœnas, pręcipuè, qui ſcirent poſt confeſsionem, & nõ ante, illum incępiſſe peragere huiuſmodi pœnitentiam; docet ex parte Nauarrus cap. 8. num. 17.

Quoniam autem hìc locus eſt explicãdi ea, quæ indirectè poſſunt reuelare confeſsionem, vt ad aliqua in particulari deſcendamus, in-

S ſtitue-

ſtituemus dubitationes, in quibus ſingillatim ea, quæ de hac materia dicenda ſunt, explicabimus, ſic enim res tota facilior erit, & clarior.

PRIMA DVBITATIO.

Vtrum, ſi quis confeſſor dicat, ſe aliquẽ non abſoluiſſe, dicatur indirectè reuelaſſe confeßionem.

Illuſtriſs. Caietanus in Sum. ver. confeſſor, aſſerit, Si quis confeſſarius ità diceret, nõ dici reuelatorem confeſsionis.

Poteſt autem probari hæc ſententia, quia, quòd aliquis non fuerit abſolutus, potuit prouenire ex multis, ijsq; varijs cauſis, v. g. vel quia fortè nondum completa, perfectaq; fuerit confeſsio, vel quia fortè cõfeſſarius voluerit iuſto titulo in bonum pænitentis diſtrahere abſolutionem, vel ex alijs iuſtis cauſis; ergò nullo modo id erit reuelare confeſsionem.

Neque dicas, ex eo homines induci, ut cogitent potius id oriri ex aliquo peccato, quod à confeſſario non poſsit abſolui.

Nam reſpondet Caietanus, quòd homines id cogitent, eſſe ex malo ipſorũ animo, & per accidens, per ſe tamen id non inducere reuelationem aliquam peccati.

Hoſtienſis in cap. Omnis vtriuſq; &c. de pęnit. & remiſs. Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem.

mem. 3. quæſt. 4. Nauar. in manu. c. 18. nu. 14. & in cap. Sacerdos, num. 63. Armilla num. 14. Viualdus nu. 25. Iacob. de Graff. nu. 33. Iacob. Caſtell. verb. ſigillum; Suarius ſect. 6. num. 1. aſſerunt, confeſſarium, ità dicendo, fieri fractorem ſigilli.

Reſpondeo ad dubitationem, cõfeſſarium, ſi diceret de aliquo, ſe illum non abſoluiſſe, frangere ſigillum.

Probatur primò, ex cap. Omnis &c. de pœnit. & remiſſ. vbi clarè dicitur, *Caueat autem, ne aut verbo, aut ſigno, aut aliquo quouis modo prodat peccatorem &c.* quibus ſignificatur, neq; etiam dici poſſe à confeſſario, quæ indirectè poſſunt prodere peccatum aliquod; & conſequenter peccatorem; vnde quia confeſſor ſic dicẽdo proderet peccatorem, ideò fieret fractor ſigilli.

Secũdò probatur, & explicatur ſimul, etiãſi negatio abſolutionis poſſet aliunde oriri, ut ſupra aſſerit Caietanus, & omnes concedunt, quia tamen ut plurimùm, moraliter loquẽdo, negatio abſolutionis ſignum eſt grauioris alicuius peccati, vt, vel quia fortè peccatum ſit reſeruatum, vel quia ſit excommunicationi obnoxium, vel quia, qui confitetur, ſit impænitens, & propterea non potuerit abſolui; ideò quia id indirectè indicaret peccatũ aliquod in ordine in peccatorem, diceretur fractor ſigilli. Vnde pro cõcluſione tale poteſt confici argumentum.

Confeſſarius affirmans ſe aliquem non abſol-

uiſſe, indirectè oſtendit, ſe non abſoluiſſe propter aliquod impedimẽtum in illo repertum, ut iam diximus; ſed id indirectè eſt manifeſtare confeſsionẽ; ergò, qui ſic diceret, frangeret ſigillum.

Ex his paret, ad id, quod obijciebatur ex Caietano, & ad replicam, licèt enim ea omnia concederentur Caietano, tamen id neq; ipſe vlla ratione negauerit, ut plurimùm huiuſmodi abſolutiones negari ſolere, ex peccatis, quæ ex aliqua cauſa Superiori reſeruata, non potuerint abſolui pro eo tempore à cõfeſſarijs; aut etiam ex cenſuris, quibus teneretur pænitens, in quas confeſſarij nullam haberent auctoritatem; aut ex aliquo impedimẽto, ut ſupra diximus. Quare, ex quo confeſſarij teneantur ſe abſtinere ab ijs, quæ poſſunt peccatum, & perſonam, quæ peccauit, indicare, ideò cauere omninò debent, ne ſic loquantur, nam ſine dubio frangerẽt ſigillum, quod ſeruare tenentur ex Iure naturali, diuino, & eccleſiaſtico.

Neque id tribuendum videtur malitiæ, ac malo animo hominum, ut voluit Caietanus; ſed ex natura rei, quæ hanc malam conditionem patitur, ut negatio abſolutionis, id ſecum moraliter præſeferat, ut in malam partem accipiatur, ſaltèm vt plurimùm; quod tamen maximè cauendum eſt à Confeſſarijs, qui ſemper tenẽtur effugere, ne aliquo modo reddatur confeſsio minus amabilis, quemadmodum ſic redderetur, ſi dicto modo loquere-

tur

tur confeſſarius de aliquo homine peccatore; nam ſaltem indirectè reuelaret peccatum illius. legatur Iacob. Caſtell. vbi ſup.

DVBITATIO SECVNDA.

An defectus pœnitentis cadant ſub ſigillum indirectè.

SEcundo loco occurrit dicendum de defectibus, qui vt plurimum ſolent innuere vitium, aut peccatum aliquod in homine; vtrũ ſi qui ex confeſsionis cauſa à pœnitente dicantur confeſſario, teneatur hic ſic illos reticere ſub ſigillo, an verò poſsit de illis loqui extra confeſsionem, nõ fracto ſigillo.

Illud in primis certum eſt hoc loco, nõ eſſe quæſtionem, vtrum confeſſarius defectus illos ſolùm notos confeſsionis occaſione, alijs extra illam manifeſtando peccet: certum enim eſt ex Nauarro in cap. Sacerdos, de pœniten. diſt. 6. nu. 4. peccare illum contra legem naturalem, qui alicuius vitium, vel à natura, vel à voluntate reuelaret, conſequẽter etiam multo grauius peccaturum confeſſarium, ſi quid tale reuelaret. Sola igitur diſputatio eſt, an peccaret etiam contra ſigillum ſacramentale.

Reſpondeo ad dubitationem, Defectus naturales, ut ſunt, aut indicia peccati, aut peccatorem infamant, indirectè cadere ſub ſigillum, ſi ſolùm ex confeſsione à confeſſario ſciantur.

Hanc concluſionẽ habent Iacob. de Graff. ſupra num. 27. Illuſtriſs. Toletus nu. 3. Suarius ſect. 3. nu. 5. & alij.

Probatur autem Concluſio primò, quia ſigillum ea ratione inſtitutum eſt, vt benè conſulatur bonæ famæ pænitentis; ſed ſi quis diceret huiuſmodi defectus, non benè conſuleret famæ illius, ergo.

Secundò probatur, ſigillum inductum eſt, ne moleſta alicui, aut difficilis reddatur confeſsio, ut toties diximus; ſed ſi quis confeſſor diceret huiuſmodi defectus pænitentis ex cõfeſsione exceptos, redderet illi confeſsionem moleſtam, ergò.

Ex his concludendum videtur, idem eſſe ſentiendum, ſi quis confeſſarius ex confeſsione ſciret pænitentem eſſe v. g. illegitimum, ignobilibus parentibus natum, cùm tamen ab omnibus & legitimus, & nobilis haberetur, & id extrà confeſsionem alijs diceret, illum, inquam, confeſſarium fracturum ſigillum, ex ratione iam aſsignata, quia ſcilicet manifeſtat aliquod cognitum ex confeſsione, vnde indirectè indicatur vitium aliquod pænitentis.

Et hæc de hac dubitatione, quæ eſt ſecunda in ordine.

TER-

TERTIA DVBITATIO.

Vtrum perſona, cũ qua pænitens in ſua confeßione confitetur ſe peccaſſe, cadat ſub ſigillum indirectè, & quomodo.

NOn videtur extrà propoſitum hãc dubitationem hìc examinare; nam cùm hoc loco agamus de ijs, quæ indirectè cadunt ſub ſigillum, meritò inquirere poſſumus, num hoc modo perſona complicis, quæ in confeſsione explicatur, cadat ſub ſigillum.

Quoniam autem hæc dubitatio dependet ex alia, Vtrum pænitens teneatur exprimere perſonam complicem in ſua confeſsione, an verò reticere; (quæ dubitatio & grauiſsima, & difficillima ſemper mihi viſa eſt, & multùm exagitata inter Doctores) ideò de hac dubitatione priori loco erit à nobis diſputandum, tùm aliam, quam primò propoſuimus, expediemus. Nam reuerà, ſi concludendum ſit, pænitentem non teneri in ſua cõfeſsione propalare peccati complicem, iam tolleretur omnis ratio dubij primò loco propoſiti: neq; .n. tunc veniret diſputandum, vtrum complex caderet ſub ſigillum, ſi, inquam, nullo modò eſſet exprimendus in ſacramẽtali confeſsione; quare tunc ſolùm venit diſputãda propoſita

difficultas, quando eſſet determinandum, & dicendum, Penitentem in ſua confeſsione teneri exprimere perſonam peccati complicis: quod hoc loco examinandum eſt.

De qua dubitatione non pauca, nec ſpernenda fuit diſceptatio inter R. P. Eugenium de Petris fidiſsimum mei ſocium, ac collegã, & admodũ R. D. Andream de Opicinis Ciuẽ Mediolanenſem, virum ſingularis cuiuſdã ingenij pręſtantem, meiq; amiciſsimum, ambos ex Academia noſtra, quorum vtrique, licèt nõ ex propoſito ad hæc, de quibus erat diſceptatio, ſe dederint ſtudia, alter enim potiùs arti Muſicæ, ac ſonandi Organa, in quibus tamen, quantum profecerit, Bononia ipſa teſtatur; alter verò altioribus ex Philoſophia, & vtroq; Iure ſtudijs ex mente vacabant. Inerat tamẽ talis, ac tãta ſciendi cupiditas eorum, quæ ad caſus, ut dicunt, conſcientiæ pertinerent; (erant enim bona conſcientia prædìti) ut facili negotio, & libẽti animo ſe ſe in his ſtudijs immiſcerent. Vnde propoſita Schola, loco ſolito Academiæ noſtræ, fuit inter illos de præſenti dubio non leuis diſputatio, ut non paruum mihi iniecerint animum de hac eadem hoc loco diſputare; quare, quæ tunc temporis diſputata ſunt, hic afferam, & pro viribus conabor explicare, quid in hac re ſentiam.

Eſt igitur Dubitatio,

Vtrum poßit, & teneatur pœnitens in

ſua

ſua confeſsione exprimere perſonam in peccato complicē, An verò poſsit, & teneatur illam reticere.

IN hac dubitatione illud in primis videtur facere difficultatem; nam ſi dicamus pænitentem in confeſsione, quam facit, non teneri exprimere perſonam complicem, iam videatur ſequi, pænitentem non integrare confeſsionem, reticendo perſonam complicem, quod tamē videtur contra bonam inſtitutionem ſacramenti Pænitentiæ, quæ petit integritatem, Ioan. 20. ex quo loco illam probauit Concil. Triden. ſeſſ. 14. cap. 5. & nos ſuo loco oſtendemus. Quòd ſi dicas, poſſe, & teneri pænitentem perſonam complicem exprimere, iam videatur ſequi, licere perſonam aliquando infamare, quod tamē videtur contrà Ius diuinum, naturale, quod præſcribit, conſulendum eſſe famæ proximi, ſicut & noſtræ. Pro quâ re, Cōc. Trid.

Supponendum primò eſt, hic non eſſe difficultatem, An, quando periculum eſt, aut euidens, aut probabile, ne ex confeſsione à pænitente facienda aliquod peccatum proueniat in ipſum, poſsit ipſe omittere, aut ipſam confeſsionem, aut integritatē ex parte; certū enim eſt in hoc caſu, ex communi ſententia, poſſe peccatorem, aut circumſtantiam illam, vnde timet peccati periculum, omittere; ità

S. Tho.

S. Tho. in 4. d. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiun. 4. ad quintum. Palud. ibidem quæſt 5. Adrian. in 4. q. 1. & 4. de confeſſ. Sotus in 4. d. 18. q. 2. art. 5 Medina C. de confeſſ. quæſt. 10. Nauar. in manu. c. 7. nu. 3. & 4. Canus p. 5. releƈt. de pænit. Toletus lib. 3. ſupra c. 8. nu. 6. Giuſſano nel dialogo terzo della cõfeſsione: & alij, quos refert, & ſequitur Suarius ſup. diſput. 23. ſeƈt. 2. de integ. forma confeſſ. & ratio id oſtendit, quia præceptum de bono ſpirituali conſeruãdo, longè eſt anteponendum cuicunq; alteri præcepto, etiam de integritate confeſsionis ſeruanda, cùm ſit de meliori bono, & præter eà ſtriƈtius præceptum ſit, ac omninò indiſpenſabile, quod inſpicit bonum ſpirituale, quàm quod præcipit integram confeſsionem, cùm hoc non obliget tanto rigore, ac aliquãdo ſit diſpenſabile, vt docet Canus p. 5. releƈt. de pænit. & patebit ex dicendis. Dixi, quando periculum eſt euidẽs, aut probabile, quia, vt benè aduertit Adrian. in 4. de confeſſ. q. 4. quando periculum eſt dubium, ſemper preſumendum eſt pro meliori parte. Dixi ſecũdò, excuſari tunc pænitentem, vel à tota confeſſione, vel ab integritate: à tota confeſsione quidem, quia interdum fieri poteſt, vt ex aƈtu confeſsionis præcisè ſequatur periculum peccati in genere, & tunc perinde eſſet, ac ſi pænitenti non eſſet copia confeſſarij, neque eſſet facultas adeundi alium, & tunc excuſaretur à confeſsione ſimpliciter, ut docent Canus p. 5. releƈt. de pænit. Medina ubi ſupra q. 10. ab

integritate verò, ſi huiuſmodi periculum naſcatur ex aliquo peculiari peccato, tunc, inquam, pænitens excuſaretur ab integritate, ſcilicèt à confeſsione illius peccati, vnde tale periculum immineret, ut docuit Viguerius loco infrà citando.

Neque placet quod aliqui dicunt, peccatũ illud à pęnitente explicandum eſſe in genere, quia alioquin præberetur occaſio confeſſario interrogandi pænitentem de ſpecie illius peccati ſic cõfeſsi, vnde pęnitens in maiores fortaſsis anguſtias redigeretur.

Supponendum ſecundò, neque hìc eſſe difficultatem, vtrum id ipſum ſit dicendum de confeſsione, quod diximus de pænitẽte, ſi accidat, ut ex confeſsione alicuius peccati, aut circumſtantiæ ſit periculum aliquod peccati in ipſo confeſſore: Et licèt de hoc videatur eſſe aliqua difficultas, attamen illud videtur certum ex Maiore in 4.d.17.q.5.ſi peccati periculum immineat ex fragilitate, tunc eandẽ videri rationem de confeſſario, ac de pænitẽte; ſecus verò, ſi periculum immineat ex propria malitia, nam tunc pænitens non excuſaretur ab integritate confeſsionis, ut docẽt Canus p.5. delect. de pænit. & Nauarrus in man. cap.Septimo. nu.4. & deſumitur ex D.Thoma ubi ſupra art.4. & Maiore loco citato; ratio autem huius eſt, quam ſupra adduximus ex ratione ſtrictioris præcepti, nam ſtrictius præceptum eſt illud, quo præcipitur bonum ſpirituale, quàm quo præcipitur integritas cõ- S.Thom.

feſsio-

feſsionis, cùm hoc ſit de Iure diuiuo poſitiuo, illud verò de Iure diuino naturali. Et quoniã diximus non excuſari pænitentem ab integritate confeſsionis, ſi periculum immineat ex malitia confeſſoris; Ideò iure poſſumus hoc loco quærere, Quid ſit peccatum ex malitia; & multis omiſsis, quæ ab alijs dicuntur, crediderim ego, illud dici peccatum ex malitiã propria confeſſarij, quod pænitens poteſt negligere, & non tenetur euitare, & eſt tunc, quando ipſa confeſsio, aut peccatum, quod in confeſsione explicatur, nullo modo præbet occaſionem illius cõfeſſario, ſed hic illam accipit ex ſua malitia: legatur Medina C. de cõfeſſ. quæſt. 10. iam citata. Hac igitur malitia ſic poſita, non excuſatur pænitens ab integrãdo ſuam confeſsionem.

Peccatum ex malitia confeſſoris.

Supponendum tertiò, neq; hic eſſe difficultatem, vtrum idem ſit dicendum, quando periculum eodem modo ſit, ne aliquod magnũ malum pænitens, aut tertia aliqua perſona in vitam, famam, aut etiam in bona fortunæ, ex confeſsione, quam facit, pati debeat; certum enim eſt, ſi huiuſmodi periculum immineat, poſſe pænitentem excuſari ab integritate, ut v. g. ſi periculum eſſet, ne pænitens de aliquo delicto confeſſo manifeſtaretur à confeſſario, ità Paludanus §. 4. diſt. 16. quæſt. 3. Maior ibidem diſt. 15. quæſt. 5. Canus p. 5. releđ. de pænit. Caietanus verb. confeſſ. cond. tertia. Sotus in 4. d. 18. quæſt. 2. arr. 5. ad quartum. Viguer. in Sum. cap. 16. verſ. 17. Armilla ver. circum-

cumſtantia, nu. 11. Medina C. de confeſſ. q. 10. Nauar. in man. c. 7. nu. 3. Toletus vbi ſupra. Giuſſano ſupra dialogo terzo; Leonard. Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 11. dub. 11. Et ratio eadem eſt, quam ſupra adduximus, quia ſcilicèt cõcurrentibus duobus præceptis ſemper ſit habenda ratio illius, quod continet maius bonum, cuiuſmodi eſt in eo caſu præceptum de conſeruanda aut vita, aut etiam fama, tùm ſui ipſius, tùm etiam proximi, cùm præterea non ſit exiſtimandum, vt etiam notat Medina loco citato, Deum, aut Eccleſiam noluiſſe obligare mortales tanto rigore, ut ex confeſsionibus, quas pro tempore feciſſent, ſubirent periculum aut vitæ, aut etiam infamiæ; nã, vt ait D. Bernardus libro de præcep. & præcep. diſpenſat. *Sacramentum hoc inſtitutum eſt à Chriſto D. ex nimia charitate, quemadmodum & cætera omnia, quæ Chriſtus in terris exiſtens inſtituit*: eſſet autem contrà diuinã charitatem, ſi quãdo pænitens malum aliquod ex hoc Sacramẽto reciperet, aut quicunq; alius; & confirmatur, quia ſi ſic eſſet, maximè redderetur hoc Sacramentum mortalibus exoſum; contrà ea, quæ iam poſuimus. D. Bernar.

Supponẽdum quartò, neque etiam eſſe hic difficultatem, Vtrum pænitens poſsit integrè confiteri, reuelando etiam perſonam complicem confeſſario illi, quem benè nouit, ſibi, & complici poſſe prodeſſe, minimè verò obeſſe; nam certum eſt in omni ſententia, pænitentẽ id omninò poſſe; ſic Nauar. in cap. cõſideret,

diſt.

diſt.5. nu.96. Item neq; eſſe difficultatẽ, quãdo conſiderata qualitate tùm culpæ, tùm perſonæ, quæ in confeſsione eſſet exprimenda, parum eſſet tale peccatum attribui tali perſonæ; certum enim eſt ex communi ſententia,& tunc pænitentem poſſe reuelare complicẽ in confeſsione, quam facit; ità docẽt Canus vbi ſupra, & Suarius diſput.34. ſect.2. nu.1. Ratio autem vtriuſq; eſt, quia in his, & ſimilibus caſibus,aut nulla eſt læſio famæ proximi, ut oſtẽdemus, aut ità leue, & exiguum malum, vt meritò poſsit pro tanto negligi bono. Quare in his omnibus caſibus nulla eſt difficultas, & omnes conſentiunt.

Supponẽdum vltimò, totam difficultatem, de qua nunc agimus, in eo tandem conſiſtere Quid ſit dicendum, ſi pęnitens exprimat confitendo circumſtantiam aliquam, aut peccatũ complicis, vnde benè à confeſſario complicis perſona dignoſcatur, vt ex hoc complex apud illum pati poſsit infamiam; vtrum, inquam, teneatur pænitens circumſtantiam illam, aut peccatum exprimere, an verò reticere.

Supponimus autem hoc loco, hunc pænitẽtem, moraliter loquendo, nulla alia via poſſe peccatum ſuum exprimere in confeſsione, abſque eo, quòd manifeſtet complicẽ, & præterea non habere alium confeſſarium; niſi illum, cui ſi cõfiteatur delictum, aut delicti circumſtantiam, benè nouit complicem; nam aliàs certum eſſet ex communi ſententia, quã habent Sotus in 4. diſt.18. q.2. art.5. ad quar-

tum

tum. Canus p.5. releꝗ. de pænit. Nauarrus in cap. conſideret diſt. 5. nu. 96. & 97. & Silueſt. verb. confeſsio primo. §. 28. cum alijs cõmuniter, ſi huiuſmodi pænitens poſſet alium adire cõfeſſarium, à quo minimè dignoſceretur tertia perſona, quæ eſſet in confeſsione exprimenda, aut (vt ait Suarius ubi ſupra) poſſet ex modo confitendi quoquomodò illam tertiam perſonam ſubterfugere, pænitentem debere alium adire confeſſarium, & peccatũ aut circumſtantiam illam complicis eo modo ſubterfugere; id quod ſupponimus in omnibus alijs caſibus, quos ſupra attulimus ex cõi ſententia; nam in omni, & quocunq; caſu, (& videtur regula ſatis trita in hac materia) quo pænitens timere poſſet ex cõfeſsione aliquod vel leue malum, etiam infamiæ, ſi commodè poſsit, ſemper adire debet alium confeſſarium, à quo nihil tale ſit timendum, docent Caietanus ubi ſup. cond. tertia. Viguer. de ſacr. pænit. verſ. 17.

Praxis autem huius noſtræ dubitationis varia aſsignatur à DD. legantur Canus ubi ſup. Sotus de teg. & deteg. ſecr. memb.3. quæſt.4. Nauar. in manu. cap.7.nu.3. Iacob. de Graſſ. ſupra nu. 29. communiter tamẽ illa eſt de Sacerdote, qui captus à malo Demone, acceſsit ad ſororem ſuam, illam cognoſcendo, vera tamen ignorantia ductus eſſe ſcilicèt ſororem ſuam illam, quam cognouerat, quam tamen ſcit deinde Sacerdos ex confeſsione ipſius ſororis ſibi facta, fuiſſe ſcilicèt ſuam ſororem il-

lam,

lam, quam iam cognouerat; ipſe verò Sacerdos, pænitentia ductus, velit confiteri, neque poſsit alteri Sacerdoti cōfiteri, (quod ſupponimus) niſi illi, cui ſi confiteatur ſe ſuam cōſanguineam cognouiſſe, nouit illam, (ſupponimus enim vnicam eſſe cōſanguineam illius, Sacerdotis, eamq; cognitam à confeſſario.)

Quid ſit in quæſtione. Quæritur, vtrum Sacerdos in eo caſu poſsit reticere circumſtantiam illam inceſtus, ne apud confeſſarium ſuam ſororem infamet, an verò, non obſtante infamia, adhuc Sacerdos ille teneatur circumſtantiam ſororis exprimere, ut ſuam confeſsionem reddat integram.

Marſilius in 4. q. 12. art. 4. ad ſeptimū. Silueſt. verb. confeſſ. tertiò. §. octauo: Armilla ver. circumſtantia, nu. 11. Nauar. tùm in man. cap. 7. nu. 3. tùm in cap. Sacerdos, nu. 160. tùm ex profeſſ. in cap. conſideret, de pænit. diſt. 5. Viguer. in Sum. cap. 16. verſ. 17. Coſm. Philiar. de ſac. pænit. cap. 27. Viual. de circumſtantia confeſſ. nu. 49. Barthol. Medina lib. 1. dell'Inſtruttione de confeſſori, cap. 4. trat. 1. Pietro Giuſſano nel Dialogo terzo dell' integrità della confeſsione; Iacob. de Graff. ſupra nu. 28. & 29. Innocent. & Hoſtien. in cap. Omnis vtriuſq; &c. de pænit. & remiſſ. citatur etiam in hanc ſententiam Illuſtriſs. Caietanus verb. confeſſ. cond. tertia. ſed malè, ut infrà dicā; affirmant, pænitentem in ſua confeſsione potiùs teneri ad celandū perſonam complicem, non integrando confeſsionem, quàm ad complicem manifeſtandum, illam integrando.

Poteſt

Poteſt autem probari hæc ſententia primò, quia ſtrictius ſit præceptum de non infamādo proximum, quàm de integrando confeſsionē, cùm hoc ſit iuris diuini poſitiui, illud verò iuris naturalis, ergò illud obligat: ergò potiùs pænitens tenetur reticere perſonam complicem, ne illam infamet, non integrando confeſsionem, quàm contrà. Confirmatur, quia quando ſunt duæ leges contrariæ, quæ in aliquo caſu ſimul concurrunt, ità vt aut vna, aut altera ſit omittēda, tunc quæ & maior, & ſtrictior eſt, alteri præferri debet, arg. cap. Iulianus, & cap. ſi Dominus, 11. q. 3. & cap. Sicut, de conſecrat. diſt. 1. & in hoc argumento triūphat Nauar. ubi ſupra, ut ſibi perſuadeat, demonſtraſſe intentum. Ergò cū maior, & ſtrictior ſit lex, qua præcipitur bona fama proximi, cùm id ſit iuris naturalis, quàm, qua præcipitur confeſsionis integritas, illa obſeruanda erit.

Secundò probatur, quia ſi periculum eſſet, ne confeſſarius reuelaret aliquōd pænitentis peccatum, vnde ipſe poſſet pati aliquod incōmodum, poſſet pænitens illud peccatum reticere, ut iam ſupra poſuimus: ergò eadem ratione debet pænitens reticere peccatum, aut circumſtantiam illam, vnde poſſet emergere in complicem infamia aliqua etiam penes cōfeſſarium; & probatur ſequela, nam in his eadem videtur eſſe ratio illorum.

S. Thomas in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiun. 5. ad quintum; Almay. ibidem diſt. 17. S. Thom.

S. Bonauẽ. quæſt. 1. S. Bonauen. in 4. d. 21. 2. p. art. 1. q. 3. Durãdus in 4. d. 16. quæſt. 4. Petrus de Palude ibidem diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. Gabriel ibidem quæſt. 1. concl. 5. Adrianus quæſt. 1. de confeſ. ad quartum. Silueſt. ex profeſſo verb. confeſſ. primo. §. 28. Roſella ibidem §. ſexto. Caietan. ver. confeſſ. cond. tertia; Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. memb. 3. quæſt. 4. & in 4. diſt. 18. S. Antoni. quæſt. 2. art. 5. S. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 11. Ioan. Medina C. de confeſſ. tract. 2. q. 9. Toletus lib. 3. ſupra cap. 8. nu. 6. Leonar. Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 11. dub. 11. Suar. ſup. diſput. 34. ſect. 2. num. 3. Abbas in cap. omnis vtriuſq; &c. de pænit. & remiſſ. & videtur ex parte accedere Canus p. 5. relect. de pænit. Dicunt hi omnes, poſſe, & teneri pænitentem exprimere in ſua confeſsione perſonam complicem, vt hoc modo integret ſuam confeſsionẽ, quãdo non poſsit aliter explicare peccatũ, quod tenetur exprimere: neque illam, quàm qui ſunt in contraria ſententia, appellant infamiam, quam dicunt pati perſonam, quæ exprimitur penes confeſſarium, eſſe verè, & formaliter infamiam.

Notan. primò, pænitentem omninò cauere debere, ne ex intentione peccatum aliquod complicis, aut etiam ipſum complicem nominet ſuo nomine in cõfeſsione, quam facit, aut certè ità deſcribat, ut in illius cognitionẽ venire poſsit confeſſarius, quando nulla eſt exprimendi neceſsitas; (ſuppono hìc confeſſarium noſſe complicem, qui à pænitente exprimere-

metetur in confeſsione,) ità Roſella ver. confeſsio primo. §. ſexto. Medina ſupra q. 9. Sotus ubi ſupra, & libro 5. de iuſtit. & iur. quæſt. 10. art. 2. Suarius ubi ſup. ſect. 1. nu. 2. eſſet. n. id grauiſsimum peccatum, ex iiſdem ibidem; & ratio eſt manifeſta, quia ex ſuo genere infamare proximum, penes etiam vnam tantùm perſonam, eſt peccatum mortale, quidquid dicat Caietanus in 2. 2. q. 73. ar. 2. contrà quę multa habet Sotus lib. 5. de iuſtit. & iur. q. 10. art. 2. eſſe autē peccatum mortale patet, quia præceptum de non infamando proximum, eſt præceptum negatiuū, prohibens rem intrinſecè malam; ſicuti eſt præceptum, quo prohibetur non eſſe alienum auferendum, neq; aliquem occidendum; & habetur ex 11. q. 3. cap. inter verba; vnde illud de pœnit. d. 1. c. homicidiorum. 24. qui detrahit fratri ſuo, perinde eſt, ac ſi illum occideret; quare autem detractor famæ proximi dicatur homicida, benè docuit Sotus lib. 5. de iuſtit. & iur. quæſt. 10. art. 3. ad ſecundum, ait enim dici talem, quatenus detractor maculando famam, atq; honorē proximi, eiq; detrahendo, videtur quodammodò illum occidere. *Quare detractor dicatur homicida.*

Neque dicas, ex eo non ſequi proximū infamari, proptereà quia complex à pœnitente ſolùm exprimatur in confeſsione.

Nam, quòd id ſolùm dicatur à pœnitente in confeſsione, nō tollit, quominus malè apud confeſſarium ſentiatur de complice, ut etiam conceſsit Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. ubi ſupra;

vnde, ut ait Suarius ibidem, ex quo pænitens ſine cauſa, & ex malo animo in confeſsione reuelat complicem, multi poſſunt inſequi effectus mali in illum. Confirmatur, quia cùm illa ſit infamia formalis, cùm dicatur complex in confeſsione ſine aliqua cauſa, & cum intentione illum infamandi, ut ſupponimus, erit peccatum grauiſsimum. Dixi, ex intentione, nam hæc facit infamiam formalem, ut paulò poſt oſtendemus. Vnde ſequitur, ut ſi dicatur complex in confeſsione ex inaduertentia, non ſit peccatum mortale, quod benè aduertit S. Bonauentura in 4. d. 21. art. 1. q. 3. Nauarrus in c. 7. art. 2. Confeſſarium debere præmonere pænitentem, ne in ſua confeſsione, quam illi facit, aliquem nominet, ſi quando aduertat illum paratum eſſe ad complicē nominandum, nulla exiſtente neceſsitate; vnde colligere licet ex Roſella ubi ſupra, multò minus licere confeſſario pænitentem interrogare de nomine perſonæ complicis, niſi tamen confeſſarius id faceret aut ex quadam charitate, ut ſcilicèt melius, aut accuratius prouidere, & conſulere poſsit pænitenti, vel etiam in vtilitatem, & bonum complicis, ut v. g. ſi poſſet confeſſarius, adhibita tamen maxima prudentia, impedire aliquod malum, quod cognoſceret ipſe futurum in complicem, vel ex aliqua alia neceſsitate, ut docent Richard. in 4. d. 21. art. 5. Roſella loco citato; Sotus ſupra q. 2. art. 5. ad quartum, Nauarr. in Sum. cap. 7. nu. 7.

Nō exprimi debet aliquis ſuo nomine in cōfeſsione.

Notan.

Notan. ſecundò, detractionem; quæ ex D. Thoma 2.2. quæſt.73. art.1. eſt occulta denigratio alienæ famæ; & explicatur à Greg. de Valent. ibid. diſp.5. quæſt.17. punct.1. Salon. ibid. art.1. Toleto lib.5. ſupra c.63. duplicem eſſe, aliam formalē, materialem aliam; Detractio formalis eſt in eo, ut alterius fama ex intentione lędatur; & ut perſiſtamus in re noſtra ſacramentali, eſt cùm quis peccatum proximi, aut ipſum proximum reuelat in confeſſione, aut ex intentione illum infamandi, aut certè nulla exiſtente iuſta, ac rationabili cauſa: Detractio materialis eſt, cùm quis dicit quidem peccatum alterius, ſed aut ſine intētione illum infamandi, aut non ſine iuſta aliqua cauſa; illa prior de ſe mala eſt, & intrinſecè peccatum, contrà præceptum negatiuum de non infamando proximum, ut colligitur ex D. Paulo ad Roman. 1. *Detractores Deo odibiles:* Iacobi 4. *Qui detrahit fratri, detrahit legi,* id eſt, contemnit legem, teſte D. Thoma ubi ſupra quæſt.74. art.2. ad tertium. & docet Valentia ubi ſupra punct.2. poſterior verò licita eſt, ex eod. Valentia ibid. punct.2. licèt ipſe hāc detractionē non appellet materialem: ſed quidquid ſit de hoc, certum eſt hanc ſecundam, quam nos hìc vocamus materialē detractionem, eſſe licitam, non quia non ſit aliqua detractio complicis (vt perſiſtamus in præſenti caſu) penes confeſſarium, quando à pęnitēte exprimitur in confeſsione, etiā ex iuſta cauſa, eſt enim; vnde benè diximus ex S. Bonauent.

D. Thom. *Detractio formalis.* *Detractio materialis* *Detractio formalis non licita.* *D. Paulus.* *Iacob. 4.* *D. Thom.* *D. Bonau.*

ubi ſupra, teneri pænitētem facere quantum poſsit, ne reuelet aliquem in cōfeſsione; quia tamen detractio illa eſt materialis, ideò eſt licita. Quare autem hæc detractio materialis ſit licita, ut alias rationes omittamus, de quibus infra, illa eſt, quia, dum pænitens confeſsionis cauſa peccatum ſuum, & complicē exprimit, vtitur iure ſuo in bonum ſpirituale ſui ipſius, adimplens præceptum de integranda cōfeſsione, vnde, ſi deinde ex eo ſequatur incommodum aliquod in complicem; quod tamen nullo modo intendatur à pænitente, qui illum exprimit, non eſt illi imputandum, neq; enim quis debet ſua relinquere, ut alteri conſulat; ſicut enim irrationabiliter quis vellet, ne alius exiſtēs in neceſsitate vteretur re ſua, eamq; etiam conſumaret, ut ſibi ſuccurreret; ſic irrationabiliter vellet complex, ne pænitēs vteretur iure ſuo, ne ſcilicet propter ſalutem ſuam ſpiritualem integraret confeſsionem, ut ipſe aufugeret infamiam aliquam, quam pati poſſet penes confeſſarium. Quare pænitens poteſt, & tenetur factum ſuum exequi, explicando in ſua confeſsione ea omnia, quæ ad peccati cognitionem ſunt neceſſaria, etiam ipſum complicem, ſi neceſsitas id poſtulet, & ſi deinde ex eo eueniat complici incōmodum aliquod infamiæ penes confeſſarium, quid ad pænitentem? ipſe enim agit ſua in re ſibi neceſſaria, ut iam diximus; vnde patet, quare infamia hæc materialis non ſit peccatum, ſed licita. Quomodo autem infamia, quæ extrà

Detractio materialis licita.

confeſ-

confeſsionem eſſet formalis, & illicita, fiat materialis, & licita per Sacramentum, notabili ſequenti explicabimus.

Notandum tertiò, multas aſsignari cauſas à Suario ubi ſupra nu. 4. quibus illa actio, quæ in confeſsione exprimitur à pænitente complex, cohoneſtetur, & fiat licita, cùm aliàs eſſet de ſe mala, & illicita; nunc autem vnam, aut alteram rationē afferemus, tertiam verò, quæ videtur omnibus conuenientior, & perfectior, altero notabili aſsignabimus. 3

Prima igitur huius rei ratio petitur ex parte iudicij, altera ex parte vtilitatis: & licèt hæ rationes rem non demonſtrent, ſunt tamē huiuſmodi, ut illam ſatis faciant congruentem. Primò igitur petitur ratio ex parte iudicij, nā, (ut tradunt DD.) ut iudicium in re, de qua agitur, fiat perfectum, cognoſcenda ſunt omnia merita, ac demærita illius, ſecundum omnes circumſtantias, & conditiones, quæ illi accidere ſolēt, ac poſſunt, & ſi ſit reus aliquis, qui ſit ſub Iudice, cognoſcēdum eſt delictum illius ſecundum omnia illius accidentia; de quibus legantur praxes criminal. inde enim pendet tota, ac perfecta cuiuſcunq; rei cognitio. Cùm igitur confeſsio ſacramentalis ſit quoddam iudicium forenſe, ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. & habetur de pænit. diſt. 1. cap. verbum. & multis, inter alios, probat Canus p. 5. relect. de pœnit. Iudex, qui in hoc foro eſt confeſſarius, tenetur, quātum in ſe eſt, cognoſcere delictū, quò ad omnia, quæ aut minue- *Con. Trid.*

re, aut aggrauare ſoleat, vt in illud ferre poſſit rectum iudicium; & deducitur ex cap. omnis &c. de pœniten. & remiſs. vbi dicitur, vt Sacerdos diligenter inquirat de peccatis, & circumſtantijs &c. & præcipitur in 6. Synodo generali can. vltimo; & docet D. Auguſtin. de vera & falſa pœnit. cap. vltimo; & refertur de pœniten. diſt. 6. cap. qui vult. Id quod nullo modo poſſet confeſſarius, niſi pœnitens ſuum delictum ſecundum omnia accidentia, & circumſtantias, quantum fieri poſſet, explicaret. Quare ex hoc ſatis colligere licet, teneri pœnitentem ipſum complicem in cōfeſsione exprimere, ut totam ſui peccati circumſtantiam explicet Iudici confeſſario.

S. Auguſt.

Secundò, petitur etiam ratio huius rei ex parte maximæ vtilitatis, quæ inde percipi poteſt, ex quo, ubi neceſsitas expoſtulet, pœnitēs exprimat complicem in confeſsione. Vtilitas autem maxima eſt, cùm inde plurima bona, tùm in pœnitentem, tùm in ipſum complicem cōſequi poſsint; quæ autē ſint huiuſmodi bona, præter ea, quæ & nos ſupra aſsignauimus, alia enumerat Suarius ſupra ſect. 2. nu. 9. quia ſcilicèt pœnitens plus poſsit mæreri confitēdo illam circumſtantiam complicis, quàm reticendo; quatenus cōfitendo illam ſuperat maiorem quandam difficultatem, neſcio cuiuſdā verecundiæ, ac ruboris, qui ſolet eſſe in pœnitentibus, ex quo confitētur grauiora quædam facinora, quæ ſecum afferant ſingularem quādam erubeſcentiam, ut videre eſt in caſu noſtro,

ſtro, in quo Sacerdos confitetur circumſtantiam illam Sororis; ex quo etiam prouenit ratio maioris meriti, ut alibi dicemus; reſpectu autem complicis maximum bonum videtur eſſe, ſi confeſſarius, data occaſione, poſsit bono ſpirituali illius conſulere, id, quod pluribus modis fieri poſſe, ſatis cuiq; manifeſtũ eſt, & nos ſupra innuimus.

Notandum quartò, licèt præceptum poſitiuum non poſsit de ſe derogare naturali, vt ſic, & materia manente eadem vtriuſq; præcepti, tamen, ſi hæc mutetur, aut etiam mutentur circumſtantiæ præcepti naturalis, ex occaſione præcepti poſitiui aduenientis, & concurrẽtis, aliquãdo cedit ius naturale præcepto poſitiuo, etiã humano, exemplo res fiet clarior: eſt regula Chartuſienſibus, vt nullo vnquam tempore vitæ ſuæ comedant carnes, etiamſi ſcirent, ſine illis non poſſe diù vitam ducere; & tamen cõſeruatio vitæ eſt de Iure naturali, non autem comedere carnes, eſt de iure humano, (Vtrum autem Chartuſienſes, ſecluſo omni ſcandalo, & omni periculo relaxationis ſuarum conſtitutionum, in euidenti periculo mortis, poſſent comedere carnes, ut ſibi vitã dent, alibi dicetur. pro nunc tamẽ ſatis ſit dicere, ſemper plus mihi placuiſſe partem affirmatiuam,) Igitur Ius humanum aliquando præualet Iuri naturali; nam in prædicto caſu, niſi eſſet obſeruantia conſtitutionum, viderẽtur Chartuſienſes facere contrà Ius naturale, niſi vellent manducare carnes, quibus vitam ſal-

De Chartuſianis.

ſaluarent; & ratio huius eſt, quam adducit Suarius ſup. ſect. 2. nu. 6. quia ex præcepto poſitiuo oritur neſcio quæ cauſa ſufficiens, quæ poteſt cohoneſtare actionem illam, quæ aliàs de ſe eſſet mala; vnde fit, vt concurrentibus his duobus præceptis, ac iuribus, cedat ius naturale iuri poſitiuo, quia illud mutat materiam, & circumſtantias, quas antea, non exiſtente precepto poſitiuo, habebat; id quod in re noſtra clarè patet, ſecluſa enim inſtitutione ſacramenti Penitentiæ, grauiſsimum ſcelus eſſet, cõtrà ius naturale, dicere pudenda proximi ſui, id enim eſſet ipſum infamare: at verò poſita diuina inſtitutione huius ſacramẽti, iam actio illa cohoneſtatur, vt poſsit à pænitente dici peccatum, ut ipſius integretur confeſsio; id, quod Chriſtus voluit eſſe in hoc ſacramento, vt iam diximus. Vnde, quæ antea ſine hac inſtitutione diuina erat infamia formalis, iam illa poſita, fit infamia materialis, quæ de ſe, ut iam diximus, non eſt mala, imò bona, & licita. Et hæc eſt potiſsima ratio, cur pænitens, ex quo velit integrare confeſsionem, poſsit detegere complice, & ſic formalis malitia infamiæ, quæ aliàs de ſe eſſet in illa actione, ſi fieret extra ſacramentum, cohoneſtatur, & fit licita, ut patet ex dictis per ſacramentum, quod petit integritatem, ut dicam.

Notan. vltimò, hanc integritatem eſſe de iure diuino, ità tamen, ut aliquando aliquo legitimo impedimento poſsit excuſari, eſſe quidem

quidem de iure diuino patet illo Ioan. 20. & Matt. 16. *Quorum remiſeritis peccata &c.* vnde etiam id colligit Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. legendus eſt Nauarrus in man. cap. 7. num. 1. *Ioan. 20. Matt. 16. Cõc. Trid.*

Triplex autem ſolent Theologi aſsignare impedimentum, Naturale, Morale, & Legale. *Triplex impedimẽtũ.* Naturale impedimentum eſt, cùm quis v. g. dum confitetur ſua peccata, corripitur morbo aliquo ſubito, ut non poſsit amplius loqui, dicitur impedimentum naturale, quo ille ita excuſatur ab integritate confeſsionis, vt poſsit legitimè abſolui, ut habet Concil. Carthag. 4. cap. 76. Canus p. 5. relect. de pænit. Viuialdus de confeſſ. num. 74. & Toletus lib. 3. Inſtruct. Sacerd. cap. 8. num. 1. ſic crediderim excuſari poſſe illos, quibus periculum vitæ immineat, ut ſi multi laborent peſte, aut ſi in naui ſimul periclitentur, poterit tunc Sacerdos, etiam infecta confeſsione, illos abſoluere, quamuis Nauarrus lib. 5. conſil. conſ. 10. num. 2. ſine ratione contrarium aſſerat; noſtra autem ratio eſt, quia preceptum de integrando confeſsionem, cùm ſit iuris diuini poſitiui, non obligat cum tanto rigore, ut oſtendit Sotus lib. 2. de Iuſt. & iur. q. 8. ar. 2. *Conc. Carthag.*

Illud tamen (licèt videatur extra noſtrum propoſitum) in prædictis caſibus notandũ eſt, illos ſic abſolutos, quamuis poſsint ſortiri effectum confeſsionis, & iuſtificari, attamen ſi deinde conualeſcant, teneri illos iterum ea peccata ſubijcere clauibus, ſi memoriæ occurrant, ex communi ſententia, quidquid dicat

Rodriq.

Rodriq. ſuprà cap. 58. de confeſſ. num. 3. Morale impedimentum eſt, quando v. g. ex confeſsione alicuius peccati immineat periculum aliquod, aut peccati, aut infamiæ, aut etiam alicuius damni in pænitentem, vel confeſſarium, vel in vtrumque; tunc enim, ut iam ſupra adnotauimus, & libenter concedit Nauarrus cap. 9. nu. 15. excuſatur pęnitens ab integrando confeſsionem, & verè obtineret beneficium abſolutionis. Demùm impedimentum Legale oritur, ex quo peccatum ſit Superiori reſeruatum, de quo multa Nauar. c. 25. nu. 6. Toletus lib. 3. ſupra c. 8. nu. 3. & 4. & Pietro Giuſſano nel terzo dialogo della cōfeſsione. Vtrum autem hoc impedimentum ex ſe, & ex natura rei excuſet pænitētem ab integritate, non facilè dixerim, quod tamen examinabimus ſuo loco, Deo fauente, in Tractatu de integritate confeſsionis.

His igitur poſitis,

Reſpondeo ad dubitationem, ſemper mihi probabilius, & verius viſum eſſe, quod aſſerunt DD. ſecundæ ſententiæ, potius ſcilicèt integrandā eſſe confeſsionem, perſonam complicis exprimendo, ſi neceſsitas id exigat, quā diminuendam illam eandem, complicem reticendo.

Probatur primò noſtra Cōcluſio, quia Chriſtus D. (id quod de fide eſt,) inſtituit confeſſionem propter ſalutem ſpirituale mortalium, ſed huic non benè conſuleretur, niſi, data neceſsitate, exprimeretur huiuſmodi perſona

com-

complicis, eſt enim communis ſententia. circumſtantias mutantes ſpeciem peccati eſſe in confeſsione neceſſariò exprimẽdas; ut habet Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. & docet S. Thomas in 4. d. 16. quæſt. 16. Durandus q. 4. Silueſt. ver. confeſsio primò. §. 9. Nauar. ca. 6. nu. 3. Canus p. 5. relect. de pænit. Couar. 1. p. de ſponſal. cap. 1. nu. 14. & alij, ergò. Ex quo poſſumus colligere, in præſenti caſu ſtrictius videri præceptum de integrãda confeſsione, quàm de non nominando aliquem in ea, ut habet Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. maximè cùm ex hoc, vt iam diximus, nulla ſequatur infamia, quæ ſit vera, & formalis, in complicem, quem in confeſsione pænitens de neceſsitate nominet: huius autem rationem iam ſupra retulimus. Confirmatur, quia poſita inſtitutione ſacramenti pænitentiæ, magis refert, ut debità reuerentia tractetur, & conſeruetur in ſua puritate confeſsio, quàm quòd vnius complicis peccatũ, vni Sacerdoti, aut occultetur, aut reueletur, ut docuit Suarius ubi ſupra ſect. 2. nu. 8. ſed ſic conſeruari non poteſt, niſi confeſsio habeat ſuam integritatem; nam cùm ſacramẽtum Confeſſionis. ut iam diximus, pertineat ad iudicium quoddam forenſe, petit integram cognitionẽ rei, & præterea audiri, & cognoſci ſocios delicti, & alia huiuſmodi, ut benè tradit Suarius ſupra num. 7. & Canus p. 5. relect. de pænit. & remiſſ. ergò.

Cõc. Trid.
S. Thom.
S. Bonau.

Secundò probatur, quandocunq; duo in-

com-

commoda concurrũt ex re, quæ neceſſariò eſt facienda, Ius naturale præſcribit, minus eſſe eligendum, prætermiſſo maiori, ex Ariſt. 2. Ethic. c. 9. & approbat Conc. Tolet. diſt. 13. duo mala, ſed minus incommodum eſt, complicem in confeſsione detegi, quàm infringi confeſsionis integritatẽ, ergò illud potius debet eligi; probatur minor, tùm ex ipſa inſtitutione ſacramenti, quæ, ut diximus, petit integram confeſsionẽ, tùm ex alijs circumſtantijs, & bonis ſpiritualibus, quæ inde oriri aſſueuerunt, quæ non eſſent, niſi illa complicis circũſtantia exprimeretur, ut docuit Suarius ibidẽ nu. 9. & nos ſupra; tùm quia illa, quæ reputatur infamia penes confeſſarium, verè, & formaliter nõ eſt talis; namſupponimus ex parte pænitentis non eſſe intẽtionẽ, complicem infamandi, ſed ſolùm explicandi peccatũ ſuum, quò ad ea, quæ ſunt neceſſariò explicanda; tùm denique, quia adeſt legitima cauſa, vnde cohoneſtatur actio illa aperiendi complicem; cùm enim non poſsit à Iudice confeſſore cognoſci peccatum, quò ad omnia, niſi etiã cognoſcatur complex, videtur recta ratio poſtulare, ut ab illo debeat etiam cognoſci circumſtantia complicis, cùm ſit ex illis circumſtantijs, quæ mutent ſpeciem peccati, & conſequẽter neceſſariò confitendæ; vnde ſequitur, cùm ex illis duobus minus ſit malum, ut exprimatur illa circumſtantia, integrando confeſſionem, quàm contrà, potius illud erit eligendum.

Ariſtot.
Cõc. Tolet.

Tertiò

Tertiò probatur Concluſio, ſi quæ poſſet ab aduerſario afferri ratio, ut omninò ſit reticendus complex in confeſsione, maximè eſſet, quia inde ſequeretur infamia in illũ; ſed hoc non debet impedire, ergò. Minor probatur, quia tunc ratio infamiæ deberet impedire, quando vera eſſet infamia, quæ ſequeretur, ut iam diximus; ſed in caſu noſtro ſolùm materialiter eſt infamia, quam diximus non eſſe malam, ut in comparatione maioris boni, cuiuſmodi eſt integritas cõfeſsionis, facilè poſſet contemni. Confirmatur, nam quì fieri poteſt, vt ille coram Chriſto Domino, cuius confeſſor vicem gerit in actu cõfeſsionis, ex Gloſ. de pænit. diſt. 1. cap. Verbum Dei; ab eoq; habet auctoritatem, ex cap. Firmiter, de Summa Trinit. & fide cath. & multis, inter alios, probat Melchior Canus p. 5. relect. de pænit. infamiam patiatur? cùm totum id, quod confeſsioni mandatur, ſub ſigillo perpetuo ſit. Accedit ex Soto in 4. d. 18. quæſt. 4. nu. 5. quòd totum illud, quod ex confeſsione ſcitur à confeſſario, illud ſciatur ab eo, non ut homo eſt ſimpliciter, ſed ut homo Deus, ut ſuo loco dictum eſt, cuius proprium eſt obliuiſci peccatorum, & miſereri, ut iam ex ſacra Scriptura ſect. 1. probauimus; & confirmatur ſecundò, quia licèt fama proximi res magna ſit, cõſeruariq; debeat, quantum fieri poſsit; attamen, quando eſt in præiudicium maioris boni, uti eſt integritas confeſsionis in caſu noſtro, ſit minoris boni, vel potius parui momenti, ut Gloſſa.

etiam concedunt Coſmus Philiar. ubi ſupra; Toletus ſupra cap. 8. nu. 6. & Suar. ſup. nu. 8.

Quartò probatur concluſio, Quæ ſunt altioris ordinis, debent anteponi ijs, quæ ſunt inferioris; ſed bona famæ, in confeſsione, ſunt inferioris ordinis, bona autem animæ ſuperioris, ergò hæc ſunt illis præferenda; ſed integritas confeſsionis ſpectat ad bona animæ, ergò hæc alijs bonis eſt præferenda.

Vltimò arguitur, nullum eſt impedimentũ, quo poſsit impediri in caſu noſtro integritas, ergò: probatur antecedens, quia nullum eſt impedimentum naturale, quod ſupponimus, nullum legale, ut de ſe patet; ſed nullum etiã eſt impedimentum morale, ergò probatur aſſumpti tertia pars, quia tunc eſt impedimentum morale, quando imminet aliquod damnum, aut infamia aliqua publica in pœnitentem, aut in cõfeſſorem, aut in aliquam aliam perſonam; aut deniq; ſit periculum, ne confeſsio reueletur; ſed nihil tale ponitur in caſu noſtro, ergò.

Ad primum, pro prima ſententia, nego antecedens, ratio verò iam patet ex dictis.

Ad confirmationem Reſpondeo, argumẽtum benè valere, ſi ponamus, tàm legem naturalem, quàm legem humanã retinere ſuam vim, & ſuas circumſtantias: quoniam autem in caſu noſtro lex naturalis de non infamãdo proximum, poſita inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ, mutat ſtatum, ideò ceſſat etiam cõcurſus ille, remanente ſolùm præcepto poſiti-

no diuino, de integranda confeſsione.

Ad ſecundum reſpondeo, primò, negando ex eo ſequi aliquam infamiam, quæ verè ſit infamia, ut habent Toletus, Leſsius, & Suarius, ubi ſupra: ſed ſi quæ ſit, illa tantũ eſt materialis, quæ non debet tollere vim præcepti poſitiui, quæ in caſu noſtro formaliter militat, & ligat.

Secundò reſpondeo, negando paritatem, nam primum debet pænitens, quia confeſsio, quæ fuit inſtituta ex vi amoris, non debet reddi inutilis, ac damnoſa alicui; quare ſi cognoſcat pænitens ex confeſsione, quã ſit facturus, malum aliquod inſequuturum, poteſt, & debet deſiſtere à confeſsione illius, vnde malum timet, ut ſupra dictum eſt, ex communi ſentẽtia; non ſic autem ſecundum, quia inde neq; ipſe pænitens, neq; alius patitur detrimentum aliquod, quod non poſsit contemni, in comparatione maioris illius boni, quod eſt integritas confeſsionis.

Quare ex his, quæ fortaſsis longiora ſunt, concludendum videtur, longè veriorem eſſe ſecundam ſententiam, prima, licèt & hæc nõ videatur ſpernanda, tùm propter auctoritatẽ grauiſsimorum auctorum, qui illam tenuerũt, tùm propter rationem ipſam.

Ex his ſolui poteſt difficultas de complice, qui non ſit quidem conſocius criminis, ſed ex aliquo alio titulo. *Noua difficultas.*

Vtrum ille ſit exprimendus in confeſsione, an reticendus.

Praxis præſentis dubij eſſe poteſt de illo, qui infamauerit Prælatum de aliquo crimine, vel crimen ſit verum, vel falſum, & vult confiteri tale ſcelus, Vtrum teneatur cõfeſſario dicere ſacramentaliter, ſe infamaſſe Epiſcopũ, v. g. aut alium Prælatum, an verò ſufficiat cõfiteri ſe infamaſſe aliquem, non explicando, an ille ſit Epiſcopus, an aliquis alius.

Dicimus ex ſententia Soti in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 5. illud idem in præſenti caſu eſſe cõſiderandum, quod ſupra conſiderauimus in alio, vtrum ſcilicèt circumſtantia illa ſit neceſſaria ad peccati explicationem, nec ne; nam ſi primum, erit circumſtantia illa omninò explicãda; ſi ſecundum, non erit explicanda; & hoc dicimus etiam in eo caſu, quo confeſſarius ex confeſsione ſciret, & noſſet Epiſcopum, quem de crimine infamaſſe ſe fatetur pænitens.

Sequitur primò falli Armillam ver. circumſtantia, nu. 11. Viguerius de confeſſ. verſ. 27. Viualdus de confeſſ. nu. 49. qui in ſui ſententiam citant Illuſtriſs. Caietanum ver. confeſſ. conditione ſeptima; perinde quaſi Caietanus ſenſerit contrà noſtram concluſionem; cùm tamen habeat, loco citato, hæc verba, *Quod ſi aliter fieri nequit, & confeſſor vir eſt bonus, ità quòd nulla ſit ſuſpitio futuræ infamiæ, aut cuiuſcunq; periculi, explicari poteſt.* quid clarius? hoc autem nos ſupra diximus. Loquitur autẽ Caietanus de complice, ut patet legenti.

Sequitur ſecundò, malè Canum p. 5. relect. de pænit. dixiſſe, illam circumſtantiam com-

plicis tunc ſolùm eſſe explicandam, cùm quis confitetur in articulo mortis, extrà quem vult non eſſe exprimendam circumſtãtiam in confeſsione à pænitente: nam huiuſmodi integritas confeſsionis non aliunde petenda eſt, quàm ex neceſsitate explicandi peccatum ſacramentaliter. Vnde ſi pecatum nullo alio modo explicari poſsit, quò ad omnia, niſi circumſtãtia illa complicis dicatur, vel pænitens confiteatur ex neceſsitate, vel ex voluntate, non ſtante aliqua neceſsitate, ſemper erit illa explicanda; quòd ſi circumſtantia non ſit neceſſaria, ut ſupra, tunc etiam vel cõfiteatur vno, vel alio tempore pęnitens, nunquàm erit explicanda, ut optimè docuerunt contrà Canum Sotus in 4. d. 18, quęſt. 2. artic. 5. ad quartum; & Suarius ſupra nu. 12.

Sequitur tertiò, tutius eſſe, ut pænitens, qui habet peccati ſocium explicandum in confeſſione ſua, quærat confeſſarium, qui non agnoſcat complicem, ſi id de facili poſsit, & ipſe pænitens velit, ut aſſerũt Melchior Canus, Medina ubi ſupra, & Suarius item ubi ſup. nu. 13. quòd ſi nolit, ſed adhuc velit ſuo confeſſario ordinario confiteri, qui complicem norit, nullo modo videtur damnandus in aliquo, propter rationes iam ſupra factas, ex iiſdem ibid.

Sequitur quartò, neq; propterea videri diſtrahendam confeſsionem, ex quo ſcilicèt pænitens nollet manifeſtare complicem criminis ſui confeſſario, qui nouerit illum, quando neceſsitas vrget confitendi, (ſuppono autem

nullum alium, niſi illum, qui nouit complicem, eſſe tunc confeſſarium) Imò neq; etiam, quãdo nullum eſſet præceptum confitendi, eſſe differendam confeſsionem, ex eo titulo, non infamandi ſcilicèt complicem, nam hic titulus non debet hominem priuare tanto bono, ſicut eſt ſacramentum Pænitentiæ, cùm prætereà illa infamia aut nulla, aut ſatis parua ſit, ut poſsit paruipendi pro tanto bono, niſi tamen ratio temporis expectandi breuior eſſet, quia ſcilicèt alius citò aderit confeſſarius, qui non nouerit complicem, tunc enim, quia id poſſet expedire, facilè concedi poſſet, ex Suario ſupra, & alijs.

Conſilium pro confeſſarijs.

Sequitur vltimò, ſi quãdo pænitentes extrà neceſsitatem in ſuis confeſsionibus, quas pro tempore faciunt, complicem criminis manifeſtarent, admonendos eſſe, & cautè obiurgandos à confeſſarijs, ne impoſterum complicem dicant, non exiſtente neceſsitate ad circumſtantiam aliquam criminis explicãdam, ut innuit Abbas in cap. Omnis &c. de pænit. & remiſs. & ſequitur Medina ubi ſupra.

His igitur explicatis, quæ ad neceſsitatem exprimendi complicem in confeſsione erant dicenda, veniendum eſt ad principalem difficultatem, quam initio propoſuimus, & eſt,

Vtrum perſona complicis cadat ſub ſigillum.

Ad

Ad quam breuiter Reſpondeo, perſonam complicis, quæ ex neceſsitate dicitur in confeſsione, cadere ſub ſigillum eodem modo, quo cadit perſona ipſa pænitentis. *Perſona cõplicis expſſa in cõfeſſione cadit ſub ſigillũ.*

Hanc concluſionem habent Silueſter verbo confeſſ. tertiò, §.tertio; S.Antonin. 3.p.tit.17. c.22. §.tertio; Roſella ver. confeſſ. celatio. nu. 13. Angelus eodem verbo §.17. Tabiena eod. verbo nu.7. & 8. Sotus in 4.d.18. quæſt.4. ar.5. & in lib. de teg.& deteg. ſec. mem.3. quæſt.4. concluſ.3. Suarius ſupra diſputat. 34.ſect.3.nu. 2. & alij. *S. Antoni.*

Probatur autem concluſio, quia illa cadũt ſub ſigillum ſaltem indirectè, quæ ità ſunt neceſſaria ad confeſsionem, ut, ſi à confeſſario dicantur, poſſet indirectè peccator depræhẽdi, ut habet Caietanus verb. confeſſ. ſacram. in fin. aut poſſet reddi moleſta confeſsio, vt habet Medina ubi ſupra, ſed huiuſmodi eſſet perſona complicis, niſi caderet ſub ſigillum, ergò, Confirmatur, quia, ut iam diximus, ſigillum eò tendit, ut pænitens poſsit liberè explicare ſua peccata. & omnes circumſtantias, quæ illis poſſunt accidere; ſed ſi ſciret pænitens, complicem non eſſe habẽdum à confeſſario ſub ſigillo, non liberè confiteretur ſua peccata, neq; liberè exprimeret circumſtantiã complicis, imò fortaſſe ex huiuſmodi periculo illam reticeret, quod maximum eſſet inconueniens, ergò. Dixi in concluſione, eodẽ ferè modo, quo perſona ipſa pænitentis; nam ex ſuperioribus certum eſt, pænitẽtem primò,

& per ſe, compræhendi ſub ſigillo, cùm in ipſius bonum ſit ordinatum. Cùm igitur eadem ſit ratio pœnitentis, & complicis, quò ad hoc, complex erit omninò à confeſſario ſigillo reticendus, ſicut & pœnitens.

Et hæc dicta ſint de tota hac dubitatione.

QVARTA DVBITATIO.

An, qui Confeſſor cognouit ex confeßione, pœnitentem eſſe excõmunicatũ, teneatur illum euitare, aut in ſecreto, aut in publico.

NOn ab re de propoſita quęſtione agimus hoc quarto, & vltimo loco, cùm enim in ſuperioribus actum ſit de ijs, quæ indirectè cadunt ſub ſigillum, Iure optimo nunc agendum videtur, vtrum eadem ratione cadat ſub ſigillum, ſi confeſſarius ex confeſsione nouerit aliquem excommunicatum, ità ut hunc non debeat euitare aliquo modo.

Suppõnẽdum eſt, ex Soto lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 2. quæſt. 4. concluſ. 8. & Viual. de excommun. nu. 70. non licuiſſe ex iure antiquo participare cum excommunicatis, quomodocunque, ſiue illi eſſent occulti, ſiue manifeſti, ſiue denunciati, ſiue non, ut patet ex cap. cùm non ab homine, de ſent. excom. At verò ex iure nouo factum eſt, ut nullus alius

excom-

excommunicatus eſſet euitandus, niſi qui eſſet à Iudice denunciatus, ac nominatus, aut eſſet publicus clerici percuſſor, ut patet ex cõſtitut. Ad euitanda ſcandala, in Concilio Conſtan. *Conc. Conſtan.*

Praxis autem præſentis difficultatis, ut clarior fiat, hìc à nobis ponenda eſt. Supponamus ergò confeſſarium ſacramentaliter audiuiſſe neſcio quẽ Bononiæ, qui iam Romæ fuerat publicè denunciatus excommunicatus à Iudice, idq; ſolùm ex confeſsione reſciuiſſe; vtrum confeſſarius ex illo tempore, quo illum ſacramentaliter audiuit, excommunicatumq; agnouit, poſsit aliquo modo euitare, quò ad communem ſocietatem. Dixi, Bononiæ, nam ibidem audiui hunc caſum, & propoſitum, & definitum, in ſolita noſtra Academia, per admodùm Reuer. P. Iulium Cæſarem Baronium Academicum, virum in his ſatis cõſumatum, ac experientia doctum, & in adminiſtrandis rebus domeſticis integerrimum, ac maximè prouidum: vt igitur hoc loco referam, quæ ab ipſo dicta ſunt, primo loco enumerabo ſentẽtias de more noſtro.

Alij dixerunt, confeſſarium poſſe talem excõmunicatum, ſic cognitum in occulto, euitare; Ità Adrianus, quem refert Medina in C. de confeſſ. quęſt.47. Nauarrus accedit ad hãc ſententiam in cap. Sacerdos, de pænit. diſt.6. nu.146. addit tamen Nauarrus, illum pænitentem non poſſe in publico euitari à cõfeſſario.

Alij vtuntur diſtinctione, vel enim dicunt,

ſi confeſſarius talem cognitum ex cõfeſsione, euitaret, ſequeretur aliqua ſuſpicio de illo, nec ne; nam ſi ſequeretur, aſſerunt, Sacerdotem illum non debere talem pænitentem, ſic cognitum euitare; ſi verò nihil tale ſequeretur, aſſerunt, teneri confeſſarium euitare excõmunicatum illum ex confeſsione cognitum; ità Scotus in 4. d. 21. quæſt. 2. & videtur accedere Angelus ver. confeſsio vltimo, §. decimo; Tabiena ſupra nu. 14.

Alij tertiò ſimpliciter aſſerunt, huiuſmodi excommunicatum notum ex confeſsione, nullo modo, neq; in ſecreto, neq; in publico, poſſe euitari à confeſſario; ità Richardus in 4. d. 21. art. 4. quæſt. 2. Silueſter ver. confeſſ. vltimò, quæſt. 17. Armilla vbi ſupra nu. 7. Medina ſupra quæſt. 47. Sotus de teg. & deteg. ſec. m. 3. quæſt. 4. ſub fin. Suarius ubi ſupra ſect. 6. nu. 4. & alij.

Excõmunicatus solũ cognitus ex cõfeſsione nõ euitãdus à cõfeſſore.

Reſpondeo ad dubitationẽ, Confeſſarium, qui ſolùm cognoſcat pænitentem eſſe excommunicatum, & denunciatum ex confeſsione ſibi facta, non ſolùm non debere illum euitare in publico, ſed neq; etiam in ſecreto.

Probatur, & explicatur Cõcluſio, & primò, ꝙ non debeat euitare in ſecreto, quia quãuis in ſecretò nõ fiat reuelatio confeſsionis, vt eſt contrà famam, ut ait Medina ubi ſupra; quia tamen ex hoc incutitur neſcio quæ iniuria, ac rubor pænitenti, ideò nullo modo confeſſarius debet illum euitare; ſigillum enim confeſsionis propterea inſtitutum eſt, ne confeſsio fiat

one-

oneroſa, ac moleſta pænitenti, ut toties diximus; nam ſi huiuſmodi pænitens cerneret ex confeſsione facta à confeſſario euitari, impòſterum poſſet reddi tardus ad confeſsionem, aut etiam fortè illam omninò ſubterfugere, quæ nullo modo permitti debent, vtpotè maxima abſurda. Secundò, quòd non debeat illum euitare in publico, probatur, quia id indirectè eſſet reuelare confeſsionem, poſſent enim homines, ſaltèm ipſe pænitens, ſuſpicari, id prouenire ex aliquo peccato in cõfeſsione manifeſtato, ut iam diximus: & confirmatur, quò ad vtrumq; quia (vt ait Siluſter, & Angelus locis ubi ſupra) ſtrictius eſſe vinculum ſigilli ex lege naturali, diuina, & eccleſiaſtica, quàm de euitando excõmunicato, denunciato, ex lege poſitiua eccleſiaſtica ſolùm, ergò: Confirmatur ſecundò, ex Medina, & Armilla, ubi ſupra, quia eodem modo ſe debet gerere confeſſarius in illum excommunicatum, poſt confeſsionem ab illo auditam, ac antè; ſed ſi confeſſarius nullo modo audiſſet illius cõfeſſionem, nullo modo pænitentem excommunicatum euitaſſet; ergò neque poſt debet illum euitare.

Ex his patet, Nauarrum in hac quæſtione tanquàm ſingularem relinquendum eſſe, nullum enim habet fundamentum, vt patet ex dictis. Alios verò DD. qui ſunt in ſecunda ſententia, magis eſſe tollerandos, etiamſi falſum ſimpliciter aſſerant, ex rationibus iam factis.

Obijcit Nauarrus cap. Cùm non ab homine; Obiectio.

ne; de ſentent. excom. ubi dicitur, quòd, qui ſcit in occulto, aliquem eſſe excõmunicatum, debet etiam in occulto illum euitare.

Reſpondeo primò ex Sayro lib. 2. Theſ. conſcien. cap. 12. nu. 14. cum cõmuni; iam caput illud eſſe abrogatum.

Secundò reſpondeo ex Tabiena, & Angelo ubi ſupra, illud caput eſſe intelligendũ, quando confeſſarius ſecretò ſciret pænitentem eſſe excommunicatum aliter, quàm per confeſsionem, non loqui tamen caput de ſcientia, quæ habetur per confeſsionem; nam Eccleſia de hac non iudicat, ut innuit Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. ſub fin.

Obijcitur ſecundò; ſi quis noſcat aliquem eſſe indignum Prælatura ex confeſsione ſola, poterit ex illa ſacramẽtali ſcientia moueri, vt illi deneget ſuum ſuffragium; ergò eadem ratione poterit confeſſarius, quem ex confeſsione ſcit excõmunicatum, ſecretò euitare, & ſic poterit cõfeſſor aliter ſe gerere poſt auditam confeſsionem, quàm ſe geſsiſſet ante illam auditam; quidquid dicat ſecũda ſententia, quæ dictam propoſitionem negat.

Reſpondeo primò, id nos iam ſupra negaſſe, poſſe ſcilicèt denegari ſuffragium illi, quẽ indignum ſolùm nouit ex confeſsione, ſed dignum noſcat confeſſarius alia ſcientia extrà confeſsionem.

Secundò reſpondeo, etiam ſi id concesſerimus, adhuc tamen diuerſam eſſe vtriuſq; rationem; nam quòd confeſſarius poſsit dare

ſecre-

ſecretò ſuffragium cõtrarium illi, quem ſolùm ex confeſsione nouit indignum, ſed dignum alia ſcientia, non reddit neq; etiam indirectè ſuſpectam confeſsionem, neque aliquo modo moleſtam, neq; aliud parturit incommodum; nam ſi quid tale inde moraliter poſſet ſequi, id nullo modo liceret: quod etiam concedũt ij, qui ſunt in ea ſententia. At verò in caſu noſtro, ſi confeſſarius euitaret talem excõmunicatum ex ſola ſibi facta confeſsione notum, prætérquàm quòd id indirectè poſſet dici cõfeſsionis reuelatio, nam qui ſic videret pænitentem à confeſſario euitari, poſſent ſuſpicari, id oriri ex aliquo delicto, ſolùm confeſſario noto, fieret illi pænitenti odioſa, ac moleſta confeſsio, ex quo animaduertet ſe ex delicto confeſſo à confeſſario euitari: & præterea etiam alijs, ſi deinde pænitens alijs id ipſum diceret, quæ omnia maximè ſunt præcauenda à cõfeſſarijs in Eccleſia Dei. Vnde patet, quæ ſit differentia inter illos duos caſus.

Ad propoſitionem autem illam, vtrum cõfeſſarius aliter ſe gerere poſsit cõfeſsione audita, an non, iam ſupra diximus,

Ex his multa alia ſolui poſſunt. Primò,

Quid ſi Confeſſarius ſciat ex confeſsione ab aliquo pollutã eſſe Eccleſiam.

Reſpondeo, confeſſario omninò tacendum eſſe, neq; aliquid debere manifeſtare, ac denun-

nunciare, ſi tantùm id ſciat ex confeſsione ſacramentali, & non alia via; ità docēt Hoſtien. in Sum. de pænit. & remiſſ. §. in quo; num. 52. Angelus ſup. §. 11. Tabiena verb. confeſſ. celatio, num. 14. & deducitur ex cap. Significaſti, de adul. & ex cap. Si Sacerdos, de off. ord. Et ratio eſt, quia ſi quid tale confeſſarius reuelaret, tanquā auditum ex confeſsione, quoniam hoc ipſum eſſet indirecta quædam cōfeſsionis reuelatio, vt etiam ſupra diximus, ſine dubio redderet moleſtam confeſsionem ijs, qui id audirent, quod omninò diximus fugiendum à confeſſarijs.

Illud tamen in hoc adnotandum eſt, ſi ceſſaret omnis ſuſpicio, confeſſarium id non retuliſſe, quia audierit ex confeſsione, poſſe illū id referre, vel innuere potiùs Epiſcopo, verbis quibuſdam generalibus, dicendo v. g. Caueat Epiſcopus ab hac Eccleſia, quia eſt polluta, vel aliquid ſimile, non deſcendendo ad aliquid particulare, vnde id potuerit habere, aut ſcire, vt colligitur ex cap. iam citato Si Sacerdos, de off. ord. vbi Papa loquens de re ſimili affert verba Chriſti, quæ Apoſtolis ſuis dixit in Cœna vltima, *Vnus veſtrū me traditurus eſt*, Ioan. 13. & referuntur de conſecrat. d. 2. cap. cùm omne. legendus eſt Roſella ver. confeſſ. celatio. initio; quæ verba ſunt generalia, licèt in illo cœtu diſcipulorum eſſet ille, qui Chriſtum erat traditurus: ſic, ut diximus, debet ſe gerere confeſſarius, ſi id commodè facere poſsit.

Ioan. 13.

Secun-

Secundo poteſt ſolui,

Quid ſi Curatus ſciat ex ſola confeſſione aliquos eſſe affines, qua non obſtãte affinitate, illi adhuc in facie Eccleſiæ ſe præſentent ad ſimul matrimonium contrahendum.

Reſpondeo, Curatum teneri illis adhærere, eosq; in facie Eccleſiæ recipere, ac matrimonio coniungere.

Rationem iam ſupra innuimus, nam niſi id Curatus exequeretur, preterquàm quòd id eſſet indirectè manifeſtare confeſsionem, nam alij poſſent ſuſpicari illos in facie Eccleſiæ à Curato non recipi ad matrimonium contrahendum ex aliquo impedimẽto, noto ſoli Curato, fortaſsis ex confeſsione; fieret etiã maximè moleſta confeſsio & ijs, qui matrimonio coniungendi erant, & alijs; ijs quidem, quia facilè coijcere poſſent, id ſolũ ſibi denegari ex cõfeſsione illi facta; alijs verò, quia illud ipsũ poſſent ſuſpicari. Quare, ut hæc omnia ſubterfugiantur, tenetur Curatus, illos ſic præſentatos, matrimonio coniungere; & tenent cõmuniter DD. quos infrà citabimus.

Illud tamen etiam in hoc eſt aduertẽdum, Parochum, ſi id aliqua via ſubterfugere poſſet abſq; eo, quòd aliquod ex incommodis aſsignatis cauſaret, poſſe, & teneri id facere; & *Nota.*

tale

tale matrimonium aut diſtrahere, aut impedire, ut benè conſulunt Sotus de teg.& deteg. ſecr. mem. 3. quæſt. 4. poſt quintam concluſ. & Couarru. in 4. decret. 2.p. cap. 8. §.duodecimo, nu.9. & 12.

Tertiò, poteſt ſolui,

Quid ſi Curatus nouerit aliquem excōmunicatum ex confeßione ſola, qui tamen cum alijs ſe in Eccleſia præſentat, vt ab eo communionem recipiat.

Reſpondeo, huiuſmodi Curatum non poſſe illi denegare ſacroſanctū Euchareſtiæ ſacramentum, maximè verò ſi cum alijs ad illud accederet ſuſcipiendum.

Rationes ſunt eædem, quas ſupra pro alijs dubijs attulimus, quia ſcilicèt, ſi Curatus id non faceret, & indirectè diceretur reuelare confeſsionem, & hanc reddere moleſtam. Deducitur præterea noſtra Concluſio ex cap. Cùm non ab homine; de ſenten. excom. & ex cap.Si Sacerdos; de offic. ord. ubi affert Papa exemplum de Iuda, qui nō fuit excluſus à cōmunione; & eſt doctrina S. Auguſt. & refertur 2.q.1. cap.multi. legantur Sotus loco iam iam citato; & Suarius ſupra diſput.33. ſect.6. nu.3.

Illud tamen in ſupradictis caſibus notandum eſt, nos ſemper in illis ſuppoſuiſſe, à con-

feſſario illa omnia ſcita eſſe tantùm via confeſsionis, & non aliunde, ut diximus in concluſione primi dubij; nam ſi quid ex illis à cõfeſſario ſciretur alia via extrà confeſsionem, tunc poterit de illis loqui, etiam extrà confeſſionem, iuxtà regulas, quas ſupra aſsignauimus in ſimili negotio; neque enim confeſſor amittit ius ſuum, ut poſsit loqui de illis; licèt & id cautè ſit faciendum, ut aliàs diximus.

Et ex his patet, quid ſit dicendum ad alias eiuſdem generis difficultates, in quibus ſemper illud retinendum eſt, ut Confeſſarij aduertant, ne ex eorum dictis ſaltèm indirectè confeſsio ſibi facta reueletur; ut aduertũt Silueſt. verb. confeſſ. tertiò. quæſt. 16. & Nauarrus in man. cap.8. nu.17. vt alios, quos ſupra citaui, prætermittam. *Caueant confeſſarij.*

Atque hæc dicta ſint de ijs, quæ indirectè dicuntur reuelare confeſsionem, & quæ ſpectant ad hanc quartam ſectionem. Reliquũ eſt, ut ad vltimam accedamus.

SECTIO QVINTA, DE PAENIS INFLICTIS contrà reuelantes confeſsionem.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum reuelare confeßionem ſit peccatum.

MEritò hoc primo loco huius poſtremæ ſectionis inquirimus, quod nam peccatum ſit reuelare confeſsionem; ex hoc enim cuique colligendum erit, non inconſultò pænas quaſdam, easq; grauiſsimas eſſe indictas, ac determinatas ijs, qui huiuſmodi commiſerint ſacrilegium. Itaq; id hoc primo loco explicabimus, tùm de pænis inflictis diſſeremus.

Notan. primò, hìc poſſe eſſe dubitationem tàm de Sacerdote confeſſario, quàm de non Sacerdote; hos enim omnes, poſſe ſuo modo ligari ſigillo ſacro, patet ex 3. q.7. cap. Sacerdos. & docent Roſella ſupra §. 14. Armilla nu.6. Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem.3. quæſt. 4. poſt primā concluſionem; & nos ſupra diximus: hìc tamen propriè diſputandum erit de Sacerdote, quod nam peccatum committat, ſi reuelet audita ex confeſsione.

Notan.

Notan. ſecundò, certum videri, Sacerdotẽ confeſſarium reuelando peccare duplici peccato, ex Soto lib.de teg.& deteg.ſecr. mem.3. quæſt.1.concluſ.2. Primo quidẽ peccato contrà iuſtitiam, & fidelitatem, quam, ex quo ſit conſtitutus confeſſor, tenetur ſeruare ipſi pænitenti, vt iam ſupra oſtendimus,& docet Medina ſupra quæſt.49. & Sotus loco citato. Secũdo contrà religionem, quatenus violat rem ſacram, non deferẽdo illi honorem debitum, quidquid dicat Tabiena, qui §. 16. ubi ſupra, multiplicat multas rationes malitiæ in hoc peccato; vnde aſſerit huiuſmodi confeſſarium reuelando peccare primò contrà præceptum diuinum, tùm contrà ius poſitiuum, & vltimo loco peccato ſacrilegij, quatenus violat rem ſacram; in quo mihi maximè diſplicet hæc ſententia: & licèt, quatenus dicit, confeſſorem reuelando fieri violatorem rei ſacræ, mihi placeat; quò ad alia verò, ſcilicèt quatenus dicit illum peccare & contrà diuinum præceptum, & contrà ius poſitiuum, ità ut hæc duo addãt diuerſas malitias, illam probare non poſſum; nam, ut Suarius optimè docet ſup. diſput.33. ſect.1. nu.13. multiplicitas præceptorum non ſufficit ad conſtituendas diuerſas malitias in vna, & eadem re, quando materia, & motiuũ illius eadem ſunt, ut accidit in caſu noſtro: quare ex actu, qui fit contrà virtutem religionis, eſt potiùs deſumenda illa ratio malitiæ, non ex illa multiplicatione præceptorum, quia tàm præceptum diuinum, quàm præceptum

X huma-

humanum in caſu noſtro conſtituunt actum in eadem virtute religionis, & ſub eodē motiuo illum eundem præcipiunt: quare tantùm in illis erit vna malitia decernenda.

Notan. tertiò, diſputari à Suario ſupra ſect. 1. num. 14. quæ nam ex illis malitijs, quas iam aſsignauimus, in hoc peccato reuelandi confeſsionem, ſit magis intrinſeca, & inſeparabilis ab illo. Diſputatio autem propriè eſt de confeſſore, & licèt Suarius ibidem afferat eſſe magis intrinſecam malitiam ſacrilegij, quàm infidelitatis, dicerem tamē ego vtramq; malitiam eſſe illi peccato æquè intrinſecam, & inſeparabilem, & vnam ab alia non poſſe ſeparari: Nam eſto conceſſerim Suario, poſſe dari caſum, quo quis violando ſigillum nō faceret contrà iuſtitiam, quando ſcilicèt reuelatio eſſet in bonum pænitentis; attamen non poterit negare Suarius, etiam in eo caſu, per ſe, & directè confeſſorem facere contrà fidelitatem, quam, ex quo ſit confeſſor, promiſit ſeruare pænitenti, ſaltèm implicitè, ut iam dictum eſt; quare non ſolùm tunc ille, in eo caſu, peccaret contrà religionem, ut ponit Suarius, ſed etiam contrà fidelitatem, & iuſtitiā, pænitenti debitam; nam etiamſi reuelatio illa pro eo tempore ſit in bonum illius, (ſuppono autem hoc loco, nullam eſſe datam confeſſario dicendi facultatem à pænitente) id tamen eſt omninò per accidens, per ſe enim, & formaliter loquendo, reuelatio illa eſt fractio, & violatio promiſsi ſigilli, & conſequenter il-

Nō placet Suarius.

le peccat per ſe peccato iniuſtitiæ, & infidelitatis, confeſsionem reuelando: Vnde cōcludendum videtur, malitiam hanc infidelitatis nō poſſe per ſe ſeparari in hoc peccato à malitia ſacrilegij, niſi tamen Suarius intelligat, malitiam hanc ſacrilegij eſſe magis intrinſecam, & inſeparabilem, quia primò, & principaliter conueniat illi peccato, quod facilè cōcederem; ſed nihil noui, neq; debuiſſet id probare, ex eo, quia vna ex illis malitijs poſsit ab alia ſeparari, nam hoc fundamētum propriè, & per ſe, ex iam dictis patet eſſe falſum; quare in hoc non admodùm probatur ſententia Suarij.

Notan. tertiò, tunc committi huiuſmodi peccatum à confeſſario, quando volens, & aduertens aliquid ex confeſsione reuelat; quare ſi quando aliquid ex ea diceret ex inaduertētia quadam, excuſari poſſet à peccato mortali. Vtrum autem & tunc poſſet excuſari à veniali, non facilè dixerim: Suarius quidem ſupra nu. 12. aſſerit, confeſſarium aliquādo poſſe etiam excuſari ab omni veniali, ex defectu voluntatis, & tunc, quando reuelatio eſſet omninò indirecta, & ipſe nullo modo aduerteret; Quod neq; ſatis probare poſſum, nam imprimis certum videtur, ſufficere reuelationem indirectam, qua aliquo modo prodatur peccator, ad hoc, vt quis dicatur fractor ſigilli, vt iam ſupra oſtendimus; quare ex hoc capite nō excuſaretur à peccato: prætereà hoc ipſo, quòd confeſſarius non aduertat, cùm tamen *Nō placet Suarius.*

teneretur, & deberet ex officio aduertere, nõ videtur excuſandus ſaltem ab omni veniali; id quod etiam tandêm videtur voluiſſe ipſe Suarius ibidem in fine, admonens confeſſarios, ne quid tale committant ex negligentia, quod aliquo modo poſsit confeſsionem pænitentis manifeſtare.

Communis ſententia eſt, Confeſſarios reuelando cõfeſsionem ſibi factam, aut aliquid ex illa, grauiſsimè peccare; ità tenuerunt D. Antonin. ſupra cap.22. §. quinto. Viguer. ſup. de ſigillo confeſſ. Armil. nu.6. Tabiena nu.16. Nauarrus in manu. cap.8. nu.52. Sotus lib. de teg. & deteg. ſecre. mem.3. quæſt.4. Toletus lib.3. nu.8. Iacob. de Graff. ſupr.cap.23. nu.1. Suarius ſup. diſput.33. ſect.1. nu.12. Iacob. de Caſtell. ver. ſigillum. & alij.

S. Antoni.

Vnica Concluſio: Reuelare confeſsionem ex ſuo genere eſt peccatum grauiſsimum.

Probatur Concluſio, primò, quia grauitas peccati ex communi ſententia petitur ex grauitate præcepti, quod violatur; ſed reuelatio confeſsionis eſt peccatum contrà præceptum naturale, diuinum, & eccleſiaſticum, ergò eſt grauiſsimum peccatum.

Probatur ſecundò, grauitas delicti cognoſcitur ex pæna appoſita delicto, vt deducit Ludouic. Molina de iuſt. & iur. diſput.344. nu.4. ergò, cùm pænæ appoſitæ huic delicto ſint grauiſsimæ, ut patebit ex ſequenti quæſtione, qua quæremus de pænis appoſitis ijs, qui confeſſionem vel in totum, vel ex parte reuelarint; ergò

ergò reuelatio confeſsionis erit delictum grauiſsimum; hanc ſequelam facit etiam Sotus de teg.& deteg.ſecr. mem. 3 .quæſt.4. poſt tertiam concluſ.

Vltimò probatur, nam grauitas peccati poteſt peti ex diuerſis malitijs, quæ in eo poſſunt includi; ſed (vt iam patet ex dictis) hoc peccatum reuelandi confeſsionem continet in ſe duas illas malitias, infidelitatis ſcilicèt, & ſacrilegij, ergò.

Dixi tamen ſupra in Concluſione, Reuelare confeſsionem ex ſuo genere &c. nam hìc propriè agimus de ſigillo cõfeſsionis. Vtrum autem reuelare ſimpliciter, ut eſt contrà fidẽ naturalẽm, ſit peccatum mortale, facile poteſt reſponderi ex dictis eſſe mortale, fidelitati, & iuſtitiæ oppoſitum; & docent Sotus lib. de teg. & deteg. ſecr. mem. 1 .quæſt.2.concl.3. & Viguerius ubi ſupra; licèt, ſi ſit reuelatio ſecreti naturalis in re parua, poſsit eſſe veniale peccatum, ex eodem Soto ibidem.

Dixi ſecundò, Reuelare confeſsionem ut ſic &c. quia vnico nomine confeſsionis comprehendimus omnia ea, quæ ſupra diximus cadere ſub ſigillum, peccata ſcilicèt mortalia, ſecundum omnem rationem, ac ſuas ſpecies, peccata venialia, circumſtantias, complices, ac reliqua omnia, quæ directè, aut indirectè indicare poſſunt pænitentem, aut etiam complicem, ut ſupra probauimus ex cap. Omnis vtriuſq; &c. ſupra allato, & explicato.

Difficultas aliqua poſſet eſſe, Vtrum peccata

venialia in ſpecie, aut in indiuiduo ità cadant ſub ſigillum, ut illa dicere extrà confeſsionem ſit peccatũ mortale. In qua difficultate multi multa in Academia noſtra Gratioſa, præcipuè verò ab admodùm Reu. D. Dominico de Peruſijs, & Reu. P. Mag. Alleo, nunquàm ſatis à me aut nominandis, aut laudandis, multa, eaq; ſubtilia audiui diſputata: mihi verò hoc loco ſolùm erit dicendum breuiter, quid ſentiam. Igitur videtur dicendum, peccata venialia ità cadere ſub ſigillum, ut illa dicere extrà confeſsionem ſit peccatum mortale; quod videtur etiam ſenſiſſe Sotus, ubi ſupra; & ratio eſt; primò, quia à pænitente fiunt materia confeſsionis; ergò cadunt ſub ſigillum; ſed frangere ſigillum eſt peccatum mortale, ergò reuelare peccata venialia, ut ſunt materia confeſsionis, erit peccatũ mortale. Priorem ſequelã probo, quia, quidquid aſſumitur vt materia ſacramentalis, cadit ſub ſigillum; ergò etiam peccata venialia, quæ, ut ſic aſſumuntur, cadent ſub idem ſigillum; ergò.

Secundò, probatur idem, & ſimul explicatur, quia licèt ex reuelatione peccati venialis in nullo lęderetur fama pænitentis, aut etiam (quod nunc pono) nullo modo redderetur moleſta confeſsio; quia tamen diceretur aliquid, quod & eſt vera materia ſacramentalis, & indicaret peccatorem, ideò frangeretur ſigillum.

Quare ex his concludendum videtur, confeſsionis reuelationẽ, & quò ad peccata mor-

talia,

talia, & quò ad venialia (niſi in his excuſaret paruitas materiæ, ut iam diximus) ſemper eſſe peccatum, idq; grauiſsimum. Caueant ergò Confeſſarij à tanto ſcelere.
Atque hæc de hac priore quæſtione.

QVAESTIO SECVNDA.

Quæ pœnæ ſint conſtitutæ, & inflictæ, contrà reuelantes confeßionem, tàm in Iure antiquo, quàm in Iure nouo.

Reliquum eſt, vt, poſtquàm ea inueſtigauerimus, quæ pertinet ad ſigillum, ſitq; oſtenſum, quàm graue ſit peccatum, illud infringere; nunc videamus de pœnis, quæ tanto flagitio ſunt debitæ; ſic enim hoc opus perfectum erit.

Notan. primò, hìc poſſe eſſe difficultatem tùm de confeſſario, tùm de laico, & non Sacerdote; qui aut caſu, aut ex neceſsitate, aut etiam ex induſtria aliquid ex confeſsione audierit; & licèt propriè quęſtio propoſita ſit de Confeſſario confeſsionem reuelante, attamē nonnulla etiam dicemus de laico, & non Sacerdote, qui eandē reuelaret confeſsionem.

Notan. ſecundò, ſi de laico, & non Sacerdote loquamur, certum eſſe, pœnas à Canone inflictas non eſſe contrà illos; ità docent Armilla nu. 13. Sotus tùm in 4. d. 18. quæſt. 4. ar. 1. tùm de teg. & deteg. ſecr. vbi ſupra; Nauarrus

in cap. Sacerdos, nu. 165. & alij communiter; & ratio eſt, quia qui non ſunt Sacerdotes, non ſunt capaces illarum pænarum, neque enim laicus, aut non Sacerdos deponi poteſt Sacerdotio, ut infrà videbimus, qui nunquàm fuerunt Sacerdotes; & ſic de alijs: In quo mancus viſus eſt Panormitanus, qui in cap. Omnis &c. de pænit. & remiſſ. dixit, puniri quidē laicum reuelantem audita ex confeſsione, licitè, aut illicitè, non tamen exprèſsit, qua pæna eſſet puniendus. Puniuntur autem laici, qui ſic reuelant, pæna arbitraria, ut voluerunt Armilla, Nauarrus ubi ſup. & Iacob. de Graff. ſupra nu. 37. cum communi.

Notan. tertiò, ſi de Sacerdote Confeſſario loquendum ſit, & de quo propriè eſt quæſtio, certum eſt, pænas à Canone inflictas eſſe contrà illos, qui verè Sacerdotes confeſſarij ſunt, ut clarè deducitur ex cap. Omnis vtriuſq; &c. de pænit. & remiſſ. & affirmant Auctores ſupra citati, & ex dicendis patebit.

Notan. quartò, Verba ex cap. Sacerdos, de pænit. diſt. 6. ſunt hæc: *Nam ſi fecerit hoc*, id eſt, ſi Sacerdos reuelauerit, *deponatur, & omnibus dicbus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.*

Verba autem ex cap. Omnis. de pænit. & remiſſ. ſunt, videlicèt: *Quoniam, qui peccatum in pænitentiali Iudicio ſibi detectum, præſumpſerit reuelare, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendū decernimus, verùm etiam ad agendam pænitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.*

Ex quibus colligimus primò, non eaſdem pænas inflictas eſſe ab vno, & altero Canone, ſed diuerſas; id quod nunc examinandū accepimus, quæ nam ſcilicèt his noſtris temporibus ſint in vſu, & acceptæ pænæ contrà reuelantes. Secūdò colligimus, huiuſmodi pænas eſſe inflictas non contrà eos, qui dicerent peccatum, ut ſic; ſed ut ſaltèm implicitè, aut indirectè ex eo innuitur peccator, aut redditur confeſsio aut moleſta, aut minus amabilis, ut iam ſupra dictum eſt, contrà Panor. in cap. Omnis. de penit. & remiſſ.

Vnica Concluſio: In foro exteriori, ſi inſpiciamus Iura antiqua ex cap. Sacerdos. de pænit. diſt. 6. Confeſſor reuelans confeſsionem, aut aliquid ex confeſsione, quam audiuit, deponendus eſt, & ignominioſus toto vitæ ſuæ tempore exiſtit, & prætereà peregrinari debet. Si verò inſpiciamus Iura noua, ex cap. Omnis vtriuſq; &c. de pænit. & remiſſ. Sacerdos reuelans debet deponi Sacerdotio, & ad agēdam pænitētiam in arctum Monaſterium detrudi. Hæc cōcluſio patet ex verbis allegatis cap. ſuprad. nam nōn poteſt aliunde probari; ſolùm reſtat illam explicare. Pro quo,

Dixi primò, In foro exteriori, nam ſi loquamur de foro penitētiali, huiuſmodi pænæ neq; contrahuntur, neq; infliguntur; ſed Confeſſarius; cui de tanto flagitio alter confitetur, poterit infligere, quas iudicauerit magis opportunas pænas, pro rei grauitate, eo modo, quo infligit pro alijs peccatis; ità docent D. Antonin.

tonin. ſupra cap. 22. & Tabiena num. 16.

In quo tamen illud adnotandum eſt, licèt huiuſmodi pænæ (vt admonent etiam Sotus ubi ſupra; & Iacob. de Graff. nu. 1.) in foro exteriori incurrantur ipſo iure, non tamẽ incurri ipſo facto, & proptereà nõ obligari confeſſarium, qui reuelando confeſsionem fregit ſigillum, ad ſubeundas illas pænas in conſcientia, niſi poſt Iudicis ſententiam, qua ad eas pænas ſubeundas condemnetur; id quod accidere in omnibus pęnis à Iure inflictis docet Silueſt. verb. Aſſaſsinus. quæſt. 5. ver. Hæreſis primò. quæſt. 8. & ver. pæna. q. 25. Sotus lib. 1. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 6. Barthol. Medina in p. 2. D. Thom. quæſt. 96. art. 4. Cordubenſis in ſuis quæſt. lib. 1. q. 37. Couarru. de matrim. p. 2. c. 6. §. 8. nu. 10. Tabiena ver. cõfeſſ. nu. 16. Adrianus quodlib. 6. art. 1. Felinus tùm in cap. Audiuimus de ſimoni. tùm in cap. Canonum. de conſtit. nu. 43. & ſeq. Simanc. de Cat. Inſtit. tit. 9. num. 117. Caietan. in 2. 2. D. Thom. quæſt. 62. art. 3. quæ pęnæ nunquàm intelligũtur contrahi à reo, niſi poſt Iudicis ſentẽtiam; ſic in caſu noſtro pænæ inflictæ ex canone, non niſi facta à Iudice ſententia, intelliguntur inflictæ confeſſarijs.

Dixi ſecundò, Secundum iura noua; quæ, qua parte contrarium ſtatuunt contra vetera, intelliguntur illis derogare, etiam ſi nihil de ipſa derogatione in illis expreſsè dicatur, vt adnotarunt Sotus lib. de teg. & deteg. ſecret. mem. 1. quæſt. 2. Nauarrus in cap. Sacerdos.

de

de pænit. diſt. 6. nu. 171. & Suarius ſup. ſect. 8. & deſumptum eſt ex cap. Licet. de conſtitut. Cùm igitur cap. Omnis vtriuſq; &c. de pęnit. & remiſſ. tollat illam peregrinationem, quam iam decreuerat cap. Sacerdos. de pænit. d. 6. ex Iure intelligitur illa pæna peregrinationis ſublata, id quod non ſine optimo conſilio factum eſt; nam cùm huiuſmodi peregrinatio potuiſſet aliquando eſſe ignominioſa, non ſolùm ipſi tranſgreſſori Sacerdoti, ſed toti etiã Ordini Sacerdotali; Iure optimo Papa illam pænam mutauit, ut rectè adnotauit Calderin. conſ. 1. de vit. & honeſ. cler. Vnde fruſtrà videntur elaboraſſe Hoſtienſis ubi ſup. S. Antonin. cap. 22. Tabiena num. alleg. Sum. confeſ. lib. 3. tit. 34. quæſt. 99. & alij, dum conantur explicare, & concordare illa duo cap. allegata; quò ad illas duas pænas, peregrinationis ſcilicet, & detruſionis in arctum Monaſterii; dicendum enim eſt, iam huiuſmodi peregrinationem eſſe è medio ſublatã, & loco illius eſſe ſubſtitutam detruſionem in arctum Monaſterium; id quod communiter habent DD. Sot. Nauar. Abb. & Suar. ubi ſupra. S. Antonl.

Quòd ſi petas, quid ſi eſſet ſuſpicio, ne talis confeſſor, detruſus ex pænitentia in arctum Monaſterium, fugam arriperet.

Reſpondeo cum Abbate in cap. Omnis &c. tunc Confeſſarium illum eſſe detrudẽdum in ſtrictum carcerem, ne fugam arripiat.

Ex his colligendũ cuique erit, ex nunc nulla alia pæna Confeſſarios, qui ſigillum violarint,

rint, mulctari, quàm pæna contenta in allegato cap. Omnis &c. de pænit. & remiſſ.

Illud ſolùm aduertendum eſt, Confeſſarios ſigillum infringẽtes, tunc ſolùm mulctari prędicta pæna, quando res eſt clara, & nullum eſt dubium, quin Confeſſarius reuelauerit, ità ut aut id conſtet ex allegatis, & probatis, aut ipſe Confeſſarius nõ neget; nam ſi res eſſet dubia, alia ratio eſſet, & tunc oritur alia quæſtio.

QVAESTIO TERTIA.

Quid? quando dubium ſit, an Confeſſarius confeßionem reuelauerit.

NOn ab re proponimus, hoc tertio loco, hanc quæſtionem; nam ex quo ſuperiori quæſtione diximus, ſupradictas pænas non contrahi à Confeſſario, neque illi eſſe à Iudice infligendas, niſi quãdo conſtet de delicto reuelatæ confeſsionis; videndum eſt, atque examinandum videtur nunc, quid, quando non conſtat de delicto, & confeſsione reuelata, vtrum & tunc eodem modo puniendus ſit confeſſarius: quòd ſi non eodẽ modo, quibus pænis tandem ſit puniendus.

Notant nonnulli, in prædicta quæſtione id aduertendum eſſe, An ſi, quãdo Confeſſarius de tali delicto imputetur, ipſe neget, an affirmet; & ſi affirmet, an affirmet ſe dixiſſe, ſed alia via, quàm per confeſsionem, ſciuiſſe, aut

etiam

etiam ab ipſo pænitente facultatem dicendi habuiſſe; an verò ſimpliciter fateatur ſe reuelaſſe confeſsionem. Et his poſitis,

Aſſerunt primò, ſi Confeſſarius cōceſſerit, ſe id quidem, de quo imputatur, dixiſſe extrà confeſsionem, aliunde ſe tamen illud idem ſciuiſſe, debere, & teneri hoc ipſum probare, ità ut probatio nō ad aliū, quàm ad ipſum cōfeſſarium ſpectet, & niſi ipſe illud probauerit, maximam pręſumptionem eſſe contrà confeſſarium, id verum eſſe, quod illi opponitur; ità docent Abb. in cap. citato Omnis &c. de pęniten. & remiſſ. S. Thomas in 4 d. 21. quæſt. 3. art. 2. ad ſecūdum. Silueſt. ſupra quæſt. 9. Tabiena verb. confeſſ. celatio. nu. 16. Nauarrus in cap. Sacerdos. de pæniten. diſt. 6. num. 164. Coſmus Philiar. ſupra cap. 30. & in hoc caſu, ſi confeſſarius deficeret à probatione, non eſſet puniendus pæna ordinaria, ex cap. Omnis de pęnit. & remiſſ. ſed ſolùm pæna arbitraria; ut docuerunt Abbas, & Silueſt. ubi ſupra; Hoſtien. in alleg. cap. Omnis &c. & Tabiena ſupra nu. 17. & reddunt rationem, quia ex quo confeſſarius tenetur ſę defendere, nō dicitur apertè conuinci: quod tamen diximus requiri ad incurrendas ſupradictas pænas, ex cap. Omnis. de pænit. & remiſſ. S. Thom.

Secundò aſſerunt, ſi Confeſſarius omninò negauerit, ſe aliquid ex confeſsione reuelaſſe, ſtandum eſſe ſimplici dicto, atq; aſſertioni illius, eiq; omninò credendum, etiam nullo adhibito iuramento; ità Innocent. in cap. Si Sacerdos.

cerdos. de off. ord. Abb. in prꝫalleg. cap. Omnis &c. & reddunt rationem, quia nõ ſit potior ratio, cur credi debeat pꝫnitenti aſſerenti contrà confeſſariũ, & non ipſi confeſſario, qui, (vt ibidem aſſer t Innocen.) in hoc ſacramẽto Pænitentiæ gerit vicem Dei, qui eſt prima veritas, quæ nec falli, nec fallere poteſt.

Tertiò aſſerunt, ſi Confeſſarius omninò delictum ſit confeſſus, iàm tunc ſolùm ab illo contrahi pænas, ex cap. Omnis &c. de pænit. & remiſſ. à Iudice tamen infligendas per ſententiam.

Hæc ſunt; quæ dicunt Auctores citati ad hanc quæſtionem, vnde facilè ſe expediunt à præſenti negotio.

Verùm licèt de hoc vltimo illorum dicto, nemo ſit, qui dubitet, ut patebit infrà, de primo tamen, & ſecundo poteſt eſſe aliqua difficultas, quæ non parùm faceſsit negotium in hac re, in qua tãdem, quid ſentiam, aperiam; ut neq; primum, neq; ſecundum dictum ſatis vnquàm probare potuerim.

Non primum, quia (vt etiam aduertit Suarius ſupra diſput. 33. ſect. 8. nu. 4.) videtur grauiſsimum onus, & quod vix, moraliter loquendo, ferri poſsit à confeſſario, redigẽdum eſſe illum ſic de facili in eas anguſtias, ut ipſe debeat probare quod opponitur, ut poſteà explicabimus.

Non ſecundum, quia id non videtur tollere difficultatem, id enim eſt, quod quærimus, ut patebit ex dicendis.

Vni-

Vnica Concluſio: In hac re illud præcipuè conſiderandum eſſe cenſeo, (niſi mea me fallit opinio) quis nam ſit, qui in præſenti caſu confeſſorem de reuelata confeſsione accuſet; an pænitens; an tertia aliqua perſona; & ſic totam rem eſſe definiendã, ſcilicèt penes diuerſa accidentia, tùm confeſſarij, tùm pænitentis, tùm deniq; tertiæ perſonæ, ut patebit ex dicendis.

Et primò quidem, ſi loquamur de pęnitente, qui confeſſarium accuſet de reuelata confeſsione, primò conſideranda cenſeo aliqua accidentia in hoc negotio, tùm reſpectu confeſſarij, tùm reſpectu pænitentis: ſecundò, an confeſſor affirmet, an neget. Et quidem, ſi loquamur de confeſſario, huius conſideranda ſunt vita, mores, temperantia, nomen, fama, perſona ipſa; præterea, an ſit facilis, an tardus ad loquendum de ijs, quæ ſpectant ad cõfeſsionem, an amplius de eodem ſcelere fuerit ab alijs imputatus; præcipuè verò conſiderandum videtur, an id, quod à confeſſario reuelatum dicitur, tendat in damnum pęnitentis, an verò in illius bonum: & his omnibus inſpectis, præcipuè verò, quod vltimo loco diximus, à recto Iudice conſiderandum, ac determinandum erit, an in huiuſmodi negotio onus probandi tranſeat in confeſſarium, an in pænitentem.

Dixi primò, conſideranda eſſe à bono Iudice, vitam, mores, & alia huiuſmodi de confeſſario, nam ſi illa omnia in illo experiantur,

neq;

neq; aliquid ſit, quod opponi poſsit bonæ vitæ ipſius, vel deinde illa eadem reperiantur in pænitente, qui accuſat, vel non reperiantur, ſemper præſumptio videtur futura pro confeſſario, contrà pænitentem, in eo caſu, ut onus probandi pertineat ad pænitentem.

Dixi ſecundò, conſiderandum eſſe de confeſſario, an ſit facilis, an tardus ad loquendū de rebus, quæ pertinere ſolent ad confeſsiones, quas pro tempore audit; nam ſi nihil tale in illo reperiatur, imò & maximè paruus, ac ſecretus ab omnibus, in his, & alijs habeatur, videtur ſufficiens argumentum, ut onus probandi dicatur tranſire ad eundem pænitentē, & non ad confeſſarium, etiamſi eadem taciturnitas reperiatur in ipſo pænitente, qui accuſat confeſſarium.

Dixi tertiò, eſſe conſiderandum de confeſſario, an aliàs in eundem errorem, de quo imputatur à pænitente, inciderit; nam ſi nunquā aliàs quid tale ſit de ipſo auditum, neq; alius ſit conquæſtus, & tunc videtur benè poſſe preſumi pro confeſſario, contrà pænitentem, vnde tunc etiam onus probandi tranſibit ad pænitentem.

Quare, ſi his omnibus cōſideratis, nihil reperiatur à Iudice in perſona confeſſarij, quod aures boni viri offendere poſsit, nunquàm videtur cogendus confeſſarius in eas anguſtias, ut ipſe probare debeat contrà accuſantem, ſe hoc, aut illud dixiſſe, vel non dixiſſe, feciſſe, vel non feciſſe, aliàs daretur aditus malis homini-

minibus machinandi contrà confeſſarios, eosq; inſequendi, ex quo fortaſſe ab illis repræhēdātur de mala acta vita, ac de alijs, quæ paſsim poſſunt occurrere.

Dixi vltimò, præcipuè conſiderandum eſſe, an ſcilicèt, quòd reuelatum dicitur, ſit in bonum pænitentis, nec ne; nam ſi, quod reuelatum dicitur, tendat in damnum pænitentis, tunc præſumptio eſſet pro pænitente, contrà confeſſarium, quo caſu onus probandi tranſiret in ipſum confeſſarium, qui, ſi deinde deficeret in probatione, tantùm puniretur pœna arbitraria, non pęna inflicta à can. Omnis. de pænit. & remiſſ. ut diximus ſupra, ubi etiā huius reddidimus rationem: quòd ſi illud, quod reuelatum prætenditur à pænitente, ſit tamen in bonum ipſius, tunc videtur præſumptio futura pro confeſſario, contrà pęnitentem, ad quem deinde pertineret probare id eſſe reuelatum à confeſſario.

Et hoc vnum eſt, quod maximè aduertendum eſſe à Iudice in hac re communiter tradunt Doctores: quod tamen, ſi alijs ſupradictis addatur, poterit magis mouere Iudicem ad aliquid certum determinandum, in hac re ſatis perplexa.

Si verò de penitente loquamur, & de hoc etiam conſideranda ſunt, quæ ſupra diximus conſideranda de confeſſario, cæteris paribus, an ſcilicèt pænitens, qui confeſſarium accuſat, ſit bonæ famæ, an malæ, cuius cōſcientiæ exiſtimetur, an ſit ſolitus mentiri, & alia huiuſ-

modi; precipuè verò ſi, quod reuelatum dicitur, ſit in damnum illius; & his ſimul conſideratis à vero Iudice decernendum erit, quemadmodum diximus ſupra de confeſſario, an præſumptio ſit pro pænitente, contra confeſſarium; nam ſi pęnitens, quò ad ea, reperiatur bonus, non ſic autem confeſſarius, qui nullius ſit boni nominis, tunc onus probandi poſſet tranſire ad confeſſarium, qui deberet probare, ſe nihil tale dixiſſe, aut reuelaſſe; & tunc currerent ea omnia, quæ ſupra diximus de cõfeſſario, vt, ſi deficeret in ſe deffendẽdo, eſſet plectendus pæna arbitraria, non alia, ut ſupra dictum eſt: Et hæc de pænitente.

Quod verò attinet ad tertiam perſonam, ſi hæc ſit, quæ confeſſarium accuſet, conſideranda item primò ſunt illa omnia, quæ ſupra poſuimus, tùm reſpectu cõfeſſarij, tum reſpectu tertiæ perſonæ eſſe conſideranda, ſeruatis ſeruandis. Et ſic omnibus illis cõſideratis, ac ſimul collatis, à recto Iudice ſtatuendum, ad quem nam tranſeat onus probandi, an ad cõfeſſarium, an ad tertiam perſonam, id quod ex dictis facillimum erit, ità tamen, ut ſemper ſit illud retinendum, non de facili eſſe cogendum confeſſarium ut probet, ne in varia, eaq; grauiora abſurda deueniendum ſit.

Secundò, in præſenti negotio cenſeo neceſſarium eſſe cognoſcere, an, quod opponitur confeſſario, de confeſsione reuelata, vel à pænitente, vel à tertia aliqua perſona, negetur, an concedatur; & ſi concedatur, an ſimplici-

ter, & ſine aliqua cauſa, an verò ex aliquo titulo: nam hoc multum faciet ad rem præſentem determinandam.

Et quidē, ſi tertia aliqua perſona, aut etiam pænitens confeſſarium de huiuſmodi ſcelere accuſet, ipſe verò confeſſarius omninò neget, ſe aliquid dixiſse, aut reuelaſse, tunc mihi videtur ſimul cum Iacobo de Graff. ubi ſupra nu. 14. onus probandi tranſire in accuſantes; non in confeſsarium; & ratio eſt, quia is debet probare, contrà quem facit præſumptio, vt Eccleſ. benef. cap. vnico; & quoniam præſumptio tunc eſt potius in tertiam perſonam, aut etiam in pænitentem, ideò his probandū erit, Sacerdotem confeſſarium reuelaſſe confeſsionem coram teſtibus fide dignis.

Quòd ſi confeſſarius, de tali crimine accuſatus, abſolutè non neget, ſed aſſerat ſe reuelaſſe quidem, ſed aut de licentia pænitentis, tunc onus etiam probandi tranſibit ad tertiā perſonam, propter eandem rationem; & præterea, quia in dubijs debet potiùs præſumi pro confeſſario, vt adnotauit Lapus allegat. 94. & deducitur ex doctrina Decij in cap. Primum, nu. 17. de except. quare tertia perſona debebit probare contrà confeſſarium, illum reuelaſſe confeſsionem coram hoc, aut illo homine, neque vnquàm dixiſſe, ad id ſe habuiſſe facultatem aliquam à pænitēte; etſi ſit pænitens ipſe, cui à confeſſario dicatur ſe ab ipſo iam habuiſſe licentiam: tunc aduertenda cenſeo alia accidentia, quæ ſupra diximus; & præte-

reà, vtrum illa licentia potuerit ſubſiſtere; & ſic pænitens poterit probare, non ſe potuiſſe dare talem licentiam, maximè ſi, quod reuelatum eſt, eſſet in damnum ipſius; aut ſe dixiſſe, quia aliunde extrà confeſsionem illud idem ſciret, & tunc cenſeo tertiæ illi perſonæ, aut pænitenti probandũ contrà confeſſarium, illud, quod reuelatum prætenditur, non potuiſſe ſciri aliter, quàm per confeſsionem illi factam; & præterea probandũ, quando confeſſarius reuelauit confeſsionem, coram illo, aut hoc homine minimè proteſtatum eſſe, ſe illud idem ſciuiſſe aliunde, quàm per confeſſionem. Quare in his ſemper videtur, onus probandi tranſire in alium, quàm in confeſſorem.

Vnde in hoc negotio, ut rem totã perſtringam, illud concludendum videtur, ſi id, quod opponitur confeſſario, vel à pænitente, vel à tertia perſona, non conſtet, & confeſſarius de eo aut non ſit conuictus, aut non ſit confeſſus, tùm ex diuerſis accidentibus, tùm reſpectu confeſſarij, tùm reſpectu pænitẽtis, vel etiam tertiæ perſonæ, ſi hæc ſit accuſatrix, totam rem eſſe à Iudice definiendam, ac concludendam; neque enim in hoc videtur certam aliquam regulam tradi poſſe; vt docuit Bernard. Diaz in pract. cap. 109.

Reÿcitur Viualdus. Sequitur, nullo modo probari, quod aſſerit Viualdus de ſigil. confeſſ. nu. 39. confeſſarium aſſerentem, ſe non reuelaſſe confeſsionẽ, adducendum eſſe ad id, vt iuret, & tunc illi cre-

dendum eſſe; nam, ut diximus, nunquàm videtur redigendus in eas anguſtias, ſed potius ex alijs accidentibus iudicandum eſſe, an ſimpliciter ſit illi credendum: Imò cæteris paribus, nullo etiam adhibito iuramento, ſemper pręſumendũ eſſe pro confeſſario, ut illius ſimplici dicto ſit ſtandum, niſi aliud obſtet.

Ex his patet, quid ſit dicendum ad præſentem difficultatem, quando ſcilicèt confeſſarius accuſatur de cõfeſsione reuelata, ac prætereà quibus pœnis ſit plectendus, ſi de crimine confeſsionis reuelatæ cõuincatur, & à quo.

QVAESTIO VLTIMA.

An idem Sacerdos confeſſarius confeſſus, ac conuinctus de confeſsione reuelata, præter pœnas, quas contrahere diximus, contrahat etiam irregularitatem.

NEque hæc quæſtio videtur extrà propoſitum, nam, cùm iam oſtenſum ſit, huiuſmodi pœnas contrahi à confeſſario ex cap. Omnis &c. de pœnit. & remiſſ. ut ſit detrudendus in arctum Monaſterium, poſſet quis non ab re ſuſpicari, an etiam contrahat irregularitatem, ut fiat perpetuò inhabilis ad munera eccleſiaſtica.

Maiolus quidem lib. 5. de irregularit. c. 19.

nu. 16. Specul. tit. de diſpen. §. iuxtà; verſic. Sunt quoq; irregulares, enumerant decem & octo caſus, quibus etiam poſt peractam pænitentiam quis maneat adhuc irregularis, inter quos hunc, de quò eſt præſens diſputatio, enumerant, & aſſerunt Sacerdotem, qui ex reuelatione per ſententiam Iudicis contrahit illas pænas, ut ſupra, etiam contrahere irregularitatem.

Poteſt autem probari hæc ſententia ex cap. ſupra alleg. Sacerdos. de pænit. d.6. ubi dicitur de Sacerdote, qui confeſsionem reuelauerit, *omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat*. Sed hanc ignominiã ſequitur irregularitas, ergò. Probatur minor, nam, ut aſſerunt Nauar. cap. 27. nu. 248. Toletus lib. 3. Summæ cap. 52. num. 7. Coſmus Philiar. lib. 4. de irregularit. cap. 15. Henriq. lib. 14. cap. 1. §. ſecundo. in fine. Sayrus lib. 7. ſupra cap. 12. nu. 11. & 12. ex quocunq; delicto enormi, & quod infamiam inducit, contrahitur irregularitas; & habetur ex cap. fin. de temp. ordin. Sed ex dictis delictum hoc enorme eſt, & infamiam inducit, ergò inducit etiam irregularitatem, quæ, etiam ſi ſit peracta pænitentia pro delicto, remanet, quouſq; tollatur per habentem iuriſdictionem, vt docuit Coſ. Philiar. vbi ſupra.

Secundò, poteſt probari ex cap. Omnis. de pænit. & remiſſ. vbi dicitur de Sacerdote reuelante, *non ſolùm à Sacerdotali officio deponendũ decernimus &c.* ergò ſi eſt deponẽdus à Sacer-

dotali officio, erit per conſequens irregularis.

Neque dicat, tolli hanc irregularitatem, peracta pænitentia; nam certum videtur ex Gloſſa in cap. niſi cùm pridem. de renunciat. non tolli hanc infamiam, & ignominiam, etiam peracta pænitentia. Cùm igitur nulla tollatur infamia in prædicto caſu confeſſarij, neq; tollitur irregularitas, quæ infamiam ſubſequitur.

Alij verò cõmuniter negant, confeſſarium reuelando, præter pænas, contrahere etiam irregularitatem; ità Suarius ſupra diſput. 33. ſect. 8. nu. 2.

Vnica Concluſio: Sacerdotem ſic reuelantem confeſsionem auditam, nullam contrahere irregularitatem.

Probatur concluſio ex cap. fin. extrà de tẽp. ordin. & clarius ex cap. Is qui; de ſent. excom. in 6. ubi habetur, nullam contrahi irregularitatem, niſi in caſibus, in quibus repetitur expreſſa à iure; & docent Paludan. in 4. d. 25. quæſt. 3. art. 2. Tabiena ver. irregularitas primò; nu. 3. Nauarrus in man. cap. 27. nu. 3. Couarru. in clemen. ſi furioſus. nu. 3. Coſ. Philiar. lib. 4. cap. 6. Viualdus de irregularitate, nu. 19. Iacob. de Graff. lib. 4. ſuarum deciſionũ c. 27. nu. 3. Illuſtriſs. Toletus lib. 1. Inſtruct. cap. 52. nu. 7. Sayrus lib. 6. caſ. conſcien. cap. 2. nu. 14. Sed in illis duobus capitib. Sacerdos. de pænit. diſt. 6. & Omnis vtriuſq; &c. de pænit. & remiſſ. non exprimitur aliqua irregularitas, vt patet legenti; & docent Sotus in 4. d. 18. q. 4.

art.1. Silueſt. verb. confeſſor primò. nu. 1. Suarius ubi ſupra, & alij : ergò.

Obiectio. Neque quidquàm officit noſtræ Concluſioni; quòd irregularitas poſsit manere, etiam peracta pœnitentia.

Nam, etiamſi id verum ſit, ut videre eſt in multis caſibus, quos afferunt Nauarrus cap. 2. nu. 191. Illuſtriſs. Toletus ſupra lib. 3. cap. 52. nu. 1. Sayrus lib. 6. ſup. cap. 2. nu. 32. & habetur ex Gloſ. in cap. niſi cùm pridem &c. & ex cap. penult. de elect. ubi habetur etiam peracta pœnitentia ſimoniacum eſſe inhabilem ad beneficia. In caſu tamen noſtro cùm nulla interueniat irregularitas, ut iam diximus, conſequenter neq; poterit manere, etiam ſi Sacerdos peregerit pœnitentiam, quã cap. Omnis. de pœnit. & remiſſ. præſcribit. Accedit præterea, quòd pœna illa, quò ad ignominiam, ex cap. Sacerdos. de pœnit. diſt. 6. iam intelligitur ſublata per cap. Omnis. de pœnit. & remiſſ. ut ſupra explicauimus.

Gloſſa.

Ad primum, pro contraria ſententia reſpõdeo, Primò, iam pœnam illam ignominiæ ex cap. Sacerdos. eſſe è medio ſublatam.

Secundò reſpondeo, delictum hoc non eſſe ex illis, quæ ſequatur aliqua infamia iuris, & conſequenter irregularitas aliqua; nam in illis capitibus, ut dictum eſt, comminantur tantùm pœnæ, quæ deinde ab homine per ſententiam ſunt infligendæ: quare cùm ibi nulla ſit expreſſa irregularitas, neque etiam aliqua à nobis poni debet, pœnæ enim ſunt re-

ſtringendæ, de reg. iur. lib. 6. cap. In pænis.

Ad ſecundum, iam patet ex dictis, nunquã eſſe intelligẽdum alicui delicto iniunctam irregularitatem, niſi id exprimatur, ex reg. cit.

Sequitur primò, non ſolùm videri falſum Maiolum, vbi ſupra, ſed etiam ſibi cõtrarium; videri quidem falſum iam patet ex dictis; eſſe autem ſibi ipſi contrarium, probatur; nam cũ ipſe loco citato aſſerat, confeſſorem, reuelando confeſsionem, præter pænas, in quas incurrit, fieri etiam irregularem; & ante lib. 1. ibidem cap. 2. nu. 2. verſic. Sexto, aſſeruiſſet ex communi ſententia, nunquàm intelligi incurri irregularitatem ex aliquo delicto, niſi quando ſit expreſſa à Iure, debuiſset potius contrarium concludere, nullam ſcilicet ab huiuſmodi confeſsario contrahi irregularitatẽ, ex quo in illo cap. Omnis &c. nulla reperiatur expreſsa; ſic enim coherenter loquutus eſset, & verum concluſiſset: quare fuit mancus in hoc Maiolus.

Reijcitur Maiolus.

Sequitur ſecundò, multò minus verum eſse, quod aſſerunt idem Maiolus ſupra, & Paludanus in 4. d. 17. quæſt. 3. laicos ſcilicèt reuelando aliquid, quod habuerint, quocunq; modo, ex confeſsione, fieri irregulares; nam, vt iam patet ex dictis, ſæculares non incurrunt has pænas ex cap. Sacerdos. & ex cap. Omnis. ſupra aſsignatis: ergò ex hoc non potuerunt ſupradicti Doctores inferre, laicos etiam reuelando fieri irregulares; & quando concederemus in illis capitibus contineri irregularitatem,

tatem, quod tamẽ negauimus, ut iam conſtat ex dictis: Vnde, quemadmodum nulla oīò contrahitur irregularitas à Sacerdotibus ipſis, ſi quando puniantur illis pœnis; multò minus contrahi debet à non Sacerdotibus, & laicis.

Et hæc dicta volo de ſacro ſigillo, in honorem Sanctiß. Trinitatis, B. M. Virginis, ac S. Patris noſtri Hieronimi; eaq; omnia ſubiecta Sanctiß. Inquiſitioni.

INDEX

INDEX
RERVM OMNIVM
PRÆCIPVARVM,
quæ in hoc libro de ſacro ſigillo continentur.

A.

ARiſtotelis ſententia explicatur, Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis. *fol.* 10.
Actus pænitentis qui ſint. fol. 33.
Affirmatiua præcepta, & negatiua differunt. fol. 39.
Abrogare, vel reuocare legem, quid? fol. 40.
Arma, licèt depoſita, non redduntur furioſo fol. 95. 97.
Animus reuelandi, vel non reuelandi confeſsionem, non facit, ſi confeſſarius reuelet, non dicatur fractor ſigilli. fol. 123.
Audiens alterius confeſsionem, ſiue caſu, ſiue ex induſtria, tenetur ad ſigillum. fol. 182.
Acceptatio ſecreti ab amico non debet præiudicare Iudici legitimè interroganti. fol. 192.
Ad confeſsionem ſacramentalem, & ad ſigillum, quid requi-

requiratur. *fol.* 188. 189.

Abſolutio non requiritur neceſſariò, vt confeſsio dicatur ſacramentalis. fol. 187.

S. Antonini ſententia de relaxatione voti, & iuramenti, non placet. fol. 107.

Actus contritionis hominem ſaluat. fol. 123.

Aßignatur vera ratio, cur de licentia pœnitentis Confeſſor poßit confeſſionem reuelare. fol. 134.

Accedens ad putatum confeſſarium, non iuſtificabitur aliunde, niſi per propriam contritionẽ. fol. 193. 194.

Actus pœnitentis habent vim iuſtificandi, prout referũtur ad abſolutionem ſaltèm implicitè. fol. 212.

Abſolutus ex periculo aliquo, non integrata confeßione, ſi conualeſcat, debet peccata non confeſſa iterum ſubijcere clauibus. fol. 299.

B.

Bonum commune eſt priuato anteponendum. fol. 44. 87. 98.

Bella ſunt introducta quo Iure. fol. 97. 111.

Beneficio priuari quis poßit? fol. 82.

Baptiſmus eſt omninò neceſſarius ad ſalutem. fol. 97.

Bonum temporale triplex reperitur. fol. 160.

C.

Confeſſor ligatur ſigillo & naturali, & ſacramentali. fol. 17.

Confeſſor tanquàm Chriſti delegatus tegit peccata confeſſa. fol. 17.

Confeſſor tenetur ſecreto naturali. fol. 19.

Confeſ-

Confeſſor in ordine ad ſigillum nulli ſubeſt, niſi Deo fol. 51. 52.
Confeſſor ità tenetur reticere proximi res, ſicut vellet reticeri ſuas. fol. 20.
Chriſtus implicitè inſtituit ſigillum. fol. 23.
Confeſſor reuelãs confeſſionẽ grauiſſimè peccat. fol. 28.
Confitens ſua peccata publicè, ritè põt abſolui. fol. 30.
Confiteri ſua peccata publicè aliquando vtile, aliquando non utile. fol. 30. 31.
*Celatio ſequitur naturam confeſſionis. fol.*34. 35. 36.
Confeſſio quomodo dicatur cauſa ſigilli ſacramentalis? fol. 36.
Confeſſio non dat ius inquirendi de auditis ex confeſſione. fol. 65.
Confeſſor debet mederi animæ pænitentis. fol. 66.
Confeſſor ſuperior poteſt inducere ſubditum vt renunciet officio. fol. 66.
*Confeſſor poteſt aliquando vti ſcientia ſacramentali pro bono animæ pænitentis. fol.*66. 67.
*Confeſſor an in omnibus eodem modo ſe gerere debeat poſt confeſſionem auditam, ac antè. fol.*81.
Confeſſio ſacramentalis non debet eſſe regula in actionibus exterioribus. fol. 68.
Confeſſio per litteras, & per interpretem condemnatur. fol. 31. 32.
Confeſſor audita confeſſione poteſt ſibi cauere, & quomodo. fol. 82.
*Confeſſor quãdo poſſit vti ſcientia ſacramentali. fol.*81.
Confeſſor ex confeſſione audita non ammittit ius loquẽdi de ijs, quæ ſcit extrà confeſſionem. fol. 84. 247.
Confeſſor quomodo ſe gerere debeat, ſi reperiat ſuum famulũ furem ex confeſſione ſibi ab illo eodẽ facta. fol. 83.
Confeſ-

Confeſſor videns latronem furari, qui tamen ad illum accedit, vt confiteatur furtum, vt os illi obſtringat. quid? fol. 83.
Confeſſario potiùs tacendum eſſe, quàm habitam hæreſim ex confeſſione reuelare. fol. 92.
Curatus tempore peſtis debet inſiſtere labori adminiſtrãdi ſacramenta, etiam cum periculo mortis. fol. 98.
Correctio eſt facienda cum periculo etiam mortis, quando neceſſitas inſtat. fol. 98.
Cauſæ cur diſpenſatio in voto, & iuramẽto fiat. fol. 103.
Confeſſor non poteſt iuridicè interrogari de auditis ex cõfeſſione. fol. 52.
Confeſſor audit confeſſionem, etiam vt homo. fol. 53.
Confeſſarius etiam iuratus de illis, quæ habuit ex confeſſione, quid reſpondere teneatur. fol. 53.
Confeſſarius liberè poteſt negare, etiam cum iuramento, ſe nihil ſcire. fol. 53. 55. 57.
Confeſſor non debet immutare faciem, ſi quando interrogetur de auditis ex confeſſione. fol. 54.
Confeſſor negans ſe aliquid ſcire de his, quæ ex confeſſione audiuit, verum dicit, & non mentitur. fol. 53. 57. 58.
Confeſſori reuelanti confeſſionem non creditur. fol. 54.
Confeſſor poteſt dicere de aliquo ſuo pænitente, hic non fecit tale peccatum, ſi verè non fecerit. fol. 59.
Confeſſor neq; etiam in periculo mortis poteſt reuelare. fol. 44.
Confeſſor paratus ingredi ſiluã, ſed ex confeſſione ſciens ſibi parari mortem, quid. fol. 115.
Confeſſor potius debet mori, ingrediendo cum alijs in ſiluam, quàm confeſſionem reuelare retrogrediendo. ibidem.

Confeſſor, qui ſic debet ingredi ſiluam, ſi ſit in peccato mortali, eliciat actum contritionis. fol. 123.

Confeſſor celebrans Miſſam, & ſacramentaliter ſciens à miniſtro cũ vino eſſe mixtum venenũ, quid. fol. 123.

Confeßio non fit odioſa, ſi reuelatur aliquid, quod verè nõ ſit ſub ſigillo. fol. 135.

Confeſſor & vt Deus, & vt homo ſcit peccata confeſſa. fol. 53. 138. 203.

Conciliantur ſententia S. Thomæ, & Scoti in eo, vtrum pænitens poßit dare licentiam confeſſario dicendi peccata in confeßione explicata. fol. 141.

Confeſſor poßit ne reuelare hæredibus aliquam reſtitutionem, quæ fieri deberet à mortuo pænitente. fol. 141.

Confeſſori dicenti ſe habuiſſe licentiam reuelandi debita, & alia à mortuo, debet credi. fol. 142. 143.

Confeßio ſacramentalis quid requirat. fol. 189. 193. 217. 267.

Confeßio facta coram ficto Sacerdote, cur non ſit ſacramentalis. fol. 187. 189.

Confeßio ſacramentalis non neceſſariò requirit, vt fiat cum ſpe veniæ. fol. 188.

Confeſſor fictus tenetur celare, quæ audit ſecreto naturali. fol. 190.

Clauis quid ſignificet in ſacra Scriptura. fol. 195.

Clauis, & character an ſint idem. fol. 197.

Chriſtus prius dedit poteſtatem conſecrandi, quàm remittendi peccata. fol, 205.

Cap. 1. *Qui vult, de pænit. explicatur. fol,* 206.

Cap. Fures. extrà de furt. explicatur. fol. 206.

Cap, Omnis vtriuſq; ſexus. de pænit. & remiſſ. explicatur. fol. 218. 234. 240. 275.

Cap. Sacerdos. de pænit. d. 6. *explicatur. fol.*42. 240.

Confeſ-

Confeſſionis faciendæ laico nullũ eſt præceptũ. fol. 209.
Confeßio facta laico, quando licita. fol. 210.
Confeßio facta laico, an congrua. fol. 210.
Confeßio refertur ad remedium animæ. fol. 210.
Confeßio, quam facit pænitens laico, nõ cenſetur infamia pænitenti. fol. 211.
Confeßio facta laicò, quando periculoſa. fol. 211.
Cap. 5. Iacobi, Sonfitemini alterutrum peccata veſtra, explicatur. fol. 208. 212.
Confeßio eſt ſecunda tabula poſt naufragium. fol. 92.
Confeſſarius dicendo de aliquo, iſte nunquã mihi confeſſus eſt peccatũ mortale, non frangit ſigillũ. fol. 147.
Conſiliarius peccat mortaliter dicendo cum alijs ea, quæ ex conſilio dando habuit à confeſſore. fol. 122. 123.
Conſiliarius an dici poßit miniſter pænitẽtiæ. fol. 223.
Conſiliarius, ſi interrogetur an ſciuerit aliquid ex occaſione conſilij dandi, quid reſpondere teneatur. fol. 227.
Conſiliarius tenetur ad ſilentium, ſolo ſecreto naturali, nõ ſigillo aliquo ſacramentali. fol. 226.
Confeſſio publica, ſed ſacramentalis, eſt celanda ſigillo. fol. 225.
Confeſſarius in petendo conſilium, non debet tranſgredi limites facultatis ſibi factæ à pænitente. fol. 227.
Confeſſor, ſi reuelet confeſſario peccatũ, ſimul cum perſona, quæ peccauit, ſine licentia pænitentis, peccat. fol. 227.
Cognitio peccatorũ, quæ non habetur primò, & per ſe, ex ſacramentali confeßione, ſed aliunde non obligat ad ſigillum, ſed ſolùm ad ſecretum. fol. 230.
Circumſtantiæ peccatorũ cadunt ſub ſigillum. fol. 232.
Confeſſor pro peccato occulto non poteſt imponere pænitentiam publicam. fol. 241.

Confeſſor pro peccato occulto non poteſt denegare alicui communionem palàm coram alijs. fol. 242.
Confeſſor non debet loqui de peccatis publicis, vt auditis ex confeſsione. fol. 245.
Confeſſarius non debet dicere, non abſolui meretricem illam, vſurarium illum &c. fol. 246. 247. 248.
Confeſſor quomodo ſe gerere debeat in ordine ad peccatores publicos. fol. 248.
Confeſſor ſi de vno dicat, quòd non peccauerit mortaliter, aut quod ſit caſtus, cum relatione ad alios pænitentes, frangit ſigillum. fol. 242. 243.
Confeſſor, ſi dicat ſe ex confeſsione alicuius ſemper onerari ſcrupulis, non frangit ſigillum. fol. 243.
Confeſſario, in ordine ad ſigillum, quid dictet recta ratio. fol. 93.
Conſeruatio vitæ propriæ eſt de Iure naturali. fol. 116.
Confeſſor poteſt dicere peccatum in particulari, etſi illud habuerit ex confeſsione, & non dicitur fractor ſigilli, quomodo. fol. 250.
Cap. Officij. de pæn. & remiſſ. explicatur. fol. 250.
Ceſſante cauſa ceſſat effectus. 251.
Confeſſor debet abſtinere, ne loquatur de peccatis auditis ex confeſsione. fol. 253.
Confeſſarij laudantur qui conſulunt Doctores. fol. 253.
Confeſſarij in petendo conſilium de peccatis auditis ex confeſsione quid obſeruare debent. fol. 253.
Confeſſor non debet ſurgere in Eccleſia pro conſilio petendo ab illo, qui ſit in eadem Eccleſia, ita vt ab eodem videatur. fol. 254.
Confeſſarij exiſtentes in eodem Conuentu non debent dicere ſe abſoluiſſe hunc, vel illum, ab hoc, vel illo peccato. fol. 255.

Concionatores non debent dicere, ſe hoc, aut illud peccatum audiuiſſe in illo loco, vel Ciuitate &c. fol.256.
Confeßio facta ſine fructu eſt reiteranda. fol.267.
Confeſſarius quando dicatur frangere ſigillum. fol.259.
Confeſſario quid agendum, ſi quando ex confeſſione habeat à pænitente aliquem eſſe ab eo occidendum. fol. 268. 269.
Confeſſor ſi velit loqui cum pænitente de peccatis ab ipſo auditis in confeſſione, frangit ſigillum, neq; etiam in bonum ipſius id facere debet, niſi habeat ab ipſo pænitente licentiam. fol.64. 260.
Confeſſor, ſi reperiat ſe malè abſoluiſſe pænitentem, quid agere debeat. fol.261.
Confeſſor, ſi aduertat pænitentem non adimplere quæ promiſerat, quid agere debeat. fol.262.
Confeſſor quando debeat admonere pænitentẽ. fol.262.
Concordia, & pax quibus conſeruentur. fol.97.
Confeſſarius, & pænitens in ordine ad ſigillum differunt. fol. 155.
Cuique licet rem ſuam alteri dare. fol. 139.
Confeſſor dicens ſe non abſoluiſſe aliquem, frangit ſigillum. fol. 275.
Chriſtus inſtituit Sacramenta ex charitate. fol. 285.
Confeſſor debet admonere pænitentem, ne aliquem nominet in confeßione, quam ſibi facit, niſi id neceſſitas exigat. fol. 292.
Confeſſor non debet interrogare de nomine complicis &c. fol. 292.
Complex debet exprimere complicem in confeßione, & quando, & quo caſu. fol. 294. 295.
Confeßio ſacramentalis eſt Iudicium quoddam forenſe. fol. 295.

Circum-

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem neceſſariò ſunt confitendæ. fol. 301.
Complicis perſona cadit ſub ſigillum. fol. 309.
Confeſſor, ſi ſolùm nouit pœnitentem eſſe excommunicatū, ex confeſſione, non poteſt illum aliquo modo euitare. fol. 312.
Caput, Cùm non ab homine, de ſent. excomm. explicatur. fol. 314.
Confeſſarius, ſi ſciat ex confeſſione Eccleſiam pollutam, non debet reuelare. fol. 315. 316.
Curatus, ſi ſciat aliquos eſſe affines, tenetur illos matrimonio coniungere, ſi ſe ad illum coram Eccleſia præſentent. fol. 317.
Curatus non debet denegare communionem illi, quem ſolùm nouit ex confeſſione excommunicatum, ſi accedat cum aliis in Eccleſia ad illam petendam. fol. 318.
Confeſſio poteſt eſſe ſacramentalis, etiamſi non ſequatur abſolutio. fol. 267.
Confeſſor, reuelando confeſſionem, peccat duplici malitia, peccati. fol. 321.
Confeſſor reuelans ex inaduertentia excuſatur à peccato mortali. fol. 323.
Confeſſor, vt ſic reuelans, non excuſetur ab omni veniali. ibidem.
Confeſſor reuelans peccatum veniale, an peccet, & quo peccato. fol. 325. 326.
Confeſſarij reuelando quas pœnas contrahant. fol. 327. & ſeq.
Confeſſor accuſatus de confeſſione reuelata, ſi deficiat in ſe defendendo, qua pœna mulctandus ſit. fol. 335. & ſeq.
Confeſſarius, ſi accuſatur de confeſſione reuelata, & ipſe

neget id reuelaſſe, quid agendum. ibid. & fol. 339.
Confeſſarius, ſi accuſatur, vt ſupra, & ipſe affirmet ſe dixiſſe quidem, ſed vel de licentia ipſius pœnitentis, vel quòd id ſciret alia via; quid agendum. ibidem.
Confeſſarius reuelans, an præter pœnas dictas contrahat etiam irregularitatem. fol. 343.
Confeſſio alicui etiam iniuſtè reuelata obligat illum, an ad ſigillum, an ad ſecretum. fol. 229.
Confeſſarius præcipiens ſtatim adimpleri aliquam pœnitentiam grauiorem; quid? fol. 273.
Confeſſor poteſt reuelare confeſſionem de licentia pœnitentis. fol. 128.
Cap. Significaſti, de adult. explicatur fol.
Confeſſio per interpretem an ſit neceſſaria. fol. 177.
Chartuſiani an poſſint veſci carnibus. fol. 297.
Confeſſori non licet amouere ſubditum ab officio ex confeſſione audita. fol. 95.
Confeſſarius ſi reuelet credita, debita, & alia ſui pœnitẽtis mortui, ſine aliqua licentia habita ab illo, quid? fol. 143.
Confitens ſua peccata laico, iterum tenetur illa ſubijcere clauibus. fol. 213.
Circumſtantia perſonæ vtrum ſit confitenda. fol. 306.

D.

Deum peccata tegere, quid ſit. fol. 16.
Diſpenſare legem, quid. fol. 40.
Deus potuit concedere libellũ repudij, & quare. fol. 99.
Deus poteſt matrimonia diſſoluere. fol. 99.
Diſpenſatio, vt teneat, debet eſſe ex iuſta cauſa. fol. 102.
Diſpenſationis cauſæ quæ ſint. fol. 103.

Diſpenſationis poteſtas cui competat. fol.101.
Deus ſolus eſt Dominus mortis & vitæ. fol.159.
Diſpenſatus ſine cauſa non eſt tutus coram Deo. fol.103.
Diſpenſare, & declarare non ſunt idem. fol.140. 105.
De die illo, vel hora nemo ſcit, neq; Angeli &c. explicatur quis ſit ſenſus. fol.50.
Diaconus poteſt quidem Euchariſtiam præbere, non tamẽ ſacramentaliter abſoluere. fol.206.
Diaconus quare non poßit abſoluere ſacramentaliter. fol.201.
Defectus naturales, vtrum, & quomodo cadant ſub ſigillum. fol.277.279.
Detractio quid, & quotuplex. fol.293.
Detractio formalis ſemper mala, materialis verò licita. fol.259.
Detractio formalis quæ ſit; & item quæ detractio materialis. fol.293.
Detractio formalis quomodo fiat materialis in hoc ſacramento Pænitentiæ. fol.294. & ſeq. & 298.
Dei nomen blaſphemare nunquàm licitum. fol.113.
Donatio pendet ex voluntate illius, cui fit. fol.132.
Dato vno abſurdo multa alia ſequuntur. fol.139.
Dolor non neceſſario requiritur ad rationem confeßionis ſacramentalis. fol.268.

E.

E *Lectores non debent moueri ad electionem ex ſcientia ſacramentali. fol.72.76.*
Eligentes ſcienter indignum ad dignitatem, quas penas incurrant. fol.77.78.
Eligens indignum ſcientia ſacramẽtali, ſed dignum ſcien-

tia humana, nullam contrahit aut pœnam, aut culpam. fol.79.80.
Eccleſia habet poteſtatem priuandi infideles ſuo dominio. fol.104.
Eccleſia quare relaxet iuramētum factū latroni. fol.108.
Excommunicatio etiam lata à Papa contrà Confeſſarios, vt reuelent, nulla eſt. fol.112.
Eccleſ.15. Reliquit hominem in manu conſilij ſui; explicatur quis ſit ſenſus. fol.159.
Ex duobus malis minus eſt eligendum. fol. 502.
Eccleſia non intendit obligare mortales ad confeſſionem cū periculo vitæ, aut famæ. fol.285.
Eccleſia habet poteſtatem diſpenſandi in votis. fol.108.
Epiſcopus eſt ordinarius miniſter ſacramenti Confirmationis. fol 214.
Edicta præcipientia hæreſes denunciari Superioribus, ſanctiſſima. fol.90.
Eccleſia prohibet participationem cum excommunicatis denunciatis. fol. 99.
Eccleſia conſtituit dies ieiunij certis quibuſdam temporibus. fol. 99.
Eccleſiæ auctoritas nunquàm contemnenda. fol.100.
Eccleſia non habet auctoritatem mutandi eſſentialia Sacramentorum. fol.205.
Exprimere complicem in confeſſione ſine neceſſitate, peccatum eſt. fol.290.291.

F.

F*Acere contrà dictamen rationis, quid.* fol.68.
Fama quid ſit, & in quibus conſiſtat. fol.161.
Fama quo differat ab honore. fol. 163.
Fama eſt præmium virtutum moralium. fol.163.

Fama

Fama eſt bonum particulare, non commune. fol.170. & 171.
Fractor ſigilli quis dicatur. fol. 181.
Fama proximi in confeſſione ſit minoris boni reſpectu integritatis, quæ eſt maioris boni. fol.303.
Fides exhibita à Confeſſario de ijs, quæ habuit ex confeſſione, non valet. fol.247.
Fama duplex, bona, & mala. fol. 161.
Facultas à pænitente data Confeſſario vt reuelet, facit vt res extrahatur à confeſſione ſacramentali, & reducatur ad ſuum ſtatum. fol.226.
Fractor ſigilli quis dicatur. fol.258.

G.

GRatia ſubſequitur ad contritionem, tanquàm ad propriam diſpoſitionem. fol.194.
Grauitas peccati vnde peti poſſit. fol.324. 325.

H.

HOmines aut nullo modo, aut difficilè confiterentur, niſi ſcirent certò peccata eſſe ſigillo celāda. fol.9.
Hæreſis cognita extrà confeſſionem, etiam occulta, eſt Superioribus manifeſtanda. fol.89. 90.
Hæreſis agnita ex confeſſione eſt celanda. fol.92
Hæreſis mentalis ſolùm expreſſa in confeſſione, non facit incurrere pœnas aliquas. fol.93.
Hæredes ſi præſumant à Confeſſario fuiſſe reuelatam confeſſi onem mortui, eo quòd Confeſſarius reuelauerit aliquod debitum illius, quid. fol.142. 143.
Homo non pōt ſibi mortē dare; & qua ex cauſa. fol.160.

Homo eſt dominus ſuæ famæ, & non vitæ, aſſignatur ratio. fol.163.164.
Honor, quid. fol.162.
Honor quo differat à fama. fol.163.
Honor in quibus conſiſtat. fol.163.
Homines veraciter dicunt, Dimitte nobis debita noſtra. fol.239.
Homo tenetur potiùs mori, quàm aut manducare carnes diebus ab Eccleſia vetitis, aut participare cum excommunicato denũciato, in contemptũ Eccleſiæ. fol.100.
Hæreticus eſt denunciandus etiam cum periculo mortis. fol.98.

I.

IVre naturali quiſq; obligatur ſtare promiſſis. fol.14.
Ius naturale aliquando mutabile, aliquando immutabile. fol.94.95.96.
Iura naturalia immutabilia quæ ſint. ibidem.
Iura naturalia mutabilia quæ ſint. ibidem.
Infantulum mori ſine baptiſmo nunquam eſt permittendum. fol.97.
Iura naturalia aliqua poſſunt diuina auctoritate relaxari. fol.98.99.
Iura naturalia aliqua eſſe mutabilia, aliqua immutabilia, vnde nam. fol.97.
Iudex, ſi extorqueat delictum à confeſſore, non poteſt aut illud proſequi, aut punire. fol.61.
Iudex, ſi præter Iuris ordinem extorqueat delictum à reo, poteſt illud proſequi. fol.61.
Iudices admonentur, ne interrogent de pertinentibus ad confeſſionem. fol.60.61.

Iudex debet condemnare ex allegatis, & probatis, & non ex particulari ſcientia. fol.70. 122.
Infamare ſe eſt præter charitatem. fol.167.
Infamare ſe, vt ſit, neq; eſt contrà charitatem, neq; contrà iuſtitiam. fol.167.
Infamare ſe non eſt ex genere peccatũ mortale. fol.166.
Infamare ſe, aliquando non licet. fol.168.
Infamare ſe aliquando eſſe peccatum mortale, aliquando non. fol.168. 169.
Infamans ſe, non tenetur ſibi reſtituere famam. fol.165.
Imponens ſibi aliquod crimen, non peccat mortaliter. fol. 172.
Interpres tenetur ſigillo. fol.175. 178.
Interpres reputatur vna perſona cũ confeſſore. fol.176.
Interpres immediatè concurrit ad actionem ſacramentalẽ. fol. 176.
Interpres potius ſe tenet ex parte Sacerdotis. fol. 176. 177.
Impertinentia explicata, & allata in confeſſione, ſunt celanda. fol. 232.
Impænitentia non tollit rationem confeſſionis ſacramentalis. fol. 266.
Indirectè quæ dicantur cadere ſub ſigillum. fol.281.
Infamare proximum ex intentione etiam in confeſſione eſſe peccatum grauiſſimum. fol.291. 298.
Integritas eſt de Iure diuino, & quomodo poteſt tolli. fol.298. 299.
Impedimentum triplex, Naturale, Morale, & Legale; & quid ſint. fol.299. 300.
Intentio facit infamiam formalem. fol.292.
Infamia formalis mala eſt. fol.292. 293.
Infamia materialis bona eſt. fol.292. 293. 294.

Integritas confeſſionis ſpectat ad bonũ animæ. fol.298. 299.
Iudicium rectum quid requirat. fol.295.
Iudas Machabæus vitam ſuam poſuit pro legibus paternis. fol.160.
Is debet probare, quod aſſeritur, contra quem facit præſumptio. fol.143.
Irregularitas cõtrahitur ex quocunq; delicto enormi, quod infamiam inducat. fol.342.
Irregularitas nunquàm contrahitur ex delicto, niſi ſit expreſſa à iure. fol.343.
Interpretatio legis à quo fieri debeat. fol. 40.
Iudex iuſtè interrogans non poteſt inquirere, niſi quæ cadunt ſub ſuo foro. fol.51.
Ius naturale quomodo cedat iuri humano aliquando. fol.99.111.
Iuramentum non obligat, ſi materia fiat mala. fol.108.
Ius naturale dictat, vt quis potiùs conſulat vitæ propriæ, quàm proximi. fol.119.

L.

Licentia dicendi Confeſſario ea, quæ ex confeſſione habuit, debet dari à pænitente, poſitis aliquibus conditionibus. fol.128.
Laicus audiens confeſſionem alterius, tanquàm Sacerdos, ſolùm arcetur ſecreto naturali. fol.217.
Laicus ſic audiens non poteſt compelli ad reuelanda ea, quæ tanquàm Sacerdos audiuit, etiam adhibito iuramento; imò potius tenetur mori. fol.217.
Laicus nullam habet auctoritatem abſoluendi ſacramentaliter. fol.210.

Licentia pænitentis tollit obligationem ſigilli, non ſolùm Confeſſario, ſed etiam Conſiliario. fol. 225.
Laicus reuelans confeſſionem, quam ex caſu, aut ex induſtria audiuit punitur pæna arbitraria. fol. 328.
Laici non fiunt irregulares, ſi reuelent confeſſionem, quam audiunt quocunq; modo. fol. 345.
Licentia pænitentis tollit Confeſſario non ſolùm ſigillum, ſed etiam ſecretum naturale. fol. 135.
Laicus, ſi accipit rem ab amico ſub ſigillo, quo peccato peccet, ſi reuelet. fol. 325.
Lex de non infamando, quæ eſt iuris naturalis, cedit legi poſitiuæ diuinæ, quæ eſt de integrãda confeſſione. fol. (297.
Liber quiſque naſcitur. fol. 104.
Lex ſpiritualis anteponitur temporali. fol. 98.

M.

Mentiri nunquàm licitum. fol. 45.
Malitia, quæ reperitur in violatione ſigilli, vnde oriatur. fol. 126.
Malefici vita priuantur, quo Iure. fol. 97.
Matrimonia diſſolui poſſunt à Deo. fol. 99.
Malè faciunt homines, qui, cùm aliquid velint fidei amici committere, dicunt, hoc tibi dico ſub ſigillo confeſſionis. fol. 290.
Miniſter ſacramenti Pænitentiæ quomodo dicatur de eſſentia huius ſacramenti fol. 209.
Miniſter ſacramenti Pænitentiæ debet eſſe Sacerdos. fol. 213. 209.
Miniſter ſacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, cur ſuppleri poßit, non ſic miniſter ſacramenti Pænitentiæ. fol. 214. 215.

tiam alicui perambulandi. fol. 82.
Prælatus habens ſufficientia indicia ad inquirendum extrà confeſſionem de crimine, poteſt proſequi inquiſitionem, etiam ſi illud idem crimen deinde habeat ex confeſſione. fol. 84.
Poteſtas diſpenſandi competit ſolùm ijs, qui habent iuriſdictionem. fol. 101.
Parentes quo iure debeant alimenta filijs, & è contrà. fol. 103.
Papa nullo modo poteſt diſpenſare in ſigillo. fol. 105.
Papa poteſt declarare in ſacramentis. fol. 105.
Papa cur poſſit diſpenſare in voto, & non in ſigillo. fol. 108.
Poteſtas in terris nulla datur maior poteſtate Pontificis. fol. 94.
Præcepta primæ tabulæ ſunt immutabilia. fol. 96.
Promiſſio, etiam ſine animo promittendi, tenet, & obligat. fol. 109.
Parentes poſſunt denegare alimenta filijs ex aliqua iuſta cauſa. fol. 110.
Pænitens, etiam medio iuramento, poteſt negare ſe aliquid dixiſſe in confeſſione. fol. 60.
Peccata publica, vt audita ex confeſſione, non ſunt dicenda à confeſſore extrà confeſſionem. fol. 122.
Priuilegium contentum in cap. Si quis ſuadente Diabolo &c. eſt priuilegium vniuerſale pro toto Ordine Clericali. fol. 140. 141.
Pænitens poteſt dare licentiam Confeſſario reuelandi confeſſionem, & quando. fol. 128.
Pænitens coactus à Iudice, vt det licentiam Confeſſario dicendi peccatum aliquod, & quod ipſe confeſſus ſit illi, nihil facit, neq; licentia data ſubſiſtit. fol. 137.

Pænitens eſt inferior Papa in alijs non tamen in danda licentia Confeſſario dicendi confeſſionem. fol. 139.
Prodigalitas propriæ famæ, vt ſic, non eſt peccatũ mortale. fol. 166. 167.
Pænitens non frangit ſigillum, ſi reuelet ſua peccata, ſed peccat contra charitatem. fol. 154.
Præceptum ſigilli anteponitur præcepto de conſeruanda vita propria. fol. 122.
Papa an poſſit diſpenſare, vt non Sacerdos poſſit audire confeſſionem. fol. 195.
Præceptum confeſſionis vnde colligatur. fol. 209.
Præceptũ confeſſionis duplici ex capite obligat. fol. 210.
Pænitens laico confeſſus, ſi euadat periculum, tenetur iterum eadem peccata ſubijcere clauibus. fol. 213.
Peccata mortalia, & venialia cadunt ſub ſigillum, & quomodo. fol. 236. 237. 326.
Peccata mortalia in genere, & in ſpecie cadunt ſub ſigillum, non ſic venialia. fol. 236. 237.
Peccatum in ordine ad peccatorem cadit ſub ſigillum. fol. 232. 236. 241.
Peccatum veniale eſt materia ſufficiens confeſſionis. fol. 237. 241.
Peccata publica poſſunt dupliciter conſiderari. fol. 246.
Peccata etiam publica ſunt materia confeſſionis. fol. 245.
Pænitens quibus caſibus excuſatur ab integritate confeſſionis. fol. 281. & ſeq. & 299.
Peccatum ex malitia Confeſſarij quod nam dicatur. fol 284.
Pænitens poteſt reuelare in ſua confeſſione complicem illi Confeſſario, quẽ nouit prodeſſe, & non obeſſe. fol. 285.
Promiſſio pendet ex voluntate illius, cui fit. fol. 132.
Pax, & concordia quibus conſeruetur. fol. 97.

Pæni-

Pænitens quando poſſit manifeſtare complicem in confeſſione. fol. 300. & ſeq.

Pænitens, ſi fieri poſſit, debet adire Confeſſarium, qui non agnoſcat perſonam exprimendam in ſua confeſſione. fol. 287.

Pænitens non debet nominare aliquem in ſua confeſſione, extrà neceſſitatem. fol. 290. & ſeq.

Pænitens, ſi ex inaduertētia nominet complicem in confeſſione, non peccat. fol. 292.

Pænitens non adimplens pænitentiam ſibi à Confeſſario iniunctam, poteſt ab illo extrà confeſſionem admoneri. fol. 262.

Perſona complicis cadit ſub ſigillum. fol. 309.

Peccata vt futura cadunt ſub ſigillum. fol. 265.

Pænitens ſi confitetur ſe velle occidere Epiſcopum, quid. fol 268.

Peccata, quæ animo ficto explicantur in confeſſione, non ſunt celanda. fol. 269.

Præceptum de bono ſpirituali, anteponitur cuicunque alteri præcepto. fol. 282. 283.

Pænitens excuſatur vel à tota, vel à parte confeſſionis. fol. 282.

Peccatum ex malitia, & peccatum ex fragilitate quid? fol. 283. 284.

Pænæ inflictæ contrà reuelantes confeſſionem non contrahūtur ipſo facto, ſed facta ſententia à Iudice. fol. 330.

Pœna peregrinationis inflicta contrà reuelantes, iam ſublata eſt. fol. 329.

Pœnæ inflictæ, vt ſupra, quando contrahantur. fol. 330. & ſeq.

Perpetuitas eſt neceſſaria ad matrimonium. fol. 99.

Præceptum de non infamando proximum, eſt præceptum nega-

negatiuum. *fol*.291.

Peccat grauius, qui frangit ſigillum, quàm qui ſecretum naturale. *fol*.26.27.

Papa quomodo diſpenſet in voto, & iuramento. *fol*.108.

Pænitens poteſt reuelare pænitentiam, vt ſibi à Confeſſario immutetur. *fol*.173.174.

Poteſtas Eccleſiaſtica quomodo appelletur à ſcriptura. *fol*. 195.

Poteſtas nulla eſt, quæ poſſit in ſigillo. *fol*.112.

Prudentiæ ratio quid dictet. *fol*. 91.

Præceptum ſigilli eſt negatiuum. *fol*.146.

Pænæ inflictæ contrà reuelantes confeſſionem in foro pænitentiali, aliæ, & aliæ ſunt. *fol*.329.

Q.

Q*Vod non probatur in Iudicio, pro falſo habetur*. *fol*. 22.

Quid præſcribat recta ratio in electionibus faciendis. *fol*. 74.

Quo iure vnuſquiſque naſcatur liber. *fol*.104.

Quo caſu poſſit quis occidere aggreſſorem, & excuſetur ab irregularitate, ſi percuſſus ſit clericus. *fol*. 118. & 119.

Quomodo ſit verum, quòd quilibet poſſit cedere iuri ſuo. *fol*. 140.

Qui audit ex induſtria alterius confeſſionem, ſi reuelet, frangit ſigillum, & peccat contrà ſacramentum. *fol*.184.

Qui audit caſu alterius confeßionem, peccat ſolùm contrà ſigillum. *fol*. 184.

Qui audiunt confeßionem publicam alicuius, ſed ſacra-

mentalem, ligantur ſigillo. fol.225.
Quæ dicantur directè cadere ſub ſigillum, & quæ indirectè. fol. 232.
Quomodo in confeßione cohoneſtetur actio illa, qua aperitur à pænitente complex ſui delicti fol.295.
Quæ nam malitia ſit magis intrinſeca peccato reuelationis confeſſionis. fol.322.
Quiſquè tenetur conſulere fratri ſuo ex charitate. fol.91.
Qui teneantur ad ſigillum. fol. 152. (268.
Quis non poteſt ſe infamare, ſi ipſius fama ſit neceſſaria ad aliorum gubernationem. fol. 166.
Qui reperit peccata alicuius deſcripta in aliquo, tenetur ad celanda illa ſecreto naturali. fol.228.

R.

R*Atio ſacramenti, in ratione ſecreti, quid addat ſacramento Pænitentiæ. fol.21.22.*
Reuelans confeſſionem peccat mortaliter. fol. 28.
Reuelare peccatum veniale, eſt peccatum mortale. fol.325.326.
Reuelare ſecretum naturale, eſt peccatum mortale, niſi paucitas materiæ excuſet. fol. 325.
Reus, vt reſpondeat Iudici, quid. fol.52.
Reuelare confeſſionem eſt quid intrinſecè malum. fol.92. 120.
Reuelatio confeſſionis etiã indirecta eſt euitãda. fol.121.
Reconciliatio publica quid petat. fol.207.

S.

S*Igilli vis, vtilitas, ac neceſſitas. fol.5 .7.*

Sigillo cedunt, quæ Iure naturæ præſcribuntur. ibidem.
Sigillum nunquàm violandum, potiùs alia omnia diſperdenda. fol.6.
Sigillo famæ, ac bono proximi conſulitur. ibidem.
Sigillo infinita incommoda euitantur. ibidem.
Sigillum præſcribitur Iure naturali, diuino, ac eccleſiaſtico. ibidem.
Sigillũ eſt maximè cõmendandum inter mortales. fol.5.
Sigilli nomine quid intelligatur hoc libello. fol.8.
Sigillum continet maius vinculum, quàm ſecretum naturale. fol.9. 271.
Sigillum ſemper retinendum, ne reddatur ſuſpecta confeſſio. fol. 10. 11.
Sigilli in communi diuiſio. fol.12.
Sigilli metaphorici aliud naturale, aliud ſacramentale. ibidem.
Sigilli metaphorici deſcriptio communis. fol.13.
Sigilli naturalis deſcriptio. fol. 13.
Sigilli confeſſionis deſcriptio. fol.14.
Sigilli ratio formalis in quo conſiſtat. fol.15.
Secretum in genere quid ſit. fol.18.
Secretum aliud per ſe, aliud per accidens. ibidem.
Sigillum vnde nam habeat vim obligandi. fol. 19.
Sigilli per accidens triplex conſideratio. ibidem.
Sigillum ſacramentale quomodo ſit partim Iuris naturalis, partim Iuris diuini poſitiui, partim Iuris eccleſiaſtici. ibidem.
Seruare ſecretum eſt Iuris naturalis, & pertinet ad virtutem fidelitatis. fol.19. 20.
Seruare ſecretum in ordine ad res proprias, pertinet ad virtutem continentiæ. ibidem.
Sigillum quomodo intelligatur eſſe de Iure diuino. fol.23.

Sigillum non poteſt tolli poteſtate humana, & ratio huius. fol.26. 108.
Sigillum ſacramentale magis ſeruandum, quàm ſecretum naturale. fol. 26. 271.
Sigillum ſacramentale, & ſecretum naturale non dicuntur ad conuertentiam. fol.27.
Sigillum eſſe Iuris Eccleſiaſtici, quomodo intelligatur. fol. 27.
Sigillum conſideratur penes Confeſſarium, & penes pœnitentem. fol. 30.
Sigillum quam inſeparabilitatem habeat cum ſacramento pœnitentiæ. fol.32. 33.
Sigillum non eſt vnum, & idem cum ſacramento pœnitentiæ. fol. 33.
Sacramentum pœnitentiæ ex ſe petit ſigillum. fol.33.
Sigillum non eſt pars eſſentialis confeſsionis ſacramentalis. fol.32. 33. 36.
Sigillo ablato, non aufertur ſacramentum Confeſſionis. fol.34.
Sigillum eſt paſſio confeſſionis. fol.
Sigillum, vt eſt indiſpenſabile, ſoli confeſsioni conuenit. fol. 35.
Sacramentum pœnitentiæ quomodo contineat ſigillum. fol. 35.
Sigillum eſſe de eſſentia confeſſionis; quomodo ſit verum. fol. 33. 36.
Sigillum ſacramentale, & ſecretum naturale, quo præcipuè differant. fol.41. 192. 271.
Secretum naturale aliquando diſpenſabile, aliquando non. fol.41.
Sigillum confeſsionis ſpectat ab bonum cõmune. fol. 44.
Suffragium publicum an poſſit denegari illi, qui ex confeſſione

ſione indignus agnoſcitur. fol.67.
Scientia ſacramentalis non debet iuuare in ijs, quæ pertinent ad externam gubernationem. fol.68. 70.
Seruitutes quo iure ſint introductæ. fol.97. 104.
Sigillum durat poſt mortem. fol.146.
Subditi ſi quando interrogentur à Superioribus de pertinẽtibus ad confeſſiones factas, quid reſpondere debeant. fol.262.
Sacerdos extrà contemptum, ſtante periculo mortis, poteſt coràm excommunicato denunciato celebrare. fol.113.
Sigillum quare nunquàm ſit licitum violare. fol. 113. 120.
Sigillum primò, & per ſe, eſt in bonum pænitentis. fol.133. 140.
Sigillum cadit & in perſonam, & in ipſam confeſſionem. fol.151. 224.
Sigillum cadere in rem ipſam quomodo. fol.151. 224.
Sacerdotes ſunt veri, ac ſoli miniſtri ſacramenti pænitentiæ. fol.205.
Sacramẽtum pænitentiæ magis ſupponit pro forma, quàm pro actibus pænitentis. fol.213.
Sacramentum pænitentiæ per contritionem ſuppleri poteſt. fol. 215.
Sacramentum pænitentiæ petit ſaltem materiam venialẽ. fol.243.
Sacramentum pænitentiæ petit integritatem. fol.281.
Superior, & inferior in ordine ad abſolutionem intelligũtur vna perſona. fol.228.
Superior, ad quem inferior accedit pro abſolutione obtinẽda, ligatur ſigillo in ordine ad ea, quæ habuit ab illo. fol.227.
Si quis dicat, iſte mihi confeſſus eſt, non frangit ſigillum. fol.237.

Sigillum frangitur multis modis. fol.241.
Superiores, ex auditis confeßionibus ſuorum ſubditorum, non debent ad vlteriora in foro fori contrà ipſos procedere. fol.262.
Sigillum frangit, ſi quis confeſſor dicat, aliquem eſſe aut ignobilem, aut illegitimum, ſi id ſolùm ſciat ex confeſſione ab illo ſibi facta. fol.278.
Sacerdos poteſt abſoluere pænitentem, etiam infecta confeßione. fol.299.
Sacerdos in actu cõfeſſionis gerit vicem Chriſti. fol.303.
Scripturas commendare nobis bonum nomen, quo ſenſu ſit verum. fol.169.
Sigilli ratio vnde ſit petenda. fol.182. 183.
Sacramentum pænitentiæ quanto rigore obliget mortales. fol 285.
Sacerdos debet admonere pænitentem, ne quem nominet in confeßione, ſi nulla ſit neceſſitas. fol.292.
Sigillum non frangit, ſi quis Confeſſor dicat de mortuo pænitente, iſte nunquàm mihi eſt confeſſus peccata mortalia. fol.147.
Sæculares reuelando confeßionem non contrahunt pænas, quas contrahunt Sacerdotes, ſi reuelent. fol.327. 328.
Superiores debent cauere, ne in exhortationibus, quas habent ad ſuos ſubditos, aliquid dicant, vnde ipſi auocentur à confitendo impoſterum. fol.273.
Secretum habens quis ab amico, etiam adductus in teſtẽ, medio iuramento, aut etiam appoſita excommunicatione, quid? fol.191.
Sigillum confeßionis eſſe inſtitutum in bonum commune. quid? fol.141.

Tenetur.

T.

Tenetur ſecreto naturali ad celandum, qui reperit peccata alicuius in aliquo deſcripta. fol.
S. Thomæ ſententia de relaxatione voti, & iuramenti, non placet. fol.107. 108.
Tegere peccata quid ſit. fol.16.
Teſtificatio duplex eſt. fol.163.

V.

Verſus ille, Eſt hæreſis crimen, quod nec confeſſio celat; falſus eſt. fol.93.
Vota non relaxantur ſine iuſta cauſa. fol.102.
Vis mandati maxima eſt. fol.
Vtilitas, quæ percipitur, ex quo pænitens dicat complicē in ſua confeſſione, maxima eſt. fol.296.
Votum diſpenſabile à Papa, & quare. fol.100. 108.
Veniale peccatum eſt materia ſufficiens ad ſacramentum pænitentiæ. fol. 178.
Vitam profundere pro amico laudabile. fol.87.
Viualdi ſententia de ſigillo non placet. fol.179. 180.
Vis ſacramētalis pænitentiæ præcipuè reſidet in clauibus. fol. 112.
Viualdi ſententia circà Confeſſarium, qui neget ſe ſe reuelaſſe confeſſionem, non placet. fol. 340.

FINIS.

Errata grauiora, quæ nullum, vel alienum ſenſum reddere poſſunt, ſic corrige.

Errata	*corrige.*
fol.33. verſ.25. Prima cõcluſio,	*Probatur concluſio.*
ibid.verſ.28. Actus pænitentiæ,	*Actus pœnitentis,*
fo.36. verſ.2. ſuum effectum,	*ſuum ſubiectum,*
fo.80.verſ.21. aliquid ſimpliciter	*aliquid ſimile,*
fo.121. verſ.22. poterat,	*poterant,*
fo.125. verſ.10. Aluari,	*Almayn,*
fo.156. verſ.13. renetur,	*tenetur,*
fo.171. verſ.14. id eſſe,	*id eſt,*
fo172. verſ.7. non fit,	*non ſit,*
fo.193. verſ.14. potuit,	*poterit,*
fo.195. verſ.22. aſſoluere,	*abſoluere,*
fo.196. verſ.1. Ioannem,	*Ioannes,*
f.209. v.20. laico nõ Sacerdoti,	*laico, & nõ Sacerdoti,*
fo.248. verſ.15. functurum eſſe,	*functum eſſe,*
fo.250. verſ.32. nam,	*niſi,*
fo.259. verſ.21 cũ pænitente,	*à pænitente,*
fo.260. verſ.6. poſſet,	*poſſe,*
fo.264. verſ.20. ergo,	*&,*
fo.283. verſ.15. confeſſione,	*confeſſore,*
fo.285. verſ.12. noluiſſe.	*voluiſſe,*
fo.306. verſ.21. Viguerius,	*Viguerium,*
Ad carmen primum. Elogicum.	*Elogium.*

Alia verò errata, ſcilicèt litteras, ſeu ſyllabas ſuperfluẽtes, vel deficientes, vel tranſpoſitas, quæ nulla vel imperfecta reddunt verba, diligens quiſq; lector per ſe aduertere poterit, & ad verum, & legitimum reducere ſenſum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google